ALMA COLLEGE
ALMA, CALIFORNIA

A. M. D. G.

LECTIONES

PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE

" *Innovari volunt* (Modernistae) *philosophiam... ita ut, amandata philosophia scholasticorum ad historiam philosophiae inter cetera quae iam obsoleverunt systemata, adolescentibus moderna tradatur philosophia.... Primo igitur volumus probeque mandamus ut Philosophia Scholastica studiorum sacrorum fundamentum ponatur* „.

Pius P.P. X, Encyc. " *Pascendi Dominici* „ (8 Sept. 1907)

ALMA COLLEGE
ALMA, CALIFORNIA

ALMA COLLEGE
120
LIBRARY
V556
Alma, California

(MANUSCRIPTUM)

Prov. Ven.

VENETIIS
TYPIS AEMILIANIS
1908

178

INDEX

METAPHYSICA GENERALIS

Introductio . . . . . Pag. 1

TRACTATUS PRIMUS.

De Ente in communi.

Quaestio Prima. — De notione Entis.

Thes. I.ª — 1º *Ens communissimum, quod proprie definiri non potest,* 2º *bene exhibetur per hoc quod dicitur :* " *id cui competit esse* „ " *id quod habet esse* „ " *id cuius actus est esse* „ *; et significat essentiam, hoc est naturam quamlibet formaliter in quantum pertinet ad ordinem essendi.* . . „ 15

Obiectiones solvuntur . . . . . „ 19

Thes. II.ª — *Quamvis solus Deus dici debeat Ens per essentiam, reliqua vero solum participative sint entia, quatenus tamen essentiale opponitur accidentali, ens dici debet praedicatum omnibus essentiale, exhibens uniuscuiusque essentiam per comparationem ad esse* . . . . . „ 22

Obiectiones solvuntur . . . . . „ 23

Thes. III.ª — *Cum ipsum esse sit actualitas omnium rerum, et etiam ipsorum actuum, nihilque actualitatem ullam habeat nisi in quantum est, ratio entis necessario se extendit prorsus ad omnia, unde respectu omnium est transcendens* „ 27

Thes. IV.ª — *Ens nequit importare rationem aliquam communem ab omnibus inferioribus simpliciter abstractam ; sed tantum dici potest importare rationem abstractam secundum quid* . . . . . „ 28

Thes. V.ª — *Ens nequit esse genus relate ad sua inferiora* . . „ 32

Thes. VI.ª — *Ens simpliciter diversificatur in suis inferioribus secundum diversos modos essendi : qui nomine ipsius entis non exprimuntur* . . . . . „ *id.*

Thes. VII.ª — *Quamvis enti ulla additio fieri nequeat per modum quo differentia additur generi ; bene tamen potest*

enti, tamquam conceptui omnium confusissimo, fieri additio per modum expressioris conceptus . . . . . Pag. 34

Thes. VIII.ª — *Inferiora entis, in quae primo dividitur tamquam universale improprium in partes quodammodo subiectivas, sunt ens per essentiam et ens per participationem, ens reale et ens rationis, substantia et novem suprema genera accidentium* . . . . . „ 35

Quaestio Secunda. — De Analogia Entis.

Thes. I.ª — *Ens non est univocum respectu entis per essentiam, et entis per participationem, realis et rationis, substantiae et accidentis, neque respectu diversorum generum accidentium, aut generum et specierum eiusdem praedicamenti* . „ 36

Thes. II.ª — *Ens relate ad ea quae in thesi praecedenti enumerata sunt, non est pure aequivocum, sed dici debet analogum analogia proportionalitatis propriae* . . . . . „ 39

Thes. III.ª — 1° *Omnia entia dicuntur per ordinem ad unum primum ens ;* 2° *quod secundum ordinem cognitionis nostrae et secundum nominis impositionem est ipsa substantia materialis ;* 3° *secundum rem autem per nomen significatam est ipsum Primum Ens, quod est Ens per essentiam, a quo participative sunt omnia entia.* . . . . . „ 43

Thes. IV.ª — *Si attendatur quod ens significat essentiam secundum habitudinem ad esse, et quod in tantum rebus acquiritur esse diversimode in quantum habent diversas naturas, dicendum videtur quod de duobus individuis eiusdem infimae speciei, ens eodem modo dicatur, unde et necessario dici debent esse duo entia, numero quidem diversa, sed eiusdem speciei eiusdemque naturae ; scilicet dicendum videtur quod ens respectu individuorum eiusdem speciei infimae sit univocum et non analogum* . . . . . „ 46

Obiectiones solvuntur. . . . . „ 48

Quaestio Tertia. — De Entis Cognitione.

Thes. I.ª — *Ens est primum quod intellectus in rebus apprehendit quasi notissimum* . . . . . „ 50

Thes. II.ª — *Ens est id, in quod intellectus omnes alias conceptiones resolvit.* . . . . . „ 51

Thes. III.ª — *Omnes aliae animae conceptiones accipiuntur ex additione ad ens* . . . . . „ *id.*

Thes. IV.ª — *Intellectus entis includitur in omnibus, quaecumque quis de re apprehendit* . . . . . „ 52

TRACTATUS SECUNDUS.

De Actu et Potentia.

Introductio . . . . . Pag. 53

Notiones generales . . . . . „ 54

Caput Primum. — De natura actus et potentiae in genere.

Praenotio Generalis. — *Quid intelligatur nomine actus et potentiae* . . . . . „ 58

Prop. I.ª — *Quodlibet ens aut est actus purus, aut compositum ex actu et potentia* . . . . . „ 59

Prop. II.ª — *Actus et potentia dividunt adaequate omnem ordinem, ipsumque etiam universalissimum entis* . . . . „ 60

Prop. III.ª — *Actus et potentia transcendentaliter referuntur ad invicem: hoc est secundum suum esse totum* . . . . . „ *id.*

Prop. IV.ª — *Actus et potentia immediate referuntur: hoc est non media aliqua relatione praedicamentali, vel modo aliquo unionis* . . . . . „ *id.*

Prop. V.ª — *Actus et potentia sunt principia entis* . . . . . „ 61

Prop. VI.ª — *Actus definiri non potest* . . . . . „ *id.*

Prop. VII.ª — *Actus aliqualiter notificari potest per comparationem habentis actum et non habentis, vel per effectum formalem* . . . . . „ 62

Prop. VIII.ª — *Potentia stricte definiri non potest* . . . . . „ *id.*

Prop. IX.ª — *Convenienter potentiae ratio exhibetur per ordinem ad actum* . . . . . „ *id.*

Prop. X.ª — *Actus et potentia in quovis ordine distinguuntur* . „ *id.*

Prop. XI.ª — *In ordine reali distinguuntur realiter* . . . . „ 63

Prop. XII.ª — *In ordine logico distinguuntur ratione* . . . . „ *id.*

Caput Secundum. — De natura sive actus in potentia recepti, sive actus puri.

Prop. I.ª — *Actus in potentia receptus est limitatus* . . . . „ 64

Prop. II.ª — *Actus purus seu in nulla potentia receptus nequit esse in suo ordine limitatus* . . . . . „ 65

Prop. III.ª — *Actus non limitatur nisi per potentiam* . . . . „ 66

Obiectio solvitur . . . . . „ *id.*

Prop. IV.ª — *Omnis actus, in quo ordine est purus, est infinitus* „ *id.*

Prop. V.ª — *Omnis actus purus est aliqua quidditas subsistens* „ *id.*

Prop. VI.ª — *Actus purus est necessario unicus in specie* . . „ 67

Prop. VII.ª — *Repugnat dari potentiam puram, in qua nullus sit actus, quamvis dari possit actus purus, qui in nulla sit potentia* . . . . . „ 69

Prop. VIII.ª — *Actus in potentia receptus multiplicabilis est* . Pag. 70
Prop. IX.ª — *Actus in potentia receptus multiplicari potest in eadem specie* . . . . . „ *id.*
Prop. X.ª — *Actus purus et actus receptus in potentia, quantumcumque dicantur eiusdem ordinis, nequeunt in eadem specie univoce convenire* . . . . . „ *id.*
Prop. XI.ª — *Multiplicatio mere numerica tunc solum habetur, quando tota ratio multiplicitatis est subiectum multiplex.* „ 71
Prop. XII.ª — *Quod in aliquo ordine est actus vel compositum ex actu et potentia, potest ulterius esse potentia relate ad alium ordinem, nisi sit actus purus in ordine ultimo* . . „ *id.*

Caput Tertium. — De actu et potentia in ordine essendi.

Prop. I.ª — *Esse non solum importat actum, sed ad omnia comparatur ut actus* . . . . . „ *id.*
Prop. II.ª — *Esse ad nullum comparari potest ut potentia ad actum* . . . . . „ 72
Prop. III.ª — *Omne compositum ex actu et potentia in ordine essentiae, et omnis actus purus in eodem ordine, qui non sit ipsum Esse subsistens, necessario est potentia ad actum essendi* . . . . . „ 73
Prop. IV.ª — *Impossibile est aliquod esse in actu, nisi omnibus existentibus (seu concurrentibus), quibus esse substantiale designatur* . . . . . „ *id.*
Prop. V.ª — *Unusquisque actus et compositum quodlibet ex potentia et actu, tunc est in actu quando est (sive ut quod est, sive ut quo aliquid est)* . . . . . „ 74
Prop. VI.ª — *Ad unamquamque formam sequitur esse* . . . „ *id.*
Prop. VII.ª — *Actus essendi receptus in aliquo non specificat ullo modo essentiam sive naturam in qua recipitur, sed facit eam esse in actu, et est tantum quo illa est (exercite), non autem quo talis vel talis est (veluti signate)* . „ 75
Prop. VIII.ª — *Res ad invicem non distinguuntur secundum quod esse habent* . . . . . „ *id.*
Prop. IX.ª — *Res ad invicem non distinguuntur quasi diversis rebus competat esse specie diversum* . . . . . „ *id.*
Prop. X.ª — *Res per hoc differunt, quod habent diversas naturas quibus acquiritur esse diversimode* . . . . . „ *id.*
Prop. XI.ª — *Esse subsistens per ipsam suam puritatem est esse distinctum ab omni alio esse* . . . . . „ 76
Prop. XII.ª — *Actus purus in ordine essendi, seu absolute purus, est necessario et absolute unicus* . . . . . „ *id.*
Prop. XIII.ª — *Actus purus in aliquo ordine particulari multiplex dari potest* . . . . . „ *id.*
Prop. XIV.ª — *In actibus puris subsistentibus (seu formis subsi-*

stentibus) datur realis compositio ex actu et potentia in ordine essendi . . . . . Pag. 77

Prop. XV.ª — *Pariter in rebus materialibus praeter compositionem ex actu et potentia in ordine essentiae admitti debet compositio ex actu et potentia in ordine essendi* . . „ *id.*

Prop. XVI.ª — *In omnibus rebus creatis essentia realiter distinguitur ab existentia* . . . . . „ 78

Prop. XVII.ª — *Sicut omnis nobilitas et perfectio inest rei secundum quod est, ita omnis defectus inest ei secundum quod aliqualiter non est* . . . . . „ 79

Prop. XVIII.ª — *Actus purus in ordine essendi omnem nobilitatem seu perfectionem in sua simplicissima unitate praehabet, quae quibuscumque aliis quomodocumque competere possit, et in infinitum superexcedit* . . . . . „ 80

Caput Quartum. — De variis permixtionibus potentiae et actus.

Prop. I.ª — *Omnes rerum naturae (secundum quas eisdem acquiritur esse diversimode et per quas invicem differunt) sunt sicut numeri, in quibus unitas addita vel subtracta variat speciem* . . . . . „ *id.*

Prop. II.ª — *In omnibus rebus sive materialibus sive immaterialibus differentia, secundum quam genus determinatur ad speciem, sumitur a propria cuiusque terminatione in gradu naturae* . . . . . „ 82

Prop. III.ª — 1° *In formis separatis genus et differentia accipiuntur secundum unum et idem;* 2° *in quantum considerantur modo ut indeterminate, modo ut in suo complemento seu terminatione et gradu naturae;* 3° *ad quem consequitur diversus gradus potentialitatis ad esse* . . . „ 83

Prop. IV.ª — *Praeter compositionem ex actu et potentia in ordine essendi, admitti debet etiam compositio ex actu et potentia in ordine essentiae* . . . . . „ 85

Prop. V.ª — *Non potest idem subiectum secundum idem simul tempore suscipere plures actus eiusdem generis et diversae speciei* . . . . . „ *id.*

Prop. VI.ª — *Potest idem subiectum, materialiter acceptum, plures formas diversi generis simul tempore suscipere, quarum non eodem modo est subiectum* . . . . . „ *id.*

Prop. VII.ª — *Potest etiam dici idem subiectum plures formas mediate suscipere, in quantum cum aliqua forma constituit compositum, quod ipsum proprie est subiectum sequentis formae: vel in quantum una forma praerequiritur in subiecto ad susceptionem alterius* . . . . . „ 86

Prop. VIII.ª — *Unicum subiectum potest esse in potentia ad*

plures actus eiusdem generis et diversae speciei successive habendos . . . . . Pag. 86

Prop. IX.ª — *Potentia, quae ad plures actus se habet, dum est sub uno, retinet capacitatem seu potentialitatem ad alios.* „ *id.*

Prop. X.ª — *Quandocumque una aliqua potentia ad plures actus se habet, oportet (si vere una sit) quod plures illi actus conveniant in ratione unius specificativi potentiae: hoc autem contingere non potest nisi illi actus in aliquo uno genere conveniant* . . . . . „ *id.*

Prop. XI.ª — *Subiectum primi actus est carens omni actu, et proinde pura potentia in ordine entis* . . . . . „ 87

Prop. XII.ª — *Omnis actus substantialis alicuius potentiae est actus primus* . . . . . „ *id.*

Prop. XIII.ª — *Actus substantialis in re per se una unus est.* „ *id.*

Prop. XIV.ª — *Actus et potentia in ordine substantiae constituunt per se unum* . . . . . „ *id.*

Prop. XV.ª — *Omnis actus substantialis perfectior, virtute continet imperfectiores in sua simplici unitate* . . . . . „ *id.*

Prop. XVI.ª — *Actus perfectior prius intelligitur perficere materiam secundum inferiores gradus, quos virtualiter continet, quam secundum superiores* . . . . . „ 88

Prop. XVII.ª — *Omnem gradum consequuntur propriae passiones* „ *id.*

Prop. XVIII.ª — *Ea quae consequuntur in aliquo composito substantiali ad formam, secundum quod dat gradus praecedentes, haberi debent ut dispositiones necessariae ad ipsam eamdem formam secundum quod dat gradus ulteriores* . . . . . „ *id.*

Prop. XIX.ª — *Materia prima in omnibus compositis naturalibus intelligitur habere partes extra partes, consequenter ad formas in quantum praecise dant esse corporis, non autem hanc vel illam speciem determinatam* . . . . . „ 89

Prop. XX.ª — *Materia actuata per formas corporeas, in quantum dant praecise esse corporis, considerari debet ut quodammodo una tota materia corporalis, in qua signari possunt partes in infinitum* . . . . . „ *id.*

Prop. XXI.ª — *Potest materia prima, intellecta sub dimensionibus, suscipere secundum diversas partes quantitativas simul tempore diversas formas corporeas; successive vero etiam secundum idem* . . . . . „ 90

Prop. XXII.ª — *Materia sic intellecta sub corporeitate et dimensionibus, intelligitur suscipere, secundum diversas partes, formas diversas, secundum ulteriores perfectionis gradus.* „ *id.*

Prop. XXIII.ª — *In quantum materia secundum diversas partes signatas in totalitate materiae corporalis suscipit formas*

numero diversas intelligitur esse primum principium individuationis in corporeis substantiis. . . . . . Pag. 91

Caput Quintum. — De limitatione potentiae et actus.

Prop. I.ª — *Potentia in sua ratione potentiae limitatur per actum, a quo perficitur* . . . . . „ 95

Prop. II.ª — *Quo magis potentia recedit a ratione purae potentiae eo minus limitat actum* . . . . . „ *id.*

Prop. III.ª — *Diversa limitatio in formis corporeis constituentibus species diversas corporum (quae, ut dictum est* [n. 114], *differunt secundum gradus diversos perfectionis) nequit repeti ex ipsa materia prima, ut est pura potentia* . . „ *id.*

Prop. IV.ª — *Diversa limitatio, quam de se dicunt formae corporeae specifice diversae, repeti debet ex diversitate propriorum subiectorum, hoc est ex materia prout antecedenter ad susceptionem uniuscuiusque formae specifice diversae, intelligitur aliter et aliter disposita ad formam suscipiendam* . . . . . „ 96

Prop. V.ª — *Omnis autem dispositio materiae ad formam praesupponit actum aliquem, et est per aliquem actum* . . . „ *id.*

Prop. VI.ª — *Nihilominus omnis dispositio subiecti ad formam reduci debet, ut sic, ad genus causae materialis* . . . . „ 97

Prop. VII.ª — *Quanto plures et perfectiores dispositiones in materia requiruntur ad aliquam formam, tanto forma est minus limitata, adeoque perfectior* . . . . . „ *id.*

Prop. VIII.ª — *In rebus ex materia et forma compositis (seu ex actu et potentia in ordine essentiae) genus sumitur a materia et differentia a forma* . . . . . „ 98

Prop. IX.ª — *Formae, quae praerequirunt diversos gradus essentiales in materia, specie differunt inter se; non autem illae, quae praehabeant solum diversas dispositiones accidentales in eadem, quae solum faciant materiam melius receptivam, sine praesuppositione diversorum graduum essentialium* . . . . . „ 102

Prop. X.ª — *Nequit esse unicus actus plurium potentiarum* . „ 104

Prop. XI.ª — *In omni composito oportet esse actum et potentiam* . . . . . „ *id.*

Caput Sextum. — De potentia activa et passiva.

Praenotiones . . . . . „ *id.*

Prop. I.ª — *Quidquid quomodocumque agit, in tantum agit in quantum est in actu* . . . . . „ 110

Prop. II.ª — *Omne quod est in actu est principium agendi* . . „ *id.*

Prop. III.ª — *Ratio principii activi proportionatur ipsi actui secundum modum eius* . . . . . „ 111

Prop. IV.ª — *Modo principii activi proportionatur modus operationis* . . . . . Pag. 111
Prop. V.ª — *Modo operationis transeuntis proportionatur effectus* . . . . . „ 112
Prop. VI.ª — *Modo operationis immanentis proportionatur obiectum* . . . . . „ *id.*
Prop. VII.ª — *Quidquid quomodocumque patitur, in tantum patitur in quantum est in potentia* . . . . . „ *id.*
Prop. VIII.ª — *Cuilibet potentiae naturali correspondet agens naturale, quod possit eam reducere in actum* . . . . . „ 113
Prop. IX.ª — *Quanto potentia passiva est maior, tanto a maiori virtute activa completur* . . . . . „ 114
Prop. X.ª — *Unumquodque est in potentia ad diversa secundum habitudinem ad agentia diversa* . . . . . „ 115
Prop. XI.ª — *Unumquodque secundum habitudinem ad primum agens est in potentia ad aliqua, ad quae non est in potentia secundum habitudinem ad agentia creata* . . . . „ *id.*
Prop. XII.ª — *Potentia obedientiae in creatura non importat nisi merum subiectum recipiens, non autem capacitatem positivam, aut proportionem aliquam, aut ordinem aliquem positivum, aut aliquam dispositionem, multo vero minus exigentiam ullam actus cuiuscumque supernaturalis* . . „ 116

Caput Septimum. — De motu et mutatione et prioritate.

Prop. I.ª — *Omnis motus et quaecumque mutatio importat aliquam potentiam* . . . . . „ 117
Prop. II.ª — *Omnis motus supponit aliquid immobile* . . . . „ *id.*
Prop. III.ª — *Sicut aliquid potest esse in potentia ad actum, qui est forma, ita etiam ad actum, qui est motus* . . . „ 118
Prop. IV.ª — *Quod est in motu non est in potentia ad moveri, sed potest esse in potentia unde-quo* . . . . . „ *id.*
Prop. V.ª — *Ipsa potentia activa et ipsa causa agens, quae non sit primum agens, potest moveri ad actum, qui est operatio* „ 119
Prop. VI.ª — *Mutabilitas proprie dicta respondet solum illi potentiae, quae stare potest cum privatione determinati actus* . . . . . „ 120
Prop. VII.ª — *Quae possunt amittere formam substantialem dicuntur habere simpliciter potentium ad non esse* . . . „ *id.*
Prop. VIII.ª — *Formae subsistentes sive separatae (ut Angeli) sive inhaerentes (ut anima humana) non habent potentiam ad non esse, ac proinde sunt incorruptibiles* . . . . . „ *id.*
Prop. IX.ª — *Creatio et annihilatio important solum improprie dictam mutationem* . . . . . „ 122
Prop. X.ª — *Impropria mutatione mutabile est quod quocumque modo potentiam involvit* . . . . . „ *id.*

Prop. XI.ª — *Forma non subsistens non habet fieri.* . . . . Pag. 123
Prop. XII.ª — *Forma subsistens non habet fieri nisi per creationem* . . . . . „ 124
Prop. XIII.ª — *Impossibile est quod sit aliquid, quod educat se de potentia in actum* . . . . . „ *id.*
Prop. XIV.ª — *Non potest naturaliter dari regressus a privatione ad habitum eiusdem numero actus.* . . . . . „ 125
Prop. XV.ª — *In uno et in eodem, quod quandoque est potentia, quandoque actu, potentia est prior tempore, quam actus* . „ 126
Prop. XVI.ª — *Simpliciter loquendo oportet actum potentia priorem esse.* . . . . . „ *id.*
Prop. XVII.ª — *Actus est prior potentia natura et cognitione.* „ 127

TRACTATUS TERTIUS.

De Transcendentibus.

Quaestio Prima. — De Transcendentibus in communi.
Thes. I.ª — *Quinque dantur rationes transcendentales, quae exprimunt modos quosdam generaliter consequentes ad rationem entis, scilicet res, unum, aliquid, verum, bonum* . „ 130
Thes. II.ª — *Ex quinque transcendentibus, quae entis rationem consequuntur, tria habenda sunt tamquam ipsius entis proprietates, scilicet: unum, verum et bonum* . . . . . „ 133
Quaestio Secunda. — De re, seu de essentia secundum seipsam.
Thes. I.ª — *Essentia seu res convenienter dicitur esse: " id, secundum quod alicui competit esse „* . . . . . „ 136
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 137
Thes. II.ª — *Essentia alio modo invenitur in Deo quam in creaturis, alio invenitur in substantiis quam in accidentibus, et alio in substantiis simplicibus quam in compositis* „ 138
Thes. III.ª — *Nullum competere potest essentiis esse ab aeterno, quod sit distinctum ab existentia et a Deo* . . . . . „ 139
Difficultates solvuntur . . . . . „ 140
Thes. IV.ª — *Essentiae rerum habent absolutam possibilitatem ab intrinseco, ex habitudine terminorum; habent autem extrinsecam possibilitatem per respectum ad Omnipotentiam Dei* . . . . . „ 142
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 144
Thes. V.ª — *Essentiales rationes creaturarum fundamentaliter pendent a divina Essentia secundum quod in seipsa est;*

formaliter vero a divina Essentia secundum quod est intellecta ab Intellectu divino ut imitabilis ad extra . . . Pag. 147
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 149

Quaestio Tertia. — De essentia per comparationem ad esse seu existentiam.

Thes. I.ª — *In Ente increato idem est essentia quod esse* . . „ 150
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 151
Thes. II.ª — *Omnino tenendum est quod in omnibus rebus essentia realiter distinguitur ab existentia* . . . . . „ 152
Notae pro pleniori intelligentia ipsius quaestionis . . . „ 166
Thes. III.ª — *Argumentum validissimum in confirmationem doctrinae de distinctione reali inter essentiam et esse confici potest ex ipsis principiis adversariorum, et ex inanitate argumentorum, quibus talis distinctio impugnatur* . . . „ 171
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 180
Thes. IV.ª — *Doetrina, quae statuit realem distinctionem inter essentiam et esse, est " procul dubio S. Thomae „ (Schiffini)* „ 201
Thes. V.ª — *Ex doctrina praedicta, S. Thomas " repetit solutionem plurium aliarum quaestionum magni momenti in re non solum philosophica, verum etiam theologica „ (Schiffini)* . . . . . „ 216
Thes. VI.ª — 1° *Non recte dicitur quod actus limitetur in quantum est potentia ad esse;* 2° *sed dicendum quod actus puri, nempe essentiae angelicae, nullo modo limitantur in ordine essentiae;* 3° *ratio autem limitationis et multiplicabilitatis rerum omnium in ordine essendi est compositio realis ex essentia et esse, seu receptio actus essendi in diversis essentiis* . . . . . „ 221
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 228
Thes. VII.ª — 1° *Quamvis creata existentia respectu essentiae creatae haberi possit tanquam accidens praedicabile;* 2° *tamen nequit dici accidens praedicamentale, neque respectu substantiae neque respectu essentiae alicuius accidentis;* 3° *existentia nihilominus substantiae reducitur ad ipsam praedicamentalem substantiam, et existentiam diversorum accidentium reducitur ad praedicamentum proprii accidentis* . . . . . „ 230
Difficultates solvuntur . . . . . „ 231
Thes. VIII.ª — *Existentia accidentium non est ipsa existentia substantiae, in qua sunt* . . . . . „ 232
Difficultates diluuntur . . . . . „ 233
Thes. IX.ª — *Esse, utpote actualitas omnium actuum, in quolibet creato ente perfectius est essentia* . . . . . „ *id.*
Difficultates solvuntur . . . . . „ 235

Quaestio Quarta. — De Uno transcendentali.

Thes. I.ª — *Unum transcendentale, h. e. quod convertitur cum ente, non addit aliquid supra ens, nisi negationem divisionis tantum, non quod significet ipsam indivisionem tantum, sed substantiam eius cum ipsa* . . . . . Pag. 236

Obiectio solvitur . . . . . „ 237

Thes. II.ª — *Nec tamen est nugatio cum dicitur: ens unum, quia unum addit supra ens aliquid secundum rationem; hinc quamvis ens et unum sint idem re, tamen differunt ratione* . . . . . „ *id.*

Thes. III.ª — *Unitati, quae convertitur cum ente, opponitur transcendentalis multitudo, quae hoc modo se habet ad multa, de quibus praedicatur, sicut unum, quod convertitur cum ente, ad ens* . . . . . „ 238

Obiectiones solvuntur . . . . . „ 239

Thes. IV.ª — *Unum quod convertitur cum ente opponitur multitudini per modum privationis ut indivisum diviso, seu ut indivisibile divisibili, et quidem non ut contradictio, neque ut ad aliquid, sed ut contraria* . . . . . „ 240

Difficultates diluuntur . . . . . „ 241

Thes. V.ª — *Unum tum* 1° *per accidens, tum* 2° *per se, multipliciter dicitur,* 3° *sicut et multitudo quae ei opponitur* „ 244

Quaestio Quinta. — De his quae consequuntur unum et multa.

Praenotandum . . . . . „ 253

Thes. I.ª — 1° *Idem est unum in substantia;* 2° *simile est unum in qualitate;* 3° *aequale vero est unum in quantitate* . . „ *id.*

Thes. II.ª — 1° *Cuilibet modo identitatis opponitur modus diversitatis;* 2° *Differens proprie dictum addit supra diversum convenientiam in uno, et dicitur propriissime de convenientibus in genere et diversis secundum speciem* . . . „ 257

Thes. III.ª — 1° *Distinctio est quaedam divisio;* 2° *quae tamen aptius attendi potest etiam inter ea, quae sunt unum subiecto;* 3° *hinc quae sunt distincta sunt plura, non tamen semper de necessitate plura entia* . . . . . „ 258

Thes. IV.ª — 1° *Non omne distinctum est differens;* 2° *omne autem differens est distinctum* . . . . . „ 260

Thes. V.ª — 1° *Differentia realis simpliciter dicta importat realem distinctionem inter ea, quae sic differre dicuntur;* 2° *differentia realis secundum quid dicta non importat distinctionem realem;* 3° *quamvis autem ea, quae sic differunt, dici possint differre secundum rem, nullo modo possunt dici differre ut realiter ad invicem differentia* . „ 261

Thes. VI.ª — 1° *Cum in omni distinctione inadaequata, quae attenditur inter id quod habet rationem totius et eius par-*

tem, intellectus utatur uno ut duobus; 2° non potest distinctio inadaequata ut sic esse realis; 3° facta tamen hac multiplicitate terminorum per intellectum, quae ipsa est distinctio; 4° si fiat comparatio inter partem et totum; 5° verum erit dicere quod totum addit aliquid reale supra partem, et per id quod superaddit, realiter differt a parte; 6° quin tamen per hoc importetur inter totum et partem eius realis distinctio . . . . . Pag. 267

THES. VII.ª — *Principium identitatis comparatae: " quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se „ est verum absolute atque universaliter* . . . . . „ 272

Quaestio Quinta.bis — DE ALIQUO TRANSCENDENTALI.

THES. I.ª — 1° *Aliquid, quod cum ente convertitur importat ipsum ens divisum a quolibet alio; ac 2° proinde non addit supra ens nisi meram negationem, prout dicit ens a quolibet alio divisum; 3° non est idem autem ac suppositum* . . . . . „ 276

THES. II.ª — *Repugnat metaphysice quod individuum multiplicetur: negatio talis repugnantiae ad Agnosticismum logice adducit* . . . . . „ 277

Quaestio Sexta. — DE VERO TRANSCENDENTALI.

THES. I.ª — 1° *Verum transcendens dicit idipsum quod ens, in quantum exprimit convenientiam, quam unumquodque ens ex seipso importat ad intellectum; 2° hinc verum transcendens convertitur cum ente et 3° est omnino aliud a veritate formali sive in seipsa spectata, sive prouti extrinsece denominante ipsas res* . . . . . „ 281

THES. II.ª — 1° *Verum et ens sunt idem re, seu verum non addit realiter supra ens; et 2° nihil addit reale, sed 3° addit tantum differentiam rationis; 4° quae consistit in quodam respectu rationis ad intellectum; 5° quod tamen sufficit ut non sit inutilis repetitio dicere: " ens verum „* . „ 282

Obiectiones solvuntur . . . . . „ 294

Quaestio Septima. — DE BONO TRANSCENDENTALI.

THES. I.ª — 1° *Bonum et ens sunt idem secundum rem: 2° sed differunt secundum rationem* . . . . . „ 298

Obiectiones solvuntur . . . . . „ 299

THES. II.ª — 1° *Ens secundum rationem est prius quam bonum; 2° verum quoque absolute loquendo prius est ratione quam bonum* . . . . . „ 301

THES. III.ª — *Omne ens, in quantum est ens, est bonum* . . „ 302

THES. IV.ª — *Bonum habet rationem causae finalis* . . . . „ 303

Obiectio solvitur . . . . . „ *id.*

Thes. V.ª — *Ratio boni, secundum quod consistit in perfecto esse, consistit etiam in modo, specie et ordine* . . . . Pag. 303
Thes. VI.ª — 1° *Bonum, in quantum est idem subiecto cum ente, dividitur per decem praedicamenta;* 2° *secundum vero propriam rationem dividitur, non per oppositas res, sed per oppositas rationes, in bonum honestum, delectabile et utile;* 3° *ut analogum in propria analogata* . . . . „ 304
Quaestio Octava. — De Malo. — Praenotandum. . . . . „ 305
Thes. I.ª — *Malum non significat aliquod esse, aut aliquam naturam, sed meram absentiam boni* . . . . . „ *id.*
Obiectiones solvuntur. . . . . „ 306
Thes. II.ª — *Ad perfectionem universi pertinet ut bona dentur quae possunt deficere, et ideo malum invenitur in rebus* . „ 308
Obiectiones solvuntur. . . . . „ *id.*
Thes. III.ª — *Malum est in bono tanquam in subiecto* . . . „ 310
Obiectiones solvuntur. . . . . „ *id.*
Thes. IV.ª — *Licet malum corrumpat totum bonum sibi oppositum, non tamen corrumpit bonum, quod est subiectum ipsius, nec totum bonum, quod est habilitas subiecti* . . „ 311
Obiectiones solvuntur. . . . . „ 312
Thes. V.ª — *Omne malum in rebus voluntariis consideratum, aut est poena aut est culpa* . . . . . „ 313
Obiectiones solvuntur. . . . . „ *id.*
Thes. VI.ª — *Plus habet de ratione mali culpa quam poena* . „ 314
Obiectiones solvuntur. . . . . „ 315
Thes. VII.ª — 1° *Malum non potest habere causam per se;* 2° *habet tamen causam per accidens;* 3° *nempe bonum* . „ *id.*
Obiectiones solvuntur. . . . . „ 317
Thes. VIII.ª — *Malum causatur ex bono in quantum bonum est deficiens et per accidens; sed prima causa reducitur ad secundam* . . . . . „ *id.*
Thes. IX.ª — *Voluntas est causa mali:* 1° *in quantum fertur in aliquid, quod est bonum secundum quid, sed habet coniunctum quod est simpliciter malum;* 2° *in quantum ipsa ut principium actionis, habet coniunctum aliquem defectum, nempe defectum conformitatis cum regula legis divinae* . „ 319
Obiectiones solvuntur. . . . . „ 322

TRACTATUS QUARTUS.

De Praedicamentis in genere.

Introductio . . . . . „ 324
Quaestio Prima. — De Substantia.
Thes. I.ª — *Substantia, quae a substando vel a subsistendo dici-*

tur, bene definitur definitione essentiali : " Res, cuius quidditati debetur esse in se et non in alio „ vel (accipiendo tamen esse ut quid realiter distinctum ab essentia) " Ens per se subsistens „. . . . . . Pag. 324

Obiectiones solvuntur . . . . . „ 326

THES. II.ª — *Substantia praedicamentalis bene definitur definitione descriptiva : " Id quod substat accidentibus „* . . . „ 327

Obiectiones solvuntur . . . . . „ *id.*

THES. III.ª — 1° *Illa sola substantia ponitur in praedicamento, cuius quidditas est realiter ab esse distincta ;* 2° *Talis autem est omnis creata substantia ;* 3° *Unde non solum substantiae corporeae sed etiam spirituales veniunt sub praedicamento substantiae* . . . . . „ 328

THES. IV.ª — *Praecipuae partitiones substantiae praedicamentalis sunt :* 1° *prima et secunda ;* 2° *completa et incompleta ;* 3° *simplex et composita* . . . . . „ 330

THES. V.ª — *Proprietates substantiae sunt :* 1° *non esse in subiecto ;* 2° *significare hoc aliquid ;* 3° *non habere contrarium ;* 4° *non suscipere magis et minus ;* 5° *esse susceptivum contrariorum ;* 6° *praedicari univoce de inferioribus.* „ 331

Quaestio Secunda. — DE SUPPOSITO.

THES. I.ª — 1° *Suppositum bene definitur : " subsistens distinctum „ ;* 2° *persona vero : " rationalis naturae individua substantia* . . . . . „ 332

THES. II.ª — 1° *In substantiis compositis ;* 2° *iisdemque tantum, suppositum denominative sumptum differt secundum rem a natura communi speciei ;* 3° *non tamen ab ea realiter distinguitur ;* 4° *suppositum autem formaliter sumptum, in omnibus creatis differt secundum rem a natura singulari ;* 5° *non tamen ab ea realiter distinguitur ;* 6° *quare suppositum et natura nunquam dicenda sunt differre, ut plura realiter differentia* . . . . . „ 335

Obiectiones solvuntur . . . . . „ 344

THES. III.ª — *Hinc suppositum et persona dici non debent constitui per aliquid negativum* . . . . . „ 351

Obiectiones solvuntur . . . . . „ 352

THES. IV.ª — 1° *Suppositum non constituitur in sua ratione per modum substantialem, sive hic ponatur terminare ipsam naturam et ipsam reddere susceptivam actus essendi ;* 2° *sive dicatur advenire naturae iam actuatae per esse* . . . . „ 353

Quaestio Tertia. — DE ACCIDENTE IN GENERE.

THES. I.ª — *Accidens praedicamentale bene definitur : " ens in alio „ vel " entis ens „ ita tamen ut intelligatur : " Res*

seu quidditas cui competit habere esse in alio tanquam in subiecto „ . . . . . Pag. 355
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 357
Thes. II.ª — *Accidens neque rationem completae essentiae habet, neque pars completae essentiae est, sed sicut est ens secundum quid, ita et essentiam secundum quid habet* . . „ *id.*
Thes. III.ª — *In rebus creatis dantur accidentia realiter distincta a substantia* . . . . . „ 358
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 359
Thes. IV.ª — *Accidentia realia constant non solum propria essentia, sed etiam proprio esse distincto realiter ab esse substantiae, quod tamen est esse secundum quid ipsius substantiae* . . . . . „ 360
Thes. V.ª — *Accidens praedicamentale ex subiecto individuationem habet, ex quo habet unitatem et multiplicitatem* . „ 361
Thes. VI.ª — *Accidens proprium et per se causatur a subiecto secundum quod est in actu, et in eo recipitur in quantum est in potentia; accidentis vero extranei subiectum est merum susceptivum, causa vero est agens extrinsecum* . „ *id.*
Thes. VII.ª — *In accidentibus oportet ut primum genus sumatur ex ipso modo essendi, secundum quod ens diversimode secundum prius et posterius de decem generibus praedicatur; differentiae vero in eis sumuntur ex diversitate principiorum ex quibus causantur* . . . . . „ 363
Thes. VIII.ª — *Quamvis non possint accidentia naturaliter esse sine subiecto; tamen infallibiliter certum est, et probatur non repugnare, quod quaedam accidentia virtute divina extant separata a proprio subiecto* . . . . . „ 365
Thes. IX.ª — *Quamvis naturaliter — accidentis non sit accidens — ut dicit Phil., tamen quando accidenti datur divinitus ut per se sit, potest etiam per se alterius accidentis subiectum esse* . . . . . „ 366
Thes. X.ª — *Accidens respectu novem generum non est univocum sed analogum* . . . . . „ *id.*

TRACTATUS QUINTUS.

De Causis.

Introductio . . . . . „ 367
Quaestio Prima. — De Causis in communi.
Thes. I.ª — *Causa prout ad omnem modum causalitatis ana-*

logatur, bene definitur: " id, quod influit esse in aliud „ vel " id ad quod sequitur esse alterius „ . . . . . Pag. 367

Thes. II.ª — *Causa differt realiter a principio, a conditione, et ab occasione* . . . . . „ 368

Thes. III.ª — *Principium causalitatis, quod sic effertur: "Quidquid fit, vel quidquid incipit esse, causam sui habet „ est omnino indubium et reale* . . . . . „ 369

Thes. IV.ª — *Recta est causae divisio in quattuor genera, in materialem scilicet, formalem, efficientem et finalem* . . „ 371

Thes. V.ª — *Quidquid proprie ac simpliciter habet rationem cuiusque causae — ex quatuor generibus — nonnisi analogice convenire potest cum proprio et proportionato effectu, h. e. respectu illius rationis, cuius est proprie causa* „ 373

Thes. VI.ª — *Unaquaeque determinata causa non potest habere nisi unum specificum effectum; qui ab alia causa specie diversa nullo modo esse potest* . . . . . „ 374

Obiectiones solvuntur . . . . . „ *id.*

Thes. VII.ª — *Omnis effectus iugiter ac necessario in suo esse pendet a propria causa: h. e. ablata causa, tollitur effectus* „ 375

Thes. VIII.ª — *Quod attinet prioritatem causae prae effectu, causa semper habet prioritatem naturae, non autem semper temporis* . . . . . „ 377

Quaestio Secunda. — De Causis materiali et formali.

Thes. I.ª — 1° *Materia quae est: " principium potentiale „ et forma quae est: " principium actuale „ sunt verae causae; 2° earum autem causalitas essentialiter consistit in mutua communicatione propriae entitatis* . . . . . „ *id.*

Thes. II.ª — *Exemplaris causa vocatur forma extrinseca, quae scilicet informat materiam, ut quidam loquuntur, non inhaesive seu compositive, sed imitative* . . . . . „ 378

Thes. III.ª — 1° *Causa exemplaris bene definitur: " forma ad cuius imitationem aliquid fit ex intentione agentis determinantis sibi finem „ seu " forma ad quam respiciens artifex operatur „; 2° est autem vere causa; et 3° magis proprie reducitur ad causam formalem* . . . . . „ 379

Quaestio Tertia. — De Causa efficiente.

Thes. I.ª — *Causa efficiens bene definitur ab Aristotele (2 Physic. c. 3) " id unde primum principium est motus „ seu unde incipit seu profluit motus tanquam a principio extrinseco* „ 381

Thes. II.ª — *Causa efficiens dividitur in causam: 1° per se et per accidens; 2° principalem et instrumentalem; 3° primam et secundam; 4° universalem et particularem; 5° univocam et aequivocam; 6° totalem et partialem; 7° naturalem seu necessariam et liberam; 8° proximam et remo-*

tam; 9° mediatam et immediatam; 10° praeparantem, perficientem, adiuvantem et consiliantem; 11° physicam et moralem . . . . . Pag. 381

Thes. III.ª — 1° *Actu agere est propria causae efficientis causalitas; 2° resultantia autem, qua quaedam procedunt ab alio, reducitur ad genus causae efficientis* . . . . . „ 384

Thes. IV.ª — *Irrationalis est opinio, quae entibus creatis activitatem denegat* . . . . . „ 385

Thes. V.ª — 1° *Oportet omne agens coniungi ei, in quod immediate agit; scilicet actio in distans repugnat;* 2° *Substantia autem creata non potest esse immediate operativa* . . . „ 386

Thes. VI.ª — 1° *Quamvis quaelibet actio sit suppositi, tanquam eius, " quod „ operatur et cui attribuuntur omnes actiones, tamen* 2° *est potentiae operativae accidentalis tanquam principii " quo „ proximi;* 3° *et formae substantialis ut primi principii remoti " quo „ radicalis;* 4° *cuius etiam est esse principalem virtutem ad productionem substantiae, seu ad inductionem formae substantialis in materiam, ad quod formae accidentales concurrunt ut formae substantialis veluti instrumenta quae agunt in virtute ipsius.* . „ 387

Quaestio Quarta. — De Causa Instrumentali.

Thes. I.ª — *Causa instrumentalis reduplicative ut instrumentum est, bene definitur " movens motum „* . . . . . „ 389

Thes. II.ª — *Instrumentum dividitur in naturale, artificiale et supernaturale* . . . . . „ *id.*

Thes. III.ª — 1° *Instrumento competit duplex actio, una quam habet ex propria natura, alia quam habet prout est motum a primo (h. e. principali) agente;* 2° *Actio instrumenti prout instrumentum est, non proportionatur propriae eius virtuti, sed virtuti principalis agentis* . . . . . „ 391

Thes. IV.ª — *Operatio, quae est rei solum secundum quod movetur ab alio, non est alia praeter operationem moventis ipsam* . . . . . „ 392

Thes. V.ª — *Idem effectus totus attribuitur instrumento et totus etiam principali agenti* . . . . . „ 393

Thes. VI.ª — *Instrumentum tamdiu ab agente principali moveri intelligitur, quandiu retinet virtutem ab illo impressam* . „ *id.*

Thes. VII.ª — 1° *Effectus respondens actioni propriae instrumenti, est prior in via generationis quam effectus respondens principali agenti;* 2° *Hinc repugnat instrumentum creationis* . . . . . „ *id.*

Thes. VIII.ª — 1° *Virtus instrumentalis est fluens et incompleta in esse naturae;* 2° *quare nihil prohibet in corpore esse virtutem spiritualem instrumentaliter, in quantum*

scilicet corpus potest moveri ab aliqua substantia spirituali ad aliquem effectum spiritualem inducendum; 3° Virtus instrumentalis non est proprie loquendo in aliquo genere sed reducitur ad genus et speciem virtutis perfectae . . Pag. 394

Thes. IX.ª — *Virtus instrumentalis acquiritur instrumento ex hoc ipso quod movetur ab agente principali* . . . . . „ 395

Thes. X.ª — *Eadem numero vis principalis agentis instrumentaliter invenitur in omnibus instrumentis ordinatis ad effectum, prout sunt quodam ordine unum* . . . . . „ *id.*

Quaestio Quinta. — De Causa Finali.

Thes. I.ª — *Causa finalis bene definitur: " Id cuius gratia aliquid fit „ seu " Id, propter quod aliud fit „* . . . . . „ 326

Thes. II.ª — *Finis veram habet causae realis rationem; imo in ordine causandi, finalis dicenda est prima* . . . . . „ 398

Thes. III.ª — 1° *Causalitas finis in actu primo, seu id quo habet ut causet, seu possit causare, est ipsa finis bonitas; 2° secundum suum esse reale et non secundum suum esse apparentem; 3° licet non possit causare nisi sit apprehensa* „ *id.*

Thes. IV.ª — *Causalitas finis in actu secundo, seu ipsa eius causatio, est ipsum appeti aut desiderari ab agente* . . „ 399

Quaestio Sexta. — De Causis inter se comparatis.

Thes. I.ª — *Ordo nobilitatis: 1° est finis: 2° agens; 3° forma; 4° materia* . . . . . „ *id.*

Thes. II.ª — 1° *Si comparentur causae cum effectu, causae intrinsecae sunt minus nobiles quam effectus; 2° causae vero extrinsecae sunt nobiliores effectu; 3° quod vero attinet ordinem in causando 1° est causa finalis; 2° agens; 3° causa materialis; 4° causa formalis* . . . . . „ 400

Thes. III.ª — *Axioma illud " causae sunt sibi invicem causae „ intelligi debet de causis sibi invicem correspondentibus, materiali scilicet et formali seorsim, efficienti et finali seorsim* . . . . . „ *id.*

Thes. IV.ª — *Impossibile est quod duae causae completae eiusdem ordinis sint immediate unius rei; bene tamen potest idem effectus produci a pluribus causis partialibus, vel a pluribus causis totalibus diversi ordinis* . . . . . „ 401

Appendix A. — *Circa univocationem entis relate ad individua eiusdem speciei* . . . . . „ 403

„ **B.** — *De Vero transcendentali* . . . . . „ 405

Index Rerum . . . . . „ 409

„ Auctorum . . . . . „ 433

VIRGINI DEIPARAE.

QUAE TIBI SINT, VIRGO, TU PROTEGE SEMINA VERI

NOBIS FALLACI NON PERITURA VIA.

LIBER SECUNDUS

Metaphysica Generalis

METAPYSICA GENERALIS

INTRODUCTIO.

1. De Metaphysicae praestantia. Plurima de Metaphysicae praestantia dici possent, quippe quae omnibus scientiis supereminet, cunctis sublimior. Attingamus quae habet S. Thomas in prooemio commentarii in Metaphysicam Aristotelis. " Sicut docet philosophus in politicis suis, quando aliqua plura ordinantur ad unum, oportet unum eorum esse regulans sive regens, et alia regulata sive recta „. Hoc autem inducendo ostendit sive in unione animae ad corpus, sive etiam in habitudine virium animae ad invicem. Tum subdit: " Omnes autem scientiae et artes ordinantur in unum, scilicet ad hominis perfectionem quae est eius beatitudo. Unde necesse est quod una earum sit aliorum omnium rectrix quae nomen sapientiae recte vindicat. Nam sapientis est alios ordinare. „ Haec autem esse debet, quae maxime intellectualis est (intellectu enim aliquis est ad regendum idoneus). " Haec autem est, quae circa maxime intelligibilia versatur. „ Maxime autem intelligibilia ea haberi debent, quae sunt primae causae (scientia quippe est per causas), itemque principia maxime universalia, (quae sunt ens et ea, quae consequuntur ad ens) et ea, quae sunt maxime a materia separata (scilicet non solum a materia signata sed omnino a materia sensibili, et non solum secundum rationem sicut mathematica, sed etiam secundum esse sicut Deus et intelligentiae). Ergo scientia, quae de istis est, utpote maxime intellectualis, censeri debet *aliarum omnium Rectrix, Princeps ac Domina.* " Considerare autem

primas causas, et principia universalissima, et maxime immaterialia non debet attribui diversis scientiis, sed uni et eidem, quia primae causae sunt maxime *universales,* et a materia separatae seu *immateriales.* „ Praedictae substantiae *separatae* sunt *universales,* et primae *causae* essendi. Eiusdem autem scientiae est considerare *causas proprias alicuius generis et genus ipsum.* Unde oportet quod ad eamdem scientiam pertineat *considerare substantias separatas, et ens commune. Hoc enim est subiectum in scientia cuius causas et passiones quaerimus, non autem ipsae causae alicuius generis quaesiti. Nam cognitio causarum alicuius generis est finis ad quem consideratio scientiae pertingit.*

Quamvis autem subiectum huius scientiae ens commune sit, dicitur tamen tota de his, quae sunt separata a materia secundum esse et rationem, quia secundum esse et rationem separari dicuntur, non solum illa, quae nunquam in materia esse possunt, sicut Deus et intellectuales substantiae, sed et illa, quae possunt sine materia esse, sicut ens commune : hoc enim non contingeret si a materia secundum esse dependerent. Secundum igitur tria praedicta ex quibus perfectio huius scientiae attenditur sortitur tria nomina. Dicitur enim *scientia divina,* sive Theologia, in quantum praedictas substantias considerat. Metaphysica in quantum considerat *ens et ea quae consequuntur ipsum.* Haec enim trans physica inveniuntur in via resolutionis, sicut magis communia post minus communia. Dicitur autem *Prima Philosophia,* in quantum primas rerum causas considerat. Sic igitur patet quid sit *subiectum huius* scientiae et qualiter se habeat ad alias scientias, et quo nomine nominetur. „

2. Metaphysica est scientia. — Imo, ut Philosophus eam nominat, " *Scientiarum divina* „ (vers. ant. *scientiarum Dea*) et omnium scientiarum nobilissima.

Probatur. Scientia est cognitio rerum per causas (1. *Post.*). Atqui Metaphysica non solum rerum per causas cognitionem habet, sed rerum omnium et per altissimam causam. Ergo non solum scientia est, sed scientiarum nobilissima. Quippe qualis est ordo effectuum, talis est ordo causarum, sed nullus effectus est prior ente, ergo nulla causa prior ipsa causa entis in quantum est ens, prima autem causa Deus est ; ergo Metaphysica, quae

speculatur de ente, eius inquirens causas, divina scientia est et scientiarum altissima. [1]) — A reliquis autem scientiis in hoc differt quod non solum de conclusionibus est, sed etiam de principiis ipsis habet speculationem.

3. Metaphysica est una scientia. — 1.° Quia omnia quae considerantur in Metaphysica veniunt sub una ratione formali obiecti. " Est enim unitas potentiae vel habitus consideranda secundum obiectum, non quidem materialiter, sed secundum rationem formalem obiecti „ (1ª. p. q. 1°. a. 3°.) et sic conveniunt in uno esse scibilis.

2.° " Una scientia est quae est unius generis subiecti „ (Aris. I *Post.* c. 38). Atqui Metaphysica est de uno genere subiecto, scilicet de ente. Ergo est una scientia.

4. Metaphysica est scientia speculativa. — Nam considerat ea quae non sunt operabilia a nobis, puta ens ut ens et superiores causas; et haec considerat definiendo et disputando non ordinando ad opus, et tota ordinatur ad veritatis cognitionem, nam inter scientias speculativas est maxime gratia sui. (1.° *Met.* c. 1). Item scientia practica omnis est vel activa vel factiva. Atqui neutrum competit Metaphysicae. Ergo non est practica. Est autem scientia. Ergo speculativa.

5. Metaphysica est sapientia. — *Praenota:* Habitus intellectuales *speculativi* tres sunt: Sapientia, scientia et intellectus. " Virtus intellectualis speculativa est per quam intellectus speculativus perficitur ad considerandum verum: hoc enim est bonum opus eius (virtus perficit potentiam in ordine ad opus bonum) Verum autem est dupliciter considerabile: uno modo sicut per se notum; alio modo sicut per aliud notum. Quod autem est per se notum, se habet ut principium. (Cf. dicta de criteriis) et percipitur statim ab intellectu; et ideo habitus perficiens intellectum ad huiusmodi veri considerationem vocatur intellectus qui est habitus principiorum. Verum autem quod est *per aliud* notum, non statim percipitur ab intellectu sed per inquisitionem rationis, et se habet in ratione termini „: Quod quidem potest esse dupliciter: uno modo ut sit ultimum in aliquo

---

[1]) Cf. S. Th. 1. *Post.* l. 4.; 1ª. p. q. 45 a. 4 et 5; *de Pot.* q. 3. a. 4.

genere: alio modo, ut sit ultimum respectu totius cognitionis humanae (h. e. ad quod pertingit humana cognitio). Et quia ea quae sunt posterius nota quoad nos, sunt priora et magis nota secundum naturam ut dicitur 1.° *Phys.*, ideo id quod est ultimum respectu totius cognitionis humanae est id quod est primum et maxime cognoscibile secundum naturam. Et circa huiusmodi est sapientia quae considerat altissimas causas, ut dicitur in 1.° *Metaph.* c. 1°. et 2°. Unde convenienter iudicat et ordinat de omnibus, quia iudicium perfectum et universale haberi non potest nisi per resolutiones ad primas causas.

Ad id vero quod est ultimum in hoc vel in illo genere cognoscibilium perficit intellectum scientia; et ideo secundum diversa genera scibilium sunt diversi habitus scientiarum, cum tamen sapientia non sit nisi una. „ (III p. q. 57 a. 1. c.) Et ad 1.m sic habet: " dicitur quod sapientia est quaedam scientia in quantum habet id quod est commune omnibus scientiis, ut scilicet ex principiis conclusiones demonstret. Sed quia habet aliquid proprium supra alias scientias, in quantum scilicet de omnibus iudicat, et non solum quantum ad conclusiones, sed etiam quantum ad prima principia; ideo habet rationem perfectioris virtutis quam scientia. „ Et ad 2.m ait quod " si quis recte consideret, istae tres virtutes non ex aequo distinguuntur ab invicem, sed ordine quodam: sicut accidit in totis potentialibus, quorum una pars est perfectior altera, sicut anima rationalis est perfectior quam sensibilis, et sensibilis quam vegetabilis. Hoc enim modo scientia dependet ab intellectu sicut a principaliori; et utrumque dependet a sapientia sicut a principalissimo, quae sub se continet et intellectum et scientiam, ut de conclusionibus scientiarum diiudicans et de principiis earumdem. „ Q. 57. a. 2. in Ia. IIae.

6. Probatur. I°. Scientia propria est sapientia quae speculatur de his in quibus cognoscendis est ultimus terminus totius cognitionis humanae. Atqui metaphysica de talibus speculatur. Ergo Metaphysica est sapientia.

Probatur minor. Metaphysica enim quaerit causas entis in quantum ens est; causa autem entis in quantum est ens est prima omnium causa qua non est altera prior; tanto autem ali-

quid posterius est in cognitione nostra quanto secundum naturam prius est et notius. Ergo Metaphysica speculatur de iis in quibus cognoscendis est ultimus terminus totius cognitionis humanae.

II°. Idem probat Aristoteles ex opinione quam omnes homines habent de sapiente. Nempe illum putamus dici debere proprie ac simpliciter sapientem, *qui sciat omnia,* ut possibile est, h. e. non quidem in singulari, cum singularia sint infinita sed in universali; item qui sciat *cognitu difficilia;* item *qui de his quae scit habeat certitudinem maiorem quam alii;* et qui magis possit docere, causas rerum proprias assignans. Item inter scientias, illam quae suae ipsius gratia quaeritur, magis esse sapientiam quam illam quae aliorum gratia quaeratur, et magis censemus sapientiam esse principaliorem quam ei subministrantem. — Atqui haec quae de sapiente et de sapientia communiter homines censent ac sentiunt, in Methaphysica omnia concurrunt. Ergo.

7. Metaphysica censenda est Sapientia.

Probatur Minor per partes. I.° Per Metaphysicam aliquis *scit omnia,* scit enim maxime universalia, quibus omnia subiiciuntur. II.° *Difficillima,* quia ea quae a sensibus maxime remota sunt, utpote maxime universalia. III.° *Metaphysica est maxime certa,* quia pauciora in sui consideratione tractat, cum non habeat obiectum suum ex additione sicut ceterae scientiae. [1]). IV.° *Est magis apta ad docendum* quia docet causas primas omnium causarum, scire autem est per causas, et docere est scientiam in aliquo causare. V.° *Est magis per se elegibilis;* quia scientiarum maxima, et omnis homo naturaliter scire desiderat. IV.° Demum se habet ad ceteras scientias *ut principalis et architectonica,* quia considerat causam finalem omnium, seu bonum totius universi, quod est optimum in natura (I. *Met.* l. 2 et proem. in l. 2,

[1]) Nota quod licet Metaphysica se extendat ad omnia, est tamen ex paucioribus quia *universale comprehendit quidem plura in potentia sed pauciora in actu:* tanto autem aliqua scientia est *certior,* quanto ad sui subiecti considerationem pauciora actu consideranda requiruntur. Unde scientiae operativae sunt incertissimae, quia oportet quod considerent multas singularium operabilium circumstantias.

Met.). VII.º *Metaphysica est de rebus a materia et motu separatis.* Quia est de ente. Ens autem et substantia esse separata dicuntur a materia et motu, non quia de eorum ratione sit esse sine materia et motu sed quia de ratione eorum non est in materia et motu esse, quamvis *quandoque* sint in materia. Sicut de ratione animalis non est esse rationale, quamvis quandoque sit.

8. **Dices:** Non considerat Metaphysica etiam materiam et motum?

R: Ut entia *C.* ut talia *N.* — Item considerat sensibilia et materialia solum quatenus entia sunt: et sic est de tali subiecto de cuius ratione non est quod sit in materia.

9. **Quodnam ergo est proprium subiectum Metaphysicae?**

R. Ens in communi. Sed hic pluribus quaestionibus locus est. Quamvis enim intellectus noster se extendat ad omne ens; primum quod intellectus intelligit *est ens prout concernit quidditatem rei materialis:* quaeri ergo potest, an Metaphysica sit de ente prout se extendit ad omnia, vel prout concernit quidditatem rei materialis. Et debere accipi prout concernit quidditatem rei materialis, confirmari videtur ex dictis. Quaerit enim Metaphysica causas entis in quantum est ens, sed ens prouti se extendit etiam ad increatum, causam non habet. Iterum dicebatur cum S. Thoma quod omnes substantiae separatae, se habent ad ens ut causae quaesiti generis: atqui causae entis prout concernit etiam substantias separatas, nequeunt esse ipsae substantiae separatae. Ergo videretur dicendum quod Metaphysica sit de ente prout ens concernit quidditatem rei materialis quo nomine veniunt et omnes substantiae materiales et ipsa novem genera accidentium. Quod insuper confirmatur ex eo quod Aristoteles non semel repetit quod scilicet Metaphysica est de ente quod dividitur per decem genera, intelligendo hoc cum exclusione separatarum substantiarum.

Verum si hoc dicatur, alia erit ex alio capite difficultas, si enim Metaphysica considerat ens prout concernit quidditatem rei materialis quod est proprium objectum humani intellectus, quomodo dicitur tota esse de his quae abstrahunt a materia etiam secundum esse; si ens illud de quo tamquam de subjecto est Metaphysica, secundum esse est materiale? — Sed iterum

huic opponi potest quod si etiam solum in rebus materialibus Metaphysica speculatur rationem communem entis, per hoc ipsum speculatur aliquid quod non solum per intellectum a materia praescindit, sed quod etiam sine materia inveniri potest et de facto invenitur : sicut si quis de triangulo specularetur in isoscele, specularetur de aliquo quod sine ratione isoscelis non solum cogitari sed etiam esse potest.

Ut refert P. Fonseca *(Met.* L. IV. c. 1. q. 1.) auctores in quinque sententias abierunt. 1ª. *opinio* est eorum qui dicunt solum Deum esse subiectum huius scientiae : quia tota dicitur Thelogia, et quia omnes fatentur eam esse praestantissimam, ergo de praestantissimo. Item quia tota est de causis simpliciter primis, solum autem Deus est prima causa efficiens, exemplaris, finalis omnium. Item quia Metaphysica a Theologia supernaturali non distinguitur nisi secundum differentiam luminis naturalis vel supernaturalis.

2ª. *opinio* asserit, *substantiam separatam* esse huius scientiae subiectum quia nonnisi per hoc, scientia haec ab aliis distinguitur. Sic enim distinguuntur tres contemplativae scientiae, quia obiectum *Physicae* non est abstractum a materia, *nec re, nec ratione ; Mathematicae* obiectum est abstractum, *ratione sed non re ; Metaphysicae et re et ratione.* Sola autem substantia separata est abstracta re et ratione.

3ª. *opinio* statuit *substantiam in communi* esse huius scientiae subiectum ; scilicet substantiam prout complectitur tum materialem tum immaterialem et prout etiam analogatur ad divinam. De accidentibus enim non agit Metaphysica nisi ut de substantiae affectionibus. Nullum enim subiectum praedicatur, inquiunt, de suis affectionibus et tamen ens commune praedicatur de accidentibus. Ergo ens commune non est subiectum Metaphysicae, sed ens quod significat substantiam.

4ª. *opinio* asserit subiectum esse *ens* non ita tamen late sumptum ut Deum complectatur, sed ea ratione dumtaxat. qua comprehendit ea quae reperiuntur in praedicamentis : atque hoc est ens finitum quod praedicamentale vocant. — *Rationes :* a) quia ens ut commune Deo et creaturis, nequit habere causam; bene autem ut dividitur per decem praedicamenta. At in hac

scientia, ut ait Aristoteles, quaeruntur causae entis in quantum est ens: b) secus Deus haberet principia et passiones; c) aliquid esset ipso Deo prius natura; d) Aristoteles cum dixisset subiectum huius scientiae esse ens ut ens, deinde illud divisit in decem praedicamenta. Ergo accipit ens *pro solo ente finito*. Addunt tamen huius opinionis Auctores, non propterea se excludere Deum a consideratione huius scientiae. Fatentur enim in hac scientia vel maxime agi de Deo; ceterum non agi de illo ut de re, quae contineatur sub eius subiecto, sed ut de prima illius causa [1]) (Fonseca l. c.).

5ª. *opinio* (quam amplectitur P. Fonseca) est quod subiectum Metaphysicae sit ens commune prout se extendit ad omnia, ad Deum scilicet et creaturas, substantiam et accidens (si vis adde etiam ens reale et rationis). Rationes: a) quia illud est primum et adaequatum subiectum huius scientiae, cui primo conveniunt primae et maxime generales passiones, seu proprietates, quae in eo demonstrantur, seu unum, verum, bonum, etc., quae profecto competunt Deo et creaturis; b) quia ens commune Deo et creaturis potest cognosci naturali lumine, et pertinere non potest ad particulares scientias, ergo ad hanc; c) in hac scientia specialiter agitur *ut de subiecto* proprio tum de ente, quod dividitur per decem genera, tum de Deo, ut in 12 *Met.* Ergo etc.

10. *Quid dicendum.* — Ad recte statuendum quodnam sit subiectum Metaphysicae, iuvat considerare quomodo procedat Metaphysicus in suis investigationibus. Ante omnia speculatur *de ente* quid significet, et quomodo ad omnia prorsus se extendat; deinde demonstrat quod ad ens consequuntur, ut passiones entis communes, unum, verum, bonum etc. (de quibus erit nobis singillatim aliquid determinandum suo loco). Sic procedens determinat de ente in tota sua communitate, quamvis nesciret adhuc ab illo communissimo descendere ad singula sub ipso contenta. Scit tamen quod ens non est ratio univoca, sed analoga, et quod omnis passio analogi, analoga est. Unde statuere potest quod, sicut unumquodque est ens suo modo, ita

---

[1]) Huius sententiae est e. g. P. Alamanni.

suo modo est res, aliquid, bonum, verum, unum [1]). Porro probatio, qua Metaphysicus haec de ente demonstrat, valet prorsus de omni ente, tam de increato quam de creato, tam de substantia quam de accidente, quamvis de unoquoque suo modo. Ergo ex his patet quod *subiectum Metaphysicae est ens prout ad omnia prorsus se extendit.*

Sed nondum quiescit Metaphysicus: altius assurgens, causas entis incipit investigare. Quaerit scilicet utrum detur causa entis in quantum est ens, sicut datur causa calidi in quantum calidum est; quaerit causam primam motus, primam causam distinctionis in entibus, causam ordinis universi, primam causam efficientem, exemplarem, finalem. Dum haec inquirit, non ignorat quod causa ipsa entis, quam invenire conatur, aliquo modo erit ens; quod enim ens non est, nihil est: et si causa entis non esset ens, deberet simul esse et non esse, quod est apprime absurdum. Inter ipsa entia ergo Metaphysicus quaerit causam entis, an scilicet sit aliquod ens, quod sit causa reliquorum entium, in quantum sunt entia. Et in hoc nulla est contradictio, quia, cum ens dicatur analogice et non univoce, et significet rationes simpliciter et absolute diversas in diversis, nihil prohibet quod possit dari aliquod ens tam perfectum, ut sit causa omnium reliquorum entium, quibuscum nihil habet commune nisi ratio analoga entis, inquantum etiam ipsum est aliquid, cui competit esse. Tamen Metaphysicus in istis inquisitionibus, cum opponat ens enti, recedit ab illa absoluta communitate, secundum quam inquirebat passiones omni prorsus enti communes; nam ens, cuius quaeruntur causae, non potest esse omne ens absolute, sed omne ens finitum. Quando autem invenit et demonstravit dari aliquod ens quod sit causa ceterorum, non insumit tempus in demonstrando quod istud, quod *aliquo modo* est ens, debet etiam esse *aliquo modo* unum, etc., cum iam demonstraverit hoc de omni prorsus ente; sed quaerit *quonam modo* sit ens, et postea ex hoc demonstrat propria ipsius, vel *modum proprium,* quo illi competunt communia entis.

---

[1]) Determinandum erit suo loco quaenam ex his habendae sint ut passiones entis, et quaenam non.

Ex his patet quomodo recte Metaphysica possit dici tum scientia, tum Sapientia. Commune enim cum reliquis scientiis habet quod ex principiis conclusiones demonstret; sed proprium hoc habet super alias scientias, quod consideret altissimas causas, et propter hoc vocatur Sapientia. In quantum talis est, habet etiam quod speculetur non solum conclusiones, quas ipsa demonstrat, sed insuper principia omnium aliarum scientiarum, quarum proinde omnium rectrix et domina est.

Ad altissimas autem causas rerum investigandas, non immediate assurgit Metaphysicus, cum hoc non sit possibile ob debilitatem intellectus nostri: prius speculamur ens commune in rebus materialibus, deinde ex istarum cognitione ascendimus gradatim ad considerationem rerum immaterialium, denique in cognitionem ipsius Dei, Primae rerum omnium Causae, pervenimus. Cum hoc assecuti simus, tunc quaerimus ea, quae Deo et substantiis separatis propria sunt; et horum omnium consideratio maxime pertinet ad Metaphysicam, utpote scientiarum omnium altissimam [1]).

11. Quomodo ad Metaphysicam se habet naturalis Theologia. Ex his quae modo dicebamus patet quod, si unice demonstrarem passiones communes omni enti, quamvis verum esset quod obiective loquendo, illae de Deo verificarentur suo modo, tamen de Deo nihil proprie scirem aut demonstrarem. Cum autem demonstro assurgendo ex effectibus dari causam entis in quantum est ens, seu primum aliquod ens, quod sit omnium causa, omnia quae de ipso demonstro, demonstro ut de prima

---

[1]) Adverte tamen quod cum primum instituitur consideratio entis in communi et eius passionum, non est necesse scire *quaenam* sint ea omnia, ad quae se extendit ens, licet oporteat scire quod ens ad omnia se extendit: sic v. g. optime possum cogitare de ente ut sic, quin sciam quod detur aliquod ens et secundum esse et secundum rationem abstractum et separatum a materia. Et hoc contingit etiam de rationibus univocis: nam v. g. optime possum cogitare et habere cognitionem perfectam de animali, quin mihi nota sint omnia, ad quae se extendit ratio animalis; alioquin perdifficilis esset, et fere impossibilis cognitio perfecta etiam unius rationis univocae.

causa entis. Non enim alio modo Deus naturaliter a nobis cognoscitur, quam secundum habitudinem causae efficientis, finalis, exemplaris totius universi eiusque ordinis, et per modum excellentiae vel remotionis (I. p. q. 13. a. 1). Et quae de eo demonstrantur non sunt communia omni enti sed propria primae causae. Theologia ergo naturalis ad Metaphysicam pertinet in quantum quaerit altissimas causas totius entis finiti; causam finalem, efficientem, exemplarem, universalem causam motus, primam causam distinctionis in rebus et ita porro.

Naturalis nostra cognitio a sensu principium sumit. Unde tantum naturalis nostra cognitio se extendere potest, in quantum manuduci potest per sensibilia. Ex sensibilibus autem non potest usque ad hoc intellectus noster pertingere quod divinam essentiam videat; quia creaturae sensibiles sunt effectus Dei, virtutem causae non adaequantes. Unde ex sensibilium cognitione non potest tota Dei virtus cognosci, et per consequens nec eius essentia videri. Sed quia sunt effectus a causa dependentes, ex iis in hoc perduci possumus, ut cognoscamus de Deo an est, et ut cognoscamus de ipso ea quae necesse est ei convenire, *secundum quod est prima omnium causa excedens omnia sua causata.* Unde cognoscimus de ipso *habitudinem ipsius ad creaturas, quod scilicet omnium est causa;* et differentiam creaturarum ab ipso; quod scilicet ipse non est aliquid eorum quae ab eo causantur; et quod haec non removentur ab eo propter eius defectum, sed quia superexcedit. (En viam causalitatis, remotionis et superexcellentiae quibus semper Deum ut causam primam cognoscimus, et secundum ea quae primae omnium causae necesse est competere).

Ex his ergo habes quod Theologia naturalis ad Metaphysicam se habet in quantum sapientia est, et de altissima causa speculatur, non enim aliter naturali cognitione Deum cognoscere possumus, quam ut primam omnium causam. Quae autem propria sunt Primae Causae, Metaphysica non determinat determinando communiter de omni ente, sed specialissimo modo, quamvis quando communiter probat de omni ente quod sit res, aliquid, unum, verum, bonum, determinet de aliquo quod suo modo ad omnia prorsus se extendit, per modum tamen rationis

in singulis simpliciter diversae. — Et via remotionis et superexcellentiae, qua ascendimus ad consideranda ea quae non pertinent vel pertinent ad primam causam, reducuntur ad viam causalitatis, in quantum intelligimus quod nullum ex praedicatis propriis effectuum eius ad ipsam pertinere potest eo modo quo talia sunt in effectibus, omnia vero superexcellenter in prima causa praeexistere debent, quae in quibuscumque eius effectibus reperiuntur, qui et effectus sunt, et causae virtutem non adaequant.

12. An pertineant ad considerationem Metaphysicae quaedam alia, ut unum et multa, potentia et actus, etc. — De *uno* patebit cum demonstrabitur eius habitudo ad ens; si autem ad ipsam spectat determinare de uno, etiam de multis; et consequenter de speciebus unius, ut sunt *idem, aequale, simile;* et de oppositis speciebus pluralitatis, quae sunt *diversum, inaequale, dissimile* etc. — Cfr. II. Metaph. c. II. et l. 5. — Et generatim de omnibus communibus quae ad omnia extenduntur pertinet ad Metaphysicam determinare, quia ut ait Philosophus de communibus possunt plures moveri dubitationes, et tales dubitationes non pertinent ad ullam ex scientiis inferioribus. Sic de *eodem* et *diverso, simili* et *dissimili, aequali* et *inaequali, negatione, privatione, de priori* et *posteriori, de contrariis, de genere* et *specie, toto* et *parte,* et huiusmodi agit Metaphysica (de his agit Aristoteles praes. lib. 5). De *actu* autem et *potentia* videbimus quod se habent ad ens ut principia: unde patet eorum considerationem ad metaphysicam pertinere; praesertim cum et ipsa communiter se habeant ad omnia. — Et ex hoc quod est scientiarum omnium humanarum suprema, caeteras omnes regulans et regens, ut dictum est pluries, ad eam pertinet determinare de his ipsis unde aliae scientiae principia demonstrationum assumunt. Et etiam, ut diximus, disputare potest contra negantes (oretenus) ipsa prima principia communissima, si aliquid concedant.

13. An ad Metaphysicam pertineat determinare de quidditate. Respondeo affirmative, scilicet de modo quo unicuique competat habere quodquid est, v. g. materialibus, immaterialibus, substantiis, accidentibus etc., de habitudine essentiae ad

existentiam; etiam de particularibus quidditatibus, ut quidditates sunt. (Cfr. dicenda ubi de Praedicamentis).

Ut hoc melius intelligatur, dicendum est, quod ad nullam scientiam particularem pertinet determinare vel ostendere de proprio subiecto quodquid est, et dicere de eodem quod sit vel non sit, ut explicat S. Th. in 6 *Metaph.* l. 1. Et ratio est quia omnes scientiae particulares sunt circa unum aliquod particulare genus entis, ut circa numerum vel magnitudinem, et tractat ita de hoc subiecto quod non de alio. Nulla enim determinat de ente in communi nec de aliquo particulari ente in quantum est ens, ut Aritmetica non tractat de numero in quantum est ens, sed in quantum est numerus. " De quolibet autem ente in quantum est ens, proprium est Metaphysici considerare. Et quia eiusdem est considerare de ente in quantum est ens — et de eo quodquid est — idest de quidditate rei, quia unumquodque habet esse per suam quidditatem, ideo etiam aliae scientiae particulares nullam mentionem, idest determinationem faciunt de eo — quodquid est — idest de quidditate rei, et definitione quae ipsam significat. Sed ex hoc idest ex ipso quodquid est ad alia procedunt, utentes eo quasi demonstrato principio ad alia probanda. Ipsum autem quodquid est sui subiecti aliae scientiae faciunt esse manifestum per sensum, sicut scientia, quae est de animalibus, accipit quid est animal per id quod apparet sensui, idest per sensum et motum quibus animal a non animali discernitur. Aliae vero scientiae accipiunt quodquid est sui subiecti per suppositionem ab aliqua alia scientia, sicut Geometria accipit quid est magnitudo a Philosopho primo. Et sic ex ipso quodquid est noto per sensum, vel per suppositionem, demonstrant scientiae proprias passiones, quae secundum se insunt generi subiecto circa quod sunt: nam definitio est medium *demonstrationis propter quid*..... Et sicut nulla scientia particularis determinat quodquid est, ita etiam nulla eorum dicit de genere subiecto, circa quod versatur: *est* aut *non est*. Et hoc rationabiliter accidit quia eiusdem scientiae est determinare quaestionem *an est* et manifestare quid est, oportet enim quodquid est (saltem quid est quod significatur per nomen) accipere ut medium ad ostendendum an est. Et

utraque est consideratio philosophi, qui considerat ens in quantum ens. Et ideo quaelibet scientia particularis supponit de subiecto suo *quia est* et *quid est,* ut dicitur in 1° *Poster.* Et hoc est signum quod nulla scientia particularis determinat de ente simpliciter, nec de aliquo ente in quantum est ens „ l. c. " Advertendum est autem quod licet ad considerationem primae Philosophiae pertineant ea, quae sunt separata secundum esse et rationem a materia et motu, non tamen solum ea, sed etiam de sensibilibus in quantum sunt entia Philosophus perscrutatur, nisi forte dicamus, ut Avicenna dicit, quod huiusmodi communia de quibus haec scientia perscrutatur dicuntur separata secundum esse, non quia semper sint sine materia, sed quia non de necessitate habent esse in materia, sicut (habent) mathematica „.

14. Per quas causas demonstrat Metaphysica. Respondeo — Praecipue per causam formalem, finalem et efficientem. Cum enim sit altissima scientiarum, omnesque alias ordinans ac regens, debet procedere maxime per illam causam quae est quodammodo causa omnium aliarum; haec autem est finalis. — Similiter, ex eo quod est de primis causis, et de maxime scibili et maxime certo, debet prae aliis considerare causam *formalem* quae maxime intrinseca est, et maxime faciens scire unumquodque (Cfr. dicta de demonstratione). Circa generationes autem et transmutationes maxime dicimur aliquid scire quando cognoscimus principium motus. Unde per causam efficientem Metaphysica maxime procedere debet. (Cfr. 3 *Metaph.* l. 4 et 5 — 1 *Phys.* l. 1 — 3 *Phys.* tex. 6 sqq.).

Idem probari potest ex his quae Metaphysica considerat. Considerat autem ens ut ens; quidquid autem est, aut est forma aut habens formam, per quam in ordine entis primo constituitur, ut demonstrabimus suo loco. Ergo Metaphysica quae est de ente, maxime considerare debet causam formalem. — Et quia ultimus finis est primum Movens Immobile, et primum unde motus est, est causa efficiens, ideo ad Metaphysicam maxime pertinet considerare causam finalem et efficientem. — Causam vero materialem ut sic, Metaphysica non considerat, quia ut sic, est causa solum determinati generis h. e. entis mobilis ut mobile

est. — Considerat autem materiam ut ens est. — Considerat aliquo modo etiam causam materialem quatenus coincidit cum potentia passiva, quae non est solum in ente mobili ut sic, et latius patet quam materia, sicut et actus quam forma (Opus. 70. q. 5. a. 4 c. et ad 4); nam actus et potentia numerantur inter abstracta a materia secundum esse et rationem. Ergo Metaphysica quattuor genera causarum considerat et per illa demonstrat; sed praecipue per tria.

Aggrediamur ergo magna cum alacritate sapientiae studium, quo nullum perfectius, sublimius, utilius et iucundius, ut expendit S. T. C. G. l. 1. c. 2.; ut possimus et nos dicere: " *Veritatem meditabitur guttur meum, et labia mea detestabuntur impium* „. Et unusquisque de Societate verba illa Hilarii sibi applicare deberet, quae S. Doctor sibi hic applicat: " Ego hoc vel praecipuum vitae meae officium debere me Deo conscius sum, ut Eum omnis sermo meus et sensus loquatur „. *De Trin.* I. 37.

Tractatus I.us

De Ente in communi.

QUAESTIO PRIMA.

De notione Entis.

THESIS I.a — 1° Ens comunissimum, quod proprie definiri non potest, 2° bene exhibetur per hoc quod dicitur: id cui competit esse, id quod habet esse, id cuius actus est esse; et significat essentiam hoc est naturam quamlibet formaliter in quantum pertinet ad ordinem essendi.

15. Probatur 1a pars. — Ens proprie definiri non potest, cuius ratio est quia definientia oportet esse notiora definito: prima autem ratio, quae a nobis apprehenditur, et omnium notissima, est ens. Ergo ens definiri non potest cum nihil sit notius ente, per quod eius propria ratio notificetur.

Probatur 2ª pars. — Ens de quo est Metaphysica tamquam de proprio subiecto, cuius quaerit passiones, est ens quod commune de omnibus dicitur. Atqui primum quod de unoquoque dicitur, est quod unumquodque sit aliquid quod est vel esse potest, datur de facto vel dari potest, existit vel existere potest; quod exhibetur per hoc quod de quolibet dicitur quod sit " Aliquid cui competit esse „. Ergo ens de quo agit Metaphysica bene exhibetur per hoc quod dicitur " *id cui competit esse* „ vel " *id quod habet esse* „ vel " *id cuius actus est esse* „.

Declaratur 3ª pars. — Ad huius evidentiam oportet animadvertere:

1° quod ens, ut per se patet, est nomen concretum; concretum autem, ut alibi dictum est, significat formam et connotat subiectum.

2° Adverte quod ens est participium a verbo *sum, es, est.* Participium autem potest sumi *in vi participii* et *in vi nominis.* In *vi participii* significat aliquid per modum actionis et passionis et sic in *actu exercito,* ut dicunt; in *vi nominis* significat formam non in actu exercito, sed *signate* seu in *actu signato,* sicut significat nomen eidem correspondens v. g. *cursus* [1]).

3° Adverte quod nomen ens consequenter semper ab essendo sumitur, sed tamen non semper adhibetur ad significandum hoc quod est esse seu existere. Distinguere enim oportet id *ad quod significandum* nomen imponitur, et id *a quo nomen* imponitur seu id *unde desumitur nomen ad aliquid significandum.* Quandoque haec duo coincidunt in idem, quandoque autem non coincidunt. Celebre est exemplum quod solet afferri de lapide, quod exemplum optime explicat rem, quidquid sit de veritate ethimologiae, esset enim puerile in hoc sistere. Supponamus quod hoc nomen " lapis „ impositum sit a laesione pedis, tamen profecto non est impositum ad *significandam ipsam pedis laesionem,* sed substantiam aliquam, quae sic denominatur, desumpto nomine a laesione pedis, quam causat quandoque, et sic nomen

---

[1]) Posses etiam addere quod participium sic nominaliter sumptum potest sumi *adiective* vel etiam *substantive*, ut accidit v. g. in hoc nomine Omnipotens.

" *lapis* „ in casu significabit substantiam illam, cum *quadam habitudine* tamen *ad laesionem pedis,* quae laesio non est directe significata per nomen, sed connotata ut id per respectum ad quod nomen est impositum, et sic nomen significabit unum cum quadam proportione seu habitudine ad aliud.

4° Hic autem attende quod, ut nuper dictum est nomen "*ens*„ quod semper *ab essendo* imponitur, non tamen semper imponitur *ad significandum hoc quod est esse* seu existere. Verum quandoque eius formale significatum est hoc ipsum quod est *esse* seu existere : quandoque e contra, hoc quod est esse seu existere, est solum *connotatum* ab hoc nomine " *ens* „ tamquam id, *a quo hoc nomen desumitur,* et non est id, *ad quod significandum* imponitur ; sed illud, ad quod significandum imponitur, est aliquid quod ad esse habet habitudinem aliquam, quod proinde hoc nomine *significatur quidem* ut *quod significatur,* non tamen significatur *absolute,* sed cum quadam habitudine seu proportione ad illud unde desumitur nomen entis, quod, ut dictum est supra, ab essendo desumitur.

5° Considera iterum quod unumquodque *secundum formam suam* seu *essentiam* et *naturam suam* habet habitudinem ad esse : quod habet in se naturam aliquam, illud est quod existit, et propria forma, essentia vel natura uniuscuiusque est ratio illa, secundum quam unicuique competit esse (ut explicabitur ubi de actu et potentia). Sic autem acceptum ens — et sic accipi debet, secus non importaretur ens quod de omnibus comunissime dicitur — optime exhibetur per hoc, quod dicitur " *id quod habet esse* „ vel " *id cui competit esse* „ : significat enim essentiam rei in ordine ad esse.

6° Pro quo ulterius advertendum est quod, si *ens* sumatur *nominaliter* et *connotative,* h. e. in *vi nominis,* et ita quidem ut esse non sit eius significatum, sed solum id, per ordinem ad quod aliquid nomen entis suscipit, (ita ut *esse* sit solummodo *connotatum*), tunc in nomine entis *habemus duas connotationes,* alteram vi concretionis — concretum enim nomen semper connotat subiectum, in quo sit forma per nomen significata — ; alteram huius quod est esse quod connotatur ut id, per ordinem ad quod nomen entis desumitur. Praeter has autem duas con-

notationes oportet attendere proprium nominis *significatum.* Id autem quod nomine entis significatur, cum sumitur *nominaliter connotative,* est *ipsa* essentia, uniuscuiusque; unde bene notat Ferrariensis (in cap. 25. l. 1°. C. G.), quod abstractum huius nominis *ens,* cum sic sumitur, est *essentia,* quae est secundum quod alicui competit esse, et significat naturam cum habitudine ad esse; remanente scilicet connotatione eius a quo desumitur nomen, non vero connotatione subiecti, quod non connotatur in abstractis. Dum contra si *ens* sumeretur prout significat hoc ipsum quod est existere, eius abstractum esset *existentia.* Hoc vero quod dico " *id cui competit esse* „ utramque connotationem exhibet: " *subiecti* „ per hoc quod dicitur " *id cui* „; et ipsius *esse* per hoc quod dico " *competit esse* „; et potest valere etiam pro ente, ut significat hoc quod est existere, inquantum, etiam sic sumptum, exhibet ratione concretionis subiectum, cui inest hoc quod est esse seu existere, quo in casu tamen, scilicet quando ens sumitur ut *significans* esse, non est mere connotatum, sed significatum [1]).

Breviter: Ens potest sumi *participialiter* vel *nominaliter;* ita ut eius significatum formale sit esse, vel essentia, et esse sit mere connotatum, ut id a quo desumitur nomen. Iamvero *ens,* de quo hic sermo est, illud est quod significat essentiam desumpto nomine ab esse, scilicet ens sumptum *nominaliter connotative,* ut dici solet: *nominaliter,* i. e. non participialiter; *connotative,* i. e. non ad significandum hoc quod est esse, sed ad significandam essentiam, ita ut hoc quod est esse sit mere connotatum, ut id a quo nomen entis desumitur. Vi tamen concretionis connotat etiam subiectum: *unde illud, quod per prius* ens dicitur, et *de quo primo* ens praedicatur, est *suppositum* habens naturam secundum quam ei esse competit. Tot ergo entia sunt quot supposita, neque in uno supposito, simpliciter multa esse possunt entia, nisi inquantum ens analogatur etiam ad acci-

---

[1]) Cf. etiam S. Th. *De Veritate* q. 21. a. 4. in quo habet haec: — bonitas est bona — unitas est una — et — *essentia est ens.*

dentia, quae sunt entis entia, et faciunt esse tantum secundum quid illud cuius sunt accidentia [1]).

16. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Si ens suppositum importat, praedicari non potest. Atqui quod praedicari non possit ens, absurdum est. Ergo.

Resp. *D.M.* Si ens suppositum importaret, dum fungeretur munere praedicati, praedicari non posset *C. seq. M.*; secus *N. seq. M.* — *C.m.* — *N.C.*

Ad huius rei evidentiam considerare oportet quomodo se habeat hoc nomen " *ens* „ cum subiicitur, et cum praedicatur. Cum enim subiicitur nisi substet praedicato secundae intentionis, *supponit* pro omni habente naturam aliquam, secundum quam habet habitudinem ad esse, et *stat pro suppositis:* cum vero praedicatur, circa subiectum praedicationis de quo dicitur, ponit unice naturam aliquam, secundum quam ei (subiecto) competat esse. Et quandoquidem hoc quod est *esse* ingreditur omnem praedicationem, cum praedico de aliquo quod *est,* quod *est* vivens, quod *est* animal, quod *est* homo, in omnibus praedicationibus semper ens praedicatur, et omnia reliqua praedicata accipiuntur ex additione ad ens, quatenus *modum aliquem essendi* determinant; aliud enim est *esse hominem,* et *esse leonem,* et *esse album,* ut magis declarabitur infra. Et ens quod, ut dicemus, est primum quod de unoquoque intelligimus, *est ultimum utpote, universalissimum, de quo tanquam de subiecto determinatur.* Quo enim scientia de universaliori est, eo est nobilior et altior, et in addiscendo posterior. Quo item aliquid universalius est, eo indeterminatius et confusius est, et relate ad intellectum nostrum,

---

[1]) Cf. S. Th. *Opusc. de Ente et Essentia*: 1ª p. q. 48. a. 2. ad 2m.; in 1m. Dist. 19. a. 1. ad 1m.; *contr. gent.* lib. 3º. c. 9. in fine: de Potª. q. 7. a. 2. ad 1m. — Circa quod ulterius notandum est, quod cum dicitur ens esse id cui competit esse, cuius actus est esse, praecisio fieri debet ab hoc, quod esse ei competat actu, vel solum potentia; non enim ea tantum, quae actu existunt, dicimus entia, sed omnia, de quibus intelligimus non repugnare esse. Quomodocumque enim aliquid non repugnet esse, iam de eo dicere possumus, quod sit aliquid, cui competit esse, scilicet ens. Satis igitur constat, ens quod de omnibus universalissime dicitur, recte vocari id cui competit esse, seu id quod habet esse, seu id cuius actus est esse.

qui procedit de potentia ad actum ordine quodam, in addiscendo et in intelligendo prius. Cum ergo praedicatum exhibeat intellectum, illud exhibet primum intellectum, quod de unoquoque intelligimus et primum quod de omnibus praedicamus, quod exhibet rationem maxime indeterminatam, confusam et universalem. Cum e contra subiectum propositionis exhibeat ipsam rem, de qua intelligimus quodquid intelligimus, *subiecta prima,* de quibus quaerimus, sunt ipsa singularia in sua ipsa singularitate exhibita. — Ex dictis ergo patet quod *esse* est suppositorum, quae proprie ipsa sunt, quibus competit esse, ipsa quae habent esse, ipsa quorum actus est esse, et proinde ipsa sunt *entia ;* id vero secundum quod eisdem *esse* competit est forma aliqua vel *natura.* Unde sicut quando dico : " *homo est animal* „ " *homo* „ *stat pro supposito* habente naturam ; cum vero dico : " *Petrus est homo* „ " *homo* „ *stat* pro natura : eodem modo, cum ens subiicitur, *stat* pro *supposito ;* cum praedicatur, stat pro *natura,* accepta non *absolute,* sed ut determinata ab essendo : significatio tamen nominis *eadem* semper est ; suppositio enim non mutat propriam significationem, quae absolute spectatur.

Ob. 2ª. Agentes de demonstratione diximus quod principium demonstrationis est definitio subiecti. Sed hic dicimus quod ens definiri non potest. Ergo de ente demonstratio nulla institui potest, et consequenter non potest esse ulla scientia de ente in quantum est ens.

Resp. *C.M.* – *D.m.* Et tamen habet quamdam simplicem conceptionem intellectus, quae explicat aliquo modo *quod quid est C.m. ;* secus *N.m.* — *D.C.* Si neque haberet quamdam simplicem conceptionem intellectus *C.C. ;* secus *N.C.* — Quamvis ens et generatim omnia transcendentia ut genera generalissima non habeant proprie definitionem, tamen, ut ait S. Thomas (V. *Metaph.* l. 3.) habent quamdam simplicem conceptionem intellectus, quae ratio dici potest, et explicat aliquo modo quod sit illud de quo passiones quaeruntur, et sic exhibet quidditatem. Demonstratio enim a priori quandoque habet medium, quod est vere et realiter causa inhaerentiae passionis ad subiectum, de quo demonstratur : quandoque autem habet medium, quod non est vere et realiter causa passionis ; sed est tantum medium

secundum actionem, in quantum dicit rationem quamdam priorem ratione eius, quod accipitur ut passio, et est ratio quod talis passio insit subiecto. Prima demonstratio requirit quod medium sit vera definitio constans ex genere et differentia, quia passionis determinatae vera causa est quidditas et essentia rei: nam proprietates generis non substantis alii generi non sunt a natura illius generis realiter causatae, cum generi non conveniat esse, nisi secundum quod per differentias limitatur ad speciem. — Secunda autem demonstratio non requirit pro medio veram definitionem, sed sufficit quod sit aliqua conceptio intellectus prior ordine quodam essentiali ratione passionis, et complete explicans naturam subiecti [1]).

Ob. 3ª. Ens non dicitur solum de creaturis sed etiam de Deo. Sed Deus non est aliquid, cui competat esse, verum est ipsum esse. Ergo non bene ens dicitur id cui competit esse.

Resp. *D.M.* Ens dicitur etiam de Deo, secundum *id quod significatur C.M.;* secundum *modum significandi N.M.* — *C.m.* — *N.C.* — In nominibus, quae dicuntur de Deo et de creaturis, duo sunt distinguenda, scilicet perfectio significata, et modus significandi. Quanto ad modum significandi, talia nomina semper conveniunt per prius creaturis quam Deo. Quidquid enim a nobis significatur, oportet, ut significetur secundum modum, quo a nobis concipitur; nam res non significatur nisi mediis conceptionibus, ut patet ex logica. Omnia autem quae concipimus, sic concipimus ut creaturis conveniunt, non autem proprie secundum modum, quo perfectio aliqua competit Deo. Semper itaque id, quod de Deo dicimus, secundum modum significandi oportet quod proprie non competat Deo, sed creaturis. Quantum autem ad perfectionem significatam, quaedam sunt, quae de Deo et de creaturis dicimus, quae significant perfectiones ita ut in ipso significato nominis includatur imperfectus modus, quo a creaturis participatur divina perfectio, ut *leo, lapis, ratio, cogitatio.* Et huiusmodi nomina non possunt tribui Deo, nisi metaphorice. Quaedam autem sunt, quae significant perfectiones ipsas absolute, absque hoc, quod aliquis imperfectus modus participandi

---

[1]) Cfr. Ferrariensem l. c.

includatur in eorum significatione; ut *ens, bonum, vivens,* et huiusmodi. Et talia proprie dicuntur de Deo [1]). — Hoc igitur nomen *ens,* quod accipitur pro *eo cui competit esse,* si consideratur modus significandi, non convenit proprie Deo, sed tantum creaturis. Nam significat hoc modo, quod *esse* intelligatur aliud ab *essentia,* quae dicitur id cui competit esse. Quare, attento modo significandi, Deus non deberet dici *ens,* sed *supra omne ens,* vel *esse* [1]). Si vero in nomine *entis* consideratur perfectio significata, scilicet essentia secundum quod ordinem habet ad esse, ens proprie dici potest de Deo. Est enim Deus summa quaedam res seu essentia, quae ordinem habet ad esse per identitatem cum suo esse. Hoc autem quod dico ens, secundum modum significandi non valet exprimere essentiam, cuius ordo ad esse est *identitas cum suo esse.* Sed quantum ad id quod significat, bene extendi potest ad denotandum etiam essentiam, quae ipsa est suum esse, seu id cui competit esse per identitatem. Ens igitur quod dicitur de Deo et de creaturis (licet solum per analogiam, sicut infra dicetur) bene exhibetur hac quasi descriptione: *id cui competit esse.*

THESIS II.ª — Quamvis solus Deus dici debeat ens per essentiam, reliqua vero solum participative sint entia, quatenus tamen essentiale accidentali opponitur, ens dici debet praedicatum omnibus essentiale, exhibens uniuscuiusque essentiam per comparationem ad esse.

17. **Praenotandum.** Quandoque hoc quod dicitur " *essentialiter* „ vel " *essentiale* „ opponitur huic quod est " *accidentaliter* „ vel " *accidentale* „. Quandoque autem e contra opponitur huic quod est " *participative* „. Porro omnis creatura dicitur ens *participative* et sic debet negari quod ulla creatura sit essentialiter seu per essentiam ens, quatenus " *essentialiter* „ opponitur huic quod est " *participative* „. Si vero hoc quod dico " *essentialiter* „ opponitur huic quod est " *accidentaliter* „ tunc dici debet quod ens praedicatur de creatura essentialiter et non accidentaliter. Ubi tamen notandum est quod hoc asseritur hic de ente prout

---

[1]) Cf. S. Th. 1. p. q. 13. a. 3 et 6.

[2]) Cf. S. Th. op. 42 *De natura generis* c. 1.

significat essentiam connotando existentiam, ut supra in thesi prima explicatum est.

18. Probatur. Illud dicimus praedicatum essentiale quod non est accidentale. Sed essentia uniuscuiusque, quam exhibet nomen ens, non est praedicatum accidentale. — Quod valet etiam de ipsis accidentibus ; sicut enim color v. g. essentialiter est qualitas, ita essentialiter est ens — quamvis, ut explicabimus, omnino aliter quam substantia — ens enim est praedicatum analogum. Non tamen est praedicatum essentiale ad modum generis vel differentiae, ut patebit ex inferius dicendis : est enim ratio analoga, quae in singulis inferioribus diversa existit, solum essentiale est quatenus significat essentiam rei. — " Hoc nomen ens secundum quod importat rem cui competat esse, significat essentiam rei et dividitur per decem genera „ Quodl. 2. a. 3.

19. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Ens dicitur etiam de privationibus. Atqui privationes essentiam non habent. Ergo ens non est praedicatum omnibus essentiale.

Resp. *D.M.* Ens dicitur etiam de privationibus, secundum quod ens significat veritatem compositionis ac proinde solum importat veras esse propositiones significantes privationes esse *C.M.* ; secundum quod significat essentiam rei uti in propositione sumitur *N.M.* — *Cdm.* Non habent essentiam, et tamen vera est propositio significans talia esse *C.m.* ; non habent essentiam, et etiam non est vera propositio significans talia esse *N.m.* — *D.C.* Non est praedicatum omnibus essentiale, prout ens significat veritatem compositionis *Tr.* ; non est praedicatum omnibus essentiale, prout ens significat essentiam rei *N.C.* Explico : ens dupliciter dicitur, uno modo secundum quod significat essentiam rei, et sic convertitur cum re, alio modo secundum quod significat veritatem compositionis, et hoc est ens quo respondetur ad questionem *an est* ; et hoc modo malum et omnes privationes esse dicuntur, quatenus vera est propositio significans talia esse ; caecus enim revera et caecus, seu vere carens forma sibi debita ; quamvis talia essentiam non habeant secundum quam competat eis esse. Audiatur S. Thomas *De Ente et Essentia* cap. 1. " Sciendum est quod, sicut Philosophus dicit in 5 Metaph., ens per se dicitur dupliciter : uno

modo, quod dividitur per decem genera; alio modo, quod significat propositionum veritatem. Horum autem differentia est, quia secundo modo potest dici ens omne illud de quo affirmativa propositio formari potest, etiamsi illud in re nihil ponat: per quem modum privationes et negationes entia dicuntur: dicimus enim quod affirmatio est opposita negationi, et quod caecitas est in oculo. Sed primo modo non potest dici aliquid quod sit ens nisi quod in re aliquid ponat; unde primo modo caecitas et huiusmodi non sunt entia. Nomen igitur *essentiae* non sumitur ab ente secundo modo dicto: aliqua enim dicuntur hoc modo entia, quae essentiam non habent, ut patet in privationibus; sed sumitur essentia (abstractum entis) ab ente primo modo dicto. Unde Commentator, in eodem loco dicit: " Ens primo modo dictum est quod significat substantiam rei „. Et quia, ut dictum est, ens hoc modo dictum dividitur per decem genera, oportet quod essentia significet aliquod commune omnibus naturis per quas diversa entia in diversis generibus et in diversis speciebus collocantur: sicut humanitas est essentia hominis, et sic de aliis. Et quia illud per quod res constituitur in proprio genere vel specie, est quod significamus per definitionem indicantem quid est res; inde est quod nomen essentiae a philosophis in nomen quidditatis mutatur; et hoc est quod Philosophus in 7 *Metaph.* frequenter nominat quod quid erat esse; idest hoc per quod aliquid habet esse quid. Ex dictis habes ergo quid hic veniat nomine essentiae, unde derivatur dictio *essentiale* praedicatum [1]). Consideratio autem haec non est ita levis momenti ut esse videtur. Ex hoc duplici modo accipiendi ens quem distinxit accurate Aristoteles, S. Thomas solvit difficultates, quae moventur in variis quaestionibus, v. gr. in Summa Theologica 1. p. q. 48. a. 2°. ad obiectionem: " Ens et res convertuntur. Si ergo malum est ens in rebus, sequitur quod malum sit res quaedam „. Respondet: " quod sicut dicitur in V. *Met.* ens dupliciter dicitur: uno modo secundum

[1]) Cf. etiam S. Th. 1. p. q. 3. a. 4. ad 2m. — et q. 48 a. 2. ad 2m. et C. G. l. 3. c. 9. ad 6; et *Metaph.* l. 5. lec. 9; 1. D. 19. q. 5. a. 1.

quod significat entitatem rei, prout dividitur per decem praedicamenta. Et sic convertitur cum re. Et hoc modo nulla privatio est ens: unde nec malum. Alio modo dicitur ens quod significat veritatem propositionis, quae in compositione consistit, cuius nota est hoc verbum *est*. Et *hoc est ens quo respondetur ad quaestionem an est*. Et sic caecitatem dicimus *esse* in oculo, vel quamcumque aliam privationem. Et hoc modo etiam malum dicitur ens. Propter huius autem distinctionis ignorantiam, aliqui considerantes quod aliquae res dicuntur malae, vel quod malum dicitur *esse* in rebus, crediderunt quod malum esset res quaedam „. Hoc modo dicendi ens, respondetur ad quaestionem an est: si enim quaero: Titius *an est* caecus? respondeo: est caecus; scil. vere caecus est. Ergo vere est habens formam aliquam? imo vere caret aliquo sibi debito: et non est caecus per fictionem mentis, sed vere caecus est; et sic etiam malum vere est in rebus, nec tamen est essentia aliqua, seu aliqua res, sed privatio aliqua quae reapse datur in rebus.

Hoc modo omnino in alia materia solvit 1. p. q. 3. a. 4 hanc obiectionem, quae ibi est secunda. " De Deo scire possumus an sit..... Non autem..... quid sit. Ergo non est idem esse Dei, et quidquid est eius „. " Respondeo dicendum quod esse dupliciter dicitur: uno modo significat *actum essendi*, alio modo significat *compositionem propositionis quam anima adinvenit* coniungens praedicatum subiecto. Primo igitur modo accipiendi esse non possumus scire *esse Dei, nec eius essentiam*, sed solum secundo modo (possumus scire esse Dei): *scimus enim quod haec propositio, quam formamus de Deo, cum dicimus: Deus est, vera est:* et hoc scimus ex effectibus „. (Vides quod non agitur mere de entibus rationis, nec de rebus parvi momenti).

Ob. 2ª. Haec copula " est „ vel " esse „ semper significat veritatem propositionis — nam etiam cum dico: " homo est animal „ veram propositionem dico. — Ergo non est verum quod ens habeat duplicem significationem.

Resp. *D.A.* Et tamen aliquando ponit aliquid in re, et aliquando nihil ponit in re *C.A.;* et semper etiam ponit aliquid in re *N.A.* — *N.C.*

Sciendum est autem, ait S. Th. 5. *Metaph.* l. 9, quod iste secundus modus (entis) comparatur ad primum (ad ens dictum ut communiter sumitur in Metaph.) sicut effectus ad causam. Ex hoc enim quod aliquid in rerum natura *est,* sequitur veritas et falsitas in propositione quam intellectus significat per hoc verbum *est* prout est verbalis copula. Sed *quia aliquid quod in se non est, intellectus considerat ut quoddam ens,* sicut negationem et huiusmodi, ideo *quandoque dicitur esse de aliquo hoc. secundo modo et non primo.* (De aliis ergo utroque modo). Dicitur enim quod caecitas est secundo modo ex eo quod vera est propositio qua dicitur aliquid esse caecum, non tamen dicitur quod sit primo modo vera. Nam caecitas non habet aliquod esse in rebus sed magis est privatio alicuius esse. Deinde etiam advertit quod esse *secundo modo* est de *praedicato accidentali,* quia accidit alicui rei quod aliquid de ea vere affirmetur intellectu vel voce „. Et 1. p. q. 16. a. 5 ad 3m obiicit: " Si in Deo sit veritas (ut in causa omnis veri) omne verum erit ab ipso. Sed aliquem peccare est verum. Ergo hoc erit a Deo, quod patet esse falsum „ et respondet: " Respondeo dicendum quod *non est* et privationes non habent ex seipsis veritatem (transcend.) sed *solum* in apprehensione intellectus. *Omnis autem apprehensio intellectus a Deo est.* Unde quidquid est veritatis in hoc quod dico: istum fornicari est verum, totum est a Deo. Sed si argumentor: ergo istum fornicari est a Deo, est fallacia accidentis „. Quod enim non est ens, non est verum ut sic. — Et ibid. a. 7. ad 4m solvens obiectionem, qua concludebatur veritatem exstitisse antequam esset, concedit quod " nunc verum est dicere veritatem illam *tunc* non fuisse. Quod quidem non est verum nisi veritate quae nunc est in intellectu nostro; non autem per aliquam veritatem (etiam solum transcend.) ex parte rei; *quia ista est veritas de non ente.* Non ens autem non habet ex se quod sit verum, sed solummodo ex intellectu apprehendente ipsum. Unde in tantum est verum dicere veritatem enunciabilium non fuisse, in quantum apprehendimus non esse ipsius ut praecedens esse eius „.

Hinc ut perstringamus: Manifestum est quod de caeco vere praedico quod caecus est. Atqui de aliquo dicere *est,*

vel *est tale* vel *tale,* est de ipso praedicare ens: Atqui iterum manifestum est quod caecitas non est ens eo modo quo hic communiter loquimur de ente, prout nempe significat essentiam aliquam per ordinem ad esse. Ergo oportet dicere quod ens aliquando alio modo dicitur praeter eum quo significat essentiam connotando esse. Hinc autem secundus modus dicendi ens *significat solum veritatem propositionis* seu quia verum est quod dicitur, non autem essentiam aliquam per ordinem ad esse, quia ens tali modo dicitur de non ente, de privationibus et huiusmodi. — Hoc autem *est ens quo respondetur ad quaestionem an est* praecise ut sic; quia aliud ens respondet ad quaestionem *quid est:* est enim primum quodquid, quod de omni intelligimus. Cum autem quaerimus de aliquo solum *an est,* non quaerimus *quid est.* Et sic vere dico Titio, quod caecus est; interroganti *an est* caecus. *Sic etiam si de aliquo realissimo, ut de Deo, demonstro solum quia est, non demonstro nisi quod vera est propositio quam formo cum dico: Deus est.*

THESIS III.[a] — **Cum ipsum esse sit actualitas omnium rerum, et etiam ipsorum actuum, nihilque actualitatem ullam habeat nisi in quantum est, ratio entis necessario se extendit prorsus ad omnia, unde respectu omnium est transcendens.** (Cfr. S. Th. 1. p. q. 4 a. 1. ad 3[m]).

20. Praenotandum. — In schola peripatetico-scholastica dicitur *ratio transcendens* illa quae omnia, ut ita dicam, intime pervadit, de omnibus omnino praedicatur et sic transcendit omnia, tamquam ratio secundum *modum nostrum intelligendi omnibus superior sub se continet tamquam inferiora omnia quaecumque sunt.* — Dixi, nota bene, secundum modum nostrum intelligendi: nihil enim datur *secundum rem* quod simplicius sit primo ente quod est Deus, et respectu cuius, Deus se habeat ut inferius quoddam quomodocumque; quantumvis inferius aliquod, ut homo, perfectius aliquid importet quodammodo prae omnibus superioribus rationibus quae in ipso accipiuntur. — Insuper, ut dicimus, ens, non est ratio simpliciter ab inferioribus praecisa.

21. Probatur. — Ratio, quae omnia intime pervadit, et de omnibus omnino praedicatur, et secundum nostrum modum in-

telligendi omnibus est superior, et omnia sub se continet tamquam inferiora quaecumque sunt, est transcendens. Atqui ratio entis est huiusmodi. Ergo ratio entis est transcendens.

Probatur minor. Ens, ut explicavimus, significat quidem uniuscuiusque quidditatem, non tamen absolute, sed per comparationem ad esse unde nomen entis desumitur. Hoc autem quod est esse — ut patebit ex dicendis de actu et potentia — ad omnia prorsus comparatur ut actus, non solum ad res omnes, sed etiam ad actus omnes, ita ut nihil actualitatem ullam habeat vel gradum actualitatis, nisi in quantum est. Unde de omnibus secundum omnia quae in ipsis attendi possunt, asseri debet quod sint aliqua quibus competit esse. Scilicet, ut ait S. Th. 1. p. q. 4. a. 1. ad 3m. " Ipsum esse est perfectissimum omnium: comparatur *enim ad omnia ut actus, nihil enim habet actualitatem nisi in quantum est;* unde ipsum esse est actualitas omnium rerum, et etiam ipsarum formarum. Unde non comparatur ad alia ut recipiens (potentia) ad receptum (actum), sed magis sicut receptum ad recipiens: cum enim dico: esse hominis, vel equi, vel cuiuscumque alterius, ipsum esse consideratur ut formale et receptum, non autem ut illud *cui competit esse* „. Recipientia e contra comparantur ad ipsum esse ut quibus esse competit, seu ut entia, et sic non quidem esse, sed ens respectu omnium est transcendens.

22. Nota. — 1a Adverte tamen quod quamvis de quolibet signato per rationem in ente uno per se, ens quodammodo praedicetur, non tamen in uno et eodem ens multiplicatur. Sed quia ratio unum et idem pluribus modis potest accipere et considerare, de unoquoque quod seorsim accipit et considerat, praedicat ens, quin tamen per hoc fiat entium multitudo in uno ente nisi forte secundum rationem, nisi agatur de principiis entis quae sunt entia solum ut *quibus* est unum ens, et non ut quae ipsa sint entia.

2a Adverte consequenter quod ens cum transcendat omnia, totum dicit quod in unoquoque est.

THESIS IV.a — Ens nequit importare rationem aliquam communem ab omnibus inferioribus simpliciter abstractam; sed tantum dici potest importare rationem abstractam secundum quid.

23. Praenotanda. — I° Quid sit abstrahere per intellectum rationem universalem superiorem ab inferioribus v. g. animal ab homine, bove et leone, scimus ex Logica.

II° Ut per se patet, — et magis patebit ex infra dicendis — ratio entis est prima, quae a nobis de unoquoque intelligitur, et hoc nomen ens, est primum quod de omnibus praedicatur, item ratio entis est ea cuius intellectus includitur in omnibus quae apprehendimus per intellectum in unaquaque re. Atqui intellectus noster non aliter intelligit quam abstrahendo intelligibile a sensibili ut dictum est. — Ergo hoc modo abstractionis qui importatur in omni cognitione nostra intellectiva, etiam ens dici debet abstractum. Unde ens non significat directe ipsum singulare, quod directe non intelligitur, sed primam rationem quam *de* unoquoque singulari et *in* unoquoque singulari intellectus apprehendit [1]).

24. Probatur 1ª pars. — *Non est ratio simpliciter abstracta:*

1° Ratio simpliciter abstracta non totum assumit. Atqui si ab ente uno per se, abstraho rationem entis, totum assumo quod ipsum est, non solum *materialiter* et *identice,* sed *sub* formali illa ratione quam abstraho. Ergo etc.

2° Ratio abstracta debet importare gradum aliquem obiectivum et non transcendere omnem rationem in eadem re conceptibilem. Atqui ratio entis non importat gradum aliquem obiectivum, et transcendit omnes rationes in eadem re conceptibiles per intellectum. Ergo ratio entis non est ratio simpliciter per intellectum abstracta.

3° Id a quo abstrahitur aliqua ratio oportet quod sit extra rationem et extra intellectum eius quod abstrahitur, sic e. g. rationale vel hinnibile est extra rationem animalis, quae abstrahitur per intellectum, et etiam est extra intellectum animalis ut est ratio abstracta. Atqui nihil esse potest extra rationem entis in aliqua re. Ergo ratio entis non potest esse ratio proprie abstracta et praecisa.

---

[1]) Cfr. S. Th. 1. p. q. 85. a. 1. ad 2.m in fine. Hic explicat quid sit abstrahere a materia *communi, signata, sensibili, intelligibili, individuali, intelligibili communi.*

4° Si totum hoc sumo secundum omnem rationem, non abstraho aliquid. Sed cum de hoc accipio ens, totum sumo secundum omnem rationem, h. e. uti iacet. Ergo etc.

5° Ratio simpliciter abstracta est ratio praecisa ad modum generis simpliciter dicti. Atqui ratio entis non est ratio abstracta seu praecisa ad modum generis simpliciter dicti ab aliis rationibus conceptibilibus per *intellectum* de eadem re; ens enim ita praedicatur de hoc homine, ut hic homo sit ens in quantum substantia et in quantum animal, et in quantum homo, quae omnia exhibent varias rationes de ipso conceptibiles per intellectum; et est ens etiam in quantum hic homo, quatenus id *de quo* ens intelligitur et praedicatur est ipsum singulare, quamvis in quantum *hic homo* proprie *sit hoc ens.* — Ergo etc.

Et hinc habes differentiam inter rationem *transcendentem* et *non transcendentem.* V. g. homo praedicatur de Petro, de Paulo, sed non ita quod secundum omnem rationem quam intellectus de Petro, v. g. accipere potest, Petrus sit homo. Non potest dici Petrus est homo in quantum substantia, et in quantum corpus, et est homo formaliter in quantum vivens, vel formaliter in quantum sentiens. Dum de ente haec dicere debes. Ex quibus colliges esse quamdam abstractionem quae non repugnat transcendentiae rationis alicuius intellectae, ea nempe quae necessario habetur in omni nostra cognitione intellectiva in statu coniunctionis, et quamdam quae repugnat.

6° Praeter abstractionem qua abstractum comparatur ad unum illud a quo abstrahitur, considerari potest abstractio formaliter in quantum consequenter ad eam habetur communitas; si enim per intellectum rationem aliquam abstraho ab omnibus notis essentialibus quibus in diversis diversificatur, ratio illa sic abstracta erit communis et comparatur ad sua inferiora ut ratio abstracta proprie universalis, et habebit unicum conceptum obiectivum in omnibus illis, ut de universalibus dictum est. — Atqui in analogis, ut est ratio entis, non est sic. Ergo etc.

Hinc considerare poteris *unitatem* illam secundum quid quam habet *conceptus analogus* relate ad sua inferiora, omnem

unitatem suam derivare ab uno illo ad quod omnia analogata dicunt proportionem secundum ordinem cognitionis et impositionis nominis, quippe illud necessario menti obversatur cum alia formaliter ut huic analoga et secundum proportionem ad hoc unum considerantur.

25. Nota. — Hinc patet quod ratio entis nullam notam aut gradum obiectivum, per modum absoluti importat, nam significat essentiam quamcumque, sine ulla tamen determinatione et insuper significat secundum comparationem ad esse unde nomen entis desumitur.

Tamen per modum proportionalitatis ad esse, importat quidquid est in singulis inferioribus.

Probatur 2ª pars. — *Est ratio abstracta secundum quid.*

Quamvis si ab ente uno per se, abstraham rationem entis *totum* assumam quod ipsum est non solum materialiter et identice, sed et formaliter, ut vidimus: tamen ratio entis utpote quae est omnium confusissima et universalissima, et quae nihil importat per modum absoluti et omnia per modum proportionalitatis ad esse, non exprimit proprium modum essendi, quem propria singulorum nomina exprimunt, ut substantia, accidens etc., et sic potest dici abstracta secundum quid, quia quaelibet res secundum quod obscurius vel distinctius exhibetur, dici potest quadantenus a seipsa distingui.

26. Nota. — Hic utile erit notare quod praecisio seu distinctio vel abstractio intellectus potest fieri dupliciter. Uno modo per inclusionem unius et exclusionem alterius sicut cum separatur animal ab homine. Alio modo praecisio non fit simpliciter nec per exclusionem unius rationis ab alia, sed penes magis confusum vel explicitum de eadem re; quod non variat res conceptas, sed modos concipiendi, sicut res visa a longe in confuso vel prope cum distinctione, non variat res visas. Et istae abstractiones melius cognoscuntur per suum oppositum quod est contractio. Quando enim conceptus aliquis abstractus, v. g. animal, indiget ut contrahatur additione alicuius extranei, id est de quo illud abstractum non praedicatur, ista contractio fit per additionem, et consequenter abstractio ab illo per exclusionem. Quando secus accidit, abstractio non fit per exclusionem

sed per meram explicationem, licet actu illud includat in confuso tamen. Sic est de ente. — Sic generatim distinctio attributorum in Deo et praecisio analogorum fit solum penes diversam explicationem vel confusionem eiusdem conceptus [1]).

THESIS V.ª — Ens nequit esse genus relate ad sua inferiora.

27. Probatur. — 1° Quia nulla dari potest differentia extra rationem entis posita per quam determinetur ad speciem. — Nam, ait S. Th. C. G. l. 1. c. 25 "quod ens non possit esse genus probatur per Philosophum in hunc modum: Si ens esset genus, oporteret differentiam aliquam inveniri per quam traheretur ad speciem; nulla autem differentia participat genus, ita scilicet quod genus sit in ratione differentiae, quia sic genus poneretur bis in definitionem speciei. Sed oportet differentiam esse praeter id quod intelligitur in ratione generis. Nihil autem potest esse quod sit praeter id quod intelligitur per ens, si ens sit de intellectu eorum de quibus praedicatur, et sic per nullam differentiam contrahi potest. Relinquitur ergo quod ens non sit genus „.

2° Genus est gradus obiectivus abstractus et praecisus ab aliis simpliciter. Sed ens nequit esse gradus simpliciter abstractus, ut dictum est. Ergo nequit esse genus.

28. Nota. — Circa illa verba "ita scilicet quod genus sit in ratione differentiae .... differentiam esse praeter id quod intelligitur in ratione generis „ nota quod id quod intelligitur in ratione generis est ipsa quidditas, seu ipsa natura generis quae per generis definitionem exhibetur. Differentia vero neque ipsa ingreditur definitionem generis, neque genus ingreditur quidditatem et ut ita dicam definitionem differentiae. Et sic intelligitur differentiam esse praeter quidditatem generis; alioquin, ut notat Ferrariensis, genus bis poneretur in definitione speciei, semel per se, et semel in differentia inclusum.

THESIS VI.ª — Ens simpliciter diversificatur in suis inferioribus secundum diversos modos essendi; qui nomine ipsius entis non exprimuntur. (S. Th. *de Ver.* q. 1. a. 1.).

---

[1]) Cf. S. Th. *De Verit.* q. 1 a. 1 et 1 *Sent.* D. 22 q. 1. a. 3 ad 2m.

29. Praenotandum. — Prae oculis in his omnibus habeas semper quae diximus de entis transcendentia; inde enim omnia sequuntur.

30. Probatur 1ª pars. — *Inferiora entis in ratione entis se habent non ut differentia sed ut primo diversa.*

1° Hoc sequitur ex numero praecedenti; si enim nequit dari proprie dicta differentia quae addat supra ens aliquid, quod sit extra rationem entis, inferiora entis nequeunt in ipsa ratione entis considerari ut inter se convenientia et simul differentia. Atqui inferiora entis v. g. lapis et homo profecto non sunt unum et idem. Ergo in ratione entis differunt simpliciter h. e. non ad exclusionem convenientiae secundum proportionem, sed ad exclusionem omnis convenientiae in aliquo absoluto. Ergo sunt primo diversa.

2° Ratio entis est simplicissima nec admittit rationem extraneam superadditam ad modum differentiae. Ergo quae diversificantur in ratione entis, totaliter in hac ratione diversificantur ad exclusionem cuiuscumque convenientiae in aliquo absoluto. Ergo sunt primo diversa.

31. Nota. Hoc tamen non impedit univocationem eorum in aliis rationibus abstractis et praecisis, de quibus rationibus praecisis, si ut sic subiiciantur, ens diceretur non modo *univoce* sed imo *unice* tanquam de uno. Univocatio vero, analogia et aequivocatio important aliquam communitatem saltem nominis ad plura sic vel sic se habentia. Cf. [n. 574].

Probatur 2ª pars. — *Inferiora entis inter se diversificari intelliguntur per diversos modos essendi, qui nomine ipsius entis non exprimuntur.*

1° Ens nequit diversificari per aliquid extra rationem eius positum in singulis, sed seipso diversificatur, quia de singulis praedicatum, significat singula ut sunt. Sed sunt diversa, et sunt diversa quia gradatim et diversimode ipsam naturam entis possident, seu quia singula habent diversum modum essendi, qui tamen nomine entis minime exprimitur. Ergo inferiora entis inter se diversificari intelliguntur per diversos modos essendi, qui nomine ipsius entis non exprimuntur.

Confirmatur minor, auctoritate S. Thomae. (C. Gen. l. 2.

c. 95. Arg. 2.) " Scire igitur oportet quod diversae rerum species gradatim naturam entis possident . . . . . propter quod Aristoteles dicit quod distinctiones rerum sunt sicut numerus, in quo unitas subtracta vel addita, speciem numeri variat . . . Ratio igitur determinatae speciei consistit in hoc quod natura communis in determinato gradu entis collocatur . . . . . „ — Et (1ª p. q. 50. a. 2. ad 1.m). " Unumquodque autem constituitur in specie, secundum quod determinatur ad aliquem specialem gradum in entibus: quia species rerum sunt sicuti numeri, qui differunt propter additionem et subtractionem unitatis . . . . . „

2º Modi entis non important aliquid enti superadditum ad modum differentiae extraneae, ut dictum est, sed aliquid intime inclusum et importatum per ens, dum de quolibet dicitur; nihil enim esse potest, nisi omnibus concurrentibus, quibus esse substantiale cuiuslibet designatur (ut infra dicitur in Tractatu de Actu et Potentia); unde gradus obiectivi *praecise ut sic* non sunt subiectum actus essendi, et id, ratione cuius unicuique competit esse, est essentia eius in sua ultima determinatione essentiali.

THESIS VII.ª — **Quamvis enti ulla additio fieri nequeat per modum quo differentia additur generi; bene tamen potest enti, tamquam conceptui omnium confusissimo, fieri additio per modum expressioris conceptus.**

32. Probatur 1ª pars. — *Enti nulla additio fieri potest per modum differentiae.* Nam illa quibus differunt ea quae differunt tamquam per differentias superadditas, illa eadem sunt quibus in ratione entis intrinsece diversificantur, seu tamquam per aliquid intime inclusum in ipsa ratione entis omnia transcendente, prius et simpliciter in ratione entis simplicissima diversificantur. Ergo enti nulla additio fieri potest per modum quo differentia additur generi.

Probatur 2ª pars. — *Enti bene fit additio per modum expressioris conceptus.* Nam cum conceptus entis qui totum totaliter importat, quod in re est, utpote transcendens, sit tamen omnium confusissimus et indeterminatissimus, profecto per modum expressioris conceptus habet ulterius et ulterius determinari;

ulteriores autem huiusmodi determinationes se tenentes ex parte nostri conceptus exprimunt, ut infra dicemus fusius, modos proprios uniuscuiusque ex entibus. Cum enim de hoc dico : " *est ens* „ " *est corpus* „ " *est vivens* „ " *est animal* „ omnia haec accipio ex additione ad ens, explicando quid ens importet cum de hoc dicitur et praedicatur : nec tamen important aliquid quod sit extra rationem entis, cum ratio entis totum importet quod in hac re, una per se, non est totaliter nihil. Ex quo habes manifeste quod ens dictum de diversis simpliciter aliud et aliud significat et non unum et idem, quo modo v. g. animal de pluribus dictum unam et eamdem rationem exhibet pluribus simpliciter communem.

THESIS VIII.ª — **Inferiora entis, in quae primo dividitur tamquam universale improprium in partes quodammodo subiectivas, sunt ens per essentiam et ens per participationem, ens reale et ens rationis, substantia et novem suprema genera accidentium.**

33. **Praenotanda.** — 1º Thesis haec ponitur solum ut habeas prae oculis ea quae solent ab Auctoribus enumerari tamquam entis inferiora. Iam innuebamus in Analogia, ens esse analogum et solum improprie habere rationem universalis et consequenter solum improprie habere inferiora et partes subiectivas. Hoc autem vel magis patet ex iis quae sic solent enumerari. Nihil enim est Deo simplicius, quod Deus intelligatur veluti partecipare, si quid huiusmodi a nobis concipitur, ad merum modum concipiendi et significandi ex parte nostra revocandum est. Patet etiam quod ens rationis non est nisi umbra entis realis. Proinde placeret magis ens dividere statim in decem suprema genera, sub quibus veniunt omnia, omisso Deo, qui nullo modo contineri potest sub aliqua ratione quam cogitetur participare, et omisso etiam ente rationis quod entis (ut dicebamus) nonnisi umbra quaedam est: stet tamen divisio communis.

2º Ponitur in thesi illud " tamquam universale in partes subiectivas „ quia divisiones entis aliae fiunt, quae ad ipsam non se habent proprie ut divisiones in partes eius subiectivas, ut est divisio entis in actum et potentiam.

34. Probatur. — Inferiora entis, in quae *primo* dividitur ens, tanquam universale improprium in partes quodammodo subiectivas, sunt illa omnia, quae intelliguntur *primo* habere, vel habere posse *esse* quomodocumque. Atqui quae intelliguntur habere, vel habere posse *primo* esse quomodocumque, sunt illa quae enumerantur in thesi. Ergo inferiora entis sunt illa quae enumerantur in thesi.

Probatur minor. — Quod totum ens recte sic dividatur ut enunciatum est, per se patet: ens enim quod non est per essentiam, est per participationem, nec datur medium: ens per participationem aut est in ratione tantum, aut non tantum in ratione, et non datur medium: ens reale per participationem dictum, aut est *per se,* aut non per se, sed in alio, quod est accidens: accidentia autem recte enumerari et adaequate probabitur ubi de praedicamento. Ergo patet sufficienter bonitas allatae divisionis.

35. Nota 1.ª Dicitur ea in quae *primo* intelligitur dividi ens, quia ulterius haec singula dividuntur.

2.ª Potest etiam primo dividi ens in reale et rationis etc., quamvis melius videtur ens per essentiam ab omni alio secernere, quippe etiam, sicut notatum est, nostrae ignorantiae potius est Deum sub aliquo ponere.

QUAESTIO SECUNDA

De Analogia Entis.

THESIS I.ª — Ens non est univocum respectu entis per essentiam, et entis per participationem, realis et rationis, substantiae et accidentis, neque respectu diversorum generum accidentium, aut generum et specierum eiusdem praedicamenti.

36. Probatur. I° Argumento generali. — 1° Si plura, quae inter se sunt essentialiter diversa, univoce conveniunt in aliquo, oportet quod illa ratio sit abstracta ab omnibus, quibus illa plura essentialiter diversificantur. Sed ratio entis, ut supra

dictum est, non potest esse ratio abstracta a suis inferioribus cum importet unumquodque sicuti est, inferiora autem entis manifeste sunt secundum essentiam diversa, puta homo et lapis, multo magis Deus et creatura, substantia et accidens, ens reale et ens rationis. Ergo ratio entis manifeste non est univoca relate ad sua inferiora.

2° Nomen ens significat unumquodque *immediate* transcendentaliter sicuti est. Atqui inferiora entis transcendentaliter accepta sicuti sunt, inter se sunt diversa. Ergo nomen ens, cum dicitur de suis inferioribus *immediate,* significat diversa. Atqui nomen unum, quod *immediate* significat diversa, non potest respectu eorum esse univocum. Ergo ens relate ad sua inferiora nequit esse univocum.

Probatur minor subsumpta. — Ponitur illud *immediate* quia v. g. nomen animal quod est univocum relate ad singula animalia, ut animalia sunt, *mediate* significat quaedam, quae sunt inter se diversa, scilicet *hominem* et *leonem,* sed *immediate* non significat hominem, ut hominem, et leonem ut leonem, sed utrumque ut animal: et si daretur nomen immediate significans totam essentialem perfectionem hominis, item totam perfectionem essentialem leonis, non posset esse univocum relate ad hominem et leonem.

3° Quod est transcendens non est abstractum; quod non est abstractum nequit esse univocum respectu eorum quae inter se habent differentiam *formalem,* non mere *materialem.* Iamvero inferiora entis habent differentiam formalem, si *excipias solummodo individua unius eiusdemque speciei, quae non habent diversitatem materialem.* Ergo relate ad sua inferiora *supra enumerata* non potest dici univoce.

4° Ea sunt univoca, quarum idem est nomen, et eadem quoque ratio per nomen illud in ipsis significata. Atqui inferiora entis nomen quidem commune habent, sed ratio per nomen significata est in eis simpliciter diversa. Ergo inferiora entis non dicuntur entia univoce.

37. II° **Probatur thesis per partes:** Ens non est univocum

a) respectu entis per essentiam, et entis per participationem.

— Hoc quod dico per essentiam, et hoc quod dico per participationem, important modos entis in infinitum diversos. Atqui modi entis non sunt extra ens, quod est transcendens, et totaliter ipsum diversificant. Ergo ens per essentiam et ens per participationem non dicuntur univoce.

b) respectu entis realis et rationis. — Ratio est quia ens reale et rationis totaliter inter se differunt.

c) respectu substantiae et accidentis. — 1° Quia unum non dicitur eodem modo quo aliud. — 2° Quia unum non dicitur ens independenter ab habitudine seu proportione ad aliud. — 3° Quia de iis dicitur secundum prius et posterius.

d) respectu diversorum generum accidentium. — 1° Quia inter ipsa est differentia formalis seu potius est formalis diversitas. Atqui diversitas illa non potest repeti ab aliqua differentia, quae, uti superaddita, faciat ea differre inter se, cum ratio entis sit transcendens, et nulla differentia esse possit quae praescindat ab ente, seu quae non sit entitas quaedam, et sic genus ipsum (quod supponitur) non includat. Ergo in ratione entis seipsis primo diversa sunt. Ergo ens de ipsis non dicitur univoce.

2° Esse ut quo aliquid refertur *ad aliud,* qui est proprius modus essendi relationis; et esse ut quo aliquid est *in se* dimensionatum, qui est proprius modus essendi quantitatis, idem dic de reliquis, profecto importat diversissimos modos essendi, quos intrinsece includit ens, dum de singulis praedicatur, non enim praedicatur ut ratio praecisa simpliciter. Ergo ens non dicitur uno modo de variis generibus accidentium. Ergo nec univoce.

e) respectu diversorum generum, vel specierum eiusdem praedicamenti. — Ad hoc probandum accipias in arbore porphyriana duo genera diversa: v. g. vivens sentiens, et vivens non sentiens, deinde dic: vivens quidem, utpote conceptus abstractus et praecisus, univoce dicitur de planta et de bruto et de homine. Sed ens, utpote ratio transcendens, nequit dici univoce de quibuscumque quomodocumque formaliter inter se diversis. Atqui sentiens et non sentiens inter se non mere *materialiter,* sed formaliter differunt. Ergo in ratione transcendente entis

convenire univoce non possunt. Idem erit processus, si accipias duas species diversas eiusdem generis, v. g. hominem et leonem. Conveniunt haec duo univoce in rationibus omnibus superioribus contentis in praedicamento, si ascendas per viam, qua debes; sed *in ratione* significata per hoc nomen *ens,* quod est transcendens, non possunt convenire univoce.

THESIS II.ª — Ens relate ad ea quae in thesi praecedenti enumerata sunt, non est pure aequivocum, sed dici debet analogum analogia proportionalitatis propriae.

38. Praenotanda. — I° Communiter a pluribus ponitur etiam analogia attributionis circa ens, ut dictum de suis inferioribus: sed ratio asserendi hoc est, quia ex una parte vident evidenter esse asserendum, quod ratio entis est omnibus intrinseca, cum sit transcendens, et ex hoc ponunt analogiam proportionalitatis, sed cum rursus evidens quoque sit, S. Thomam considerare in entibus, una cum Aristotele, ordinem unius ad aliud, et ad unum primum, coguntur ponere etiam analogiam attributionis. Sed ordo ad unum, ut vidimus in Logica [n. 551 et sq.] bene salvatur in ipsa analogia proportionalitatis. Alii, ut ex. g. Ioannes a S. Thoma, dicunt analogiam entis esse proportionalitatis, sed *virtualiter* continere etiam attributionem. Quod etiam ex eodem fonte derivavit. Ordo ad unum, quod est analogiae ut sic, non continetur virtualiter tantum in analogia proportionalitatis. Evidens autem est quod non potest *secundum eundem* modum ens esse analogum simul attributionis et proportionalitatis, quia hoc importaret esse intrinsecum omnibus et non esse intrinsecum omnibus: esse analogum secundum intentionem, et secundum esse, et esse analogum secundum intentionem tantum et non secundum esse. Nihil enim obstat quod sit analogum utroque modo secundum diversam significationem nominis, v. g. si sumitur *nominaliter,* ut *connotat solummodo esse,* et *ut significat hoc ipsum quod est esse.* Sed non est opus tales considerationes facere, quae certo non sunt necessariae ad intelligentiam S. Thomae, qui ponit in entibus *respectum ad unum.*

II° In thesi haec statuuntur: quod ens respectu entis per essentiam, et entis per participationem, realis et rationis, sub-

stantiae et accidentis, diversorum generum accidentium, aut generum et specierum eiusdem praedicamenti (quae sunt ea omnia, quae in thesi praecedenti enumerata sunt);

1° non est pure aequivocum.

2° quod est *analogum.*

3° quod est analogum *proportionalitatis,* h. e. secundum esse et secundum intentionem.

4° quod est analogum proportionalitatis *propriae.*

39. Probatur 1ª pars. — *Ens non est pure aequivocum.* Illa ratio per nomen significata est pure aequivoca, quae dicitur de pluribus simpliciter diversis non propter aliquam rationem, sed omnino casu et fortuito. Atqui non ita est ratio entis respectu omnium suorum inferiorum, quae in thesi enumerata sunt, ut magis ex dicendis patebit. Ergo etc.

40. Probatur 2ª pars. — *Ens est analogum.*

I° *In Communi.* Illa est ratio analoga, quae de pluribus dicitur secundum prius et posterius per *respectum ad unum.* Atqui ratio entis secundum prius et posterius dicitur de inferioribus entis per respectum ad substantiam materialem, quae, ut magis patebit ex thesi sequenti, est primum circa quod rationem entis cognoscimus. Ergo ratio entis est analoga.

II° *Relate ad singula:* Ens est *analogum*

a) respectu entis per essentiam et entis per participationem. — Ratio est quia ens de ente per participationem, et de ente per essentiam dicítur secundum prius et posterius, secundum respectum unius ad aliud. Sunt enim entia creata effectus Dei, causae virtutem non adaequantes, cuius tamen aliqualem similitudinem consequuntur.

b) respectu entis realis et rationis. — Ratio est quia unum est ad imitationem alterius.

c) respectu substantiae et accidentis. — Ratio est quia accidens dicitur propter habitudinem ad substantiam.

d) respectu diversorum generum accidentium. — Ratio est quia de variis generibus accidentium dicitur per ordinem ad substantiam, unde relate ad genera accidens est *analogum analogiae duorum ad tertium.*

e) respectu diversorum generum, vel specierum eiusdem praedicamenti. — Ratio est quia ratio entis proportionaliter est in ipsis secundum prius et posterius, perfectius et minus perfectius: species enim rerum sunt sicut numeri, et gradatim naturam entis possident.

41. Probatur 3ª pars. — *Ens est analogum proportionalitatis.*

I° *In communi.* 1° Quando analogia attenditur secundum rationem aliquam, quae intrinsece inest omnibus analogatis, analogia est proportionalitatis. Atqui ratio entis est intrinseca omnibus inferioribus. Ergo ens est analogum proportionalitatis.

2° Quando plura ad similitudinem alicuius *primi* suo modo proportionantur propriis proportionatis, habetur analogia proportionalitatis. Atqui sic ens est de entibus in ratione entis, quae exhibet proportionem uniuscuiusque eorum ad esse sibi respondens. Ergo ens est respectu eorum analogum proportionalitatis.

3° Quando nomen aliquod, unum significat et aliud connotat propter proportionem seu habitudinem, quam unum eorum habet ad alterum, si de pluribus dicatur secundum proportionem, quam insuper habent inter se, proportio secundum quam de illis pluribus dicetur, erit proportio proportionum. Quod autem ita analogice de pluribus dicitur, ut importet proportionem proportionum, est analogum proportionalitatis. Atqui huiusmodi est ens. Ergo ens est analogum proportionalitatis.

4° Univoce communicat intellectus pluribus rationem aliquam ab uno abstractam, quando eam illis pluribus eodem modo communicat; si contra rationem ab uno aliqualiter abstractam (vel etiam abstractam simpliciter, ut accidit in his quae transcendentia non sunt) communicat pluribus non eodem modo, sed secundum prius et posterius, non habetur univocatio sed analogia. Quod si ratio haec a solo intellectu sic pluribus communicatur secundum prius et posterius, realiter autem non insit illis, nec etiam secundum prius et posterius, analogia erit solum secundum intentionem intellectus: quod si ratio per no-

men significata ab uno aliqualiter abstracta, insit revera secundum prius et posterius, secundum magis et minus, in illis pluribus, quibus intellectus communicat, analogia erit non solum secundum intentionem, sed etiam secundum esse; h. e. analogia erit proportionalitatis. Cf. [n. 573]. Atqui ratio entis, a substantia materiali secundum quid abstracta primo, revera inest secundum prius et posterius, secundum magis et minus inferioribus entis, quibus intellectus communicat non eodem modo. Ergo etc.

II° *Relate ad omnia inferiora singillatim enumerata:* ens est analogum *proportionalitatis.*

a) respectu entis per essentiam et entis per participationem. — Quia ratio per nomen significata utrique intrinsece inest: quia secundum modum proprium significandi huius nominis *ens,* importatur in utroque analogorum proportio; essentiae scilicet ad esse, quia ratio entis utrique secundum prius et posterius inest, non scilicet secundum intentionem tantum, sed secundum esse. — Iterum tamen nota quod ratio entis solum ex defectu intellectus nostri concipi potest ut aliquid superius quomodocumque commune Deo et creaturae, primum enim ens est supra totum ens, neque participatione alicuius est ens, sed per se ipsum est ens, imo ipsum Esse subsistens.

b) respectu entis realis et rationis. — Quia sicut ens reale se habet ad esse reale, ita ens rationis ad esse in ratione.

c) respectu substantiae et accidentis. — Quia praeter proportionem ad unum primum ens, in unoquoque est proportio ad esse sibi respondens, et hoc pertinet ad ipsam rationem significatam per nomen.

d) respectu diversorum generum accidentium. — Quia ratio entis est illis commune secundum prius et posterius intrinsece.

e) respectu diversorum generum vel specierum eiusdem praedicamenti. — Quia sicut leo ad suum esse, ita homo se habet ad suum proportionali modo.

42. Probatur 4ª pars. — *Ens est analogum proportionalitatis propriae.* Ratio est quia ens de omnibus dicitur sine ulla metaphora, cum hoc quod dico ens, nullum entis modum exhibeat

in suo conceptu. Unde ens de Deo dicitur *proprie,* quantum ad rem significatam, quamvis non secundum modum significandi. (Cf. S. Thom. 1ª p. q. 13. a. 3.).

THESIS III.ª — 1º Omnia entia dicuntur per ordinem ad unum primum ens; 2º quod secundum ordinem cognitionis nostrae et secundum nominis impositionem est ipsa substantia materialis; 3º secumdum rem autem per nomen significatam est ipsum primum ens, quod est ens per essentiam, a quo participative sunt omnia entia.

43. Praenotandum. — Quod ordo ad unum sit essentialis in omni analogia, patet ex Logica Maiori [n. 551].

44. Probatur 1ª pars. — *Omnia entia dicuntur per ordinem ad unum primum ens.* Ens est analogum ut dictum est. Atqui omne quod analogice dicitur de pluribus, de illis dicitur secundum proportionem ad unum. Ergo omnia entia dicuntur per ordinem ad unum primum ens, seu secundum proportionem ad unum.

Probatur 2ª pars. — *Primum ens secundum ordinem cognitionis et nominis impositionem est substantia materialis.* Ordo impositionis nominis sequitur ordinem cognitionis: quod prius cognoscimus, prius nominamus, dein aliis nomen uni impositum communicamus. Sufficit ergo probare quod primum quod cognoscimus ut ens, seu primum de quo ens apprehendimus est substantia materialis; et sic probatur:

1º Ut dicemus de Actu et Potentia, ratio principii activi sequitur ad rationem actus eique proportionatur; ipsi autem modo activi principii proportionatur operatio, operationi effectus, si de actione transeunte sit sermo; si autem de immanente, facultati unicuique secundum modum proprium proportionatur obiectum; unde *obiectum proportionatum divini intellectus* est ipse purissimus actus, qui idem ipse est divinus intellectus eiusque intelligere; obiectum vero proportionatum intellectus angelici, substantia immaterialis, unde hanc primo intelligit et per proportionem ad ipsam reliqua. *Obiectum proportionatum humani intellectus,* cum anima humana sit actus in materia, est substantia materialis, unde hanc primo cognoscit et per proportionem ad ipsam reliqua. Ergo secundum modum et ordinem

cognitionis nostrae, illud in quo primo cognoscimus rationem entis et quod primo ens nominamus est substantia materialis [1]).

2° Omnis nostra cognitio incipit a sensu; illud ergo a nobis prius cognoscitur et intellectui nostro obiicitur speculandum quod cadit sub sensu; sed hoc est substantia materialis, quae suis accidentibus imprimit in facultates nostras sensitivas, quae intellectui praesentant obiectum. Ergo primum circa quod intellectus rationem entis apprehendit et primum quod ens nominat est substantia materialis [2]).

Probatur 3ª pars. — Secundum rem vero, primum est ens per essentiam a quo participative sunt omnia entia. Hic sicut assumimus primae causae existentiam, quae alibi probatur, ita ex praemissis habere possumus quod ens dicitur et de Deo et de creatura et non per meram extrinsecam denominationem. Ex hoc autem evidenter habetur quod secundum rem significatam per nomen, primum per habitudinem ad quod, reliqua omnia entia dicuntur, est ipsum ens per essentiam quod est causa omnis entis.

Audiatur S. Thomas C. G. l. 2. c. 15. " Omne quod alicui convenit non secundum quod ipsum est, per aliquam causam convenit ei, sicut album homini: nam quod causam non habet, primum et immediate est [3]); unde necesse est quod sit per se et secundum quod ipsum [4]). Impossibile est autem aliquod unum

---

[1]) Cf. S. Th. 1. p. q. 85. a. 1.

[2]) Nota quod relate ad modum nostrum intelligendi et nominandi, substantia materialis est princeps analogum, et cum dicitur ens sine ulteriori declaratione, intelligitur de substantia materiali iuxta illud: " analogum absolute prolatum extat pro famosiori significato „. Significat enim simpliciter diversa. Et etiam in proportionalitate, ut diximus est primum inter analogata et famosius proinde.

[3]) V. g. nulla causa assignari potest cur homo sit rationalis, non habet hoc ex aliqua causa, et proinde nequit hoc de eo demonstrari per aliquod medium quod sit natura prius; unde dicitur hoc esse primum et immediatum in ipso. Causatur quidem homo a Deo, sed quod homo sit rationalis, seu quod tale praedicatum ei competat, non est ex aliqua causa.

[4]) Cf. dicta ubi de Demonstr. quid per se etc. cf. [812] *Log.*

duobus convenire, et utrique secundum quod ipsum; quod enim de aliquo secundum quod ipsum dicitur, ipsum non excedit; sicut habere tres angulos duobus rectis aequales, non excedit triangulum de quo praedicatur, sed est eidem convertibile. Si igitur aliquid duobus conveniat, non convenit utrique secundum quod ipsum est. Impossibile est igitur aliquod unum de duobus praedicari, ita quod de neutro per causam dicatur: sed oportet vel unum esse alterius causam,..... vel oportet quod aliquod tertium sit causa utrique, sicut duabus candelis, ignis est causa lucendi. Esse autem dicitur de omni eo quod est. Impossibile est igitur esse aliqua duo, quorum neutrum habeat causam essendi, sed oportet utrumque acceptorum esse per causam, vel alterum alteri esse causam essendi. Oportet igitur quod ab illo cui nihil est causa essendi sit omne illud quod quocumque modo est. Deum autem supra ostendimus huiusmodi ens esse cui nihil sit causa essendi. Ab eo igitur est omne quod quocumque modo est. Si autem dicatur quod ens non est praedicatum univocum, nihilominus praedicta conclusio sequeretur: non enim de multis aequivoce dicitur, sed per *analogiam:* et sic oportet fieri reductionem ad unum „.

Et *ibid.....* " Illud igitur erit causa omnium in aliquo genere *cui maxime convenit illius generis praedicatio,* unde etiam quod maxime calidum est (sol) videmus esse causam caloris in omnibus calidis..... Deus autem est *maxime ens.* Ipse igitur est causa omnium de quibus ens praedicatur „.

Et adhuc: " *Quod per essentiam dicitur, est causa omnium quae per participationem dicuntur.....* Deus autem est ens per essentiam suam, quia est ipsum esse, omne autem aliud ens est ens per participationem, quia ens quod sit unum esse non potest esse nisi unum. Deus igitur est causa essendi omnibus aliis „. Ubi nota quod omnia quae dicuntur de Deo et creaturis, de Deo dicuntur quidem tamquam de causa, sed tamquam de causa *in qua praeexistit intrinsece* et supereminenter omnis perfectio quam cognoscimus in eius effectibus, praescindendo a modo quo illis inest — non enim in Deo ulla perfectio est eo modo quo in creaturis — unde etiam quae in creaturis sunt divise et multipliciter, in Deo sunt unite et simpliciter, ut alibi declaratur.

THESIS IV.ª — **Si attendatur quod ens significat essentiam secundum habitudinem ad esse, et quod in tantum rebus acquiritur esse diversimode in quantum habent diversas naturas, dicendum videtur quod de duobus individuis eiusdem infimae speciei, ens eodem modo dicatur, unde et necessario dici debent esse duo entia, numero quidem diversa, sed eiusdem speciei eiusdemque naturae; scilicet dicendum videtur quod ens respectu individuorum eiusdem speciei infimae sit univocum et non analogum.**

45. Praenotanda. — 1º Nomen entis, ut vidimus, *significat essentiam uniuscuiusque* sicuti est, sine ulla praecisione; unde argumenta allata in thesi prima huius quaestionis, probant ens non esse univocum non solum respectu eorum quae enumerata sunt ut ea in quae primo ens dividitur tamquam in inferiora, sed respectu quorumcumque, quae quomodocumque *secundum essentiam* seu *quidditatem* h. e. non solo numero differant. Differentia enim omnis formalis in ratione significata per nomen tollit *univocationem,* non autem differentia numerica seu materialis, *quae imo* ad omnem nominis communitatem requiritur, et proinde ad omnem etiam univocationem. Et hoc valet etiam de ratione entis quantumcumque sit transcendens; hoc enim quod sit transcendens non tollit, quod *entia sint plura,* unde id, quo solo numero plurificantur entia unius eiusdem speciei infimae, non pertinet ad rationem significatam per ens, cum dicitur de pluribus, quae est essentia per comparationem ad esse, sed pertinet ad illud quod connotatur tamquam *singulare de quo* ratio entis prima omnium intelligitur utpote universalissima, et omnes alias per modum proportionalitatis complectens quae in uno ente seorsim et absolute per intellectus abstractionem attingi possunt.

2º Adverte insuper quod quaestio est utrum id, quo mere numerice distinguuntur Petrus et Paulus, faciat solam multiplicitatem numericam entium, an *etiam diversitatem formalem in ipsa ratione entis per nomen significatam.* Et prae oculis habendum est quod non consideramus accidentia quorum aggregatio sic est in uno ut non in alio, sic enim Petrus non est ens unum per se, sicut nec Paulus; *sed solum quomodo differant hu-*

mana haec natura individua et *illa* pariter individua prout nomine entis significantur, an solo numero scilicet, an etiam secundum rationem significatam per nomen — sed videtur omnino quod solo numero differant.

His positis ad probationem theseos deveniamus:

46. Probatur. — 1° Ut audivimus a S. Thoma, et etiam postea audiemus, res *gradatim* naturam entis possident. Atqui hoc dici non potest de pluribus individuis alicuius infimae speciei. Ergo.

2° Ratio analoga de pluribus praedicatur secundum prius et posterius. Sed de pluribus individuis eiusdem speciei non dicitur secundum prius et posterius hoc nomen ens, nec secundum accessum ad unum. Ergo.

3° Ratio entis, hoc ipso quod est transcendens, importat sine ulla praecisione res sicuti sunt. Sed de facto in rerum natura plura individua unius eiusdemque infimae speciei solum materialiter seu numerice sunt plura, et nullo modo differunt formaliter. Ergo pariter in ratione entis; et multiplicitati numericae quam habent, correspondet iam multiplicitas in ipsa praedicatione entis; non enim de Petro et Paulo praedicatur quod sint ens, sed seorsim de Petro et seorsim de Paulo ens praedicatur tamquam de duobus, *semel* et *iterum*. Ergo ens respectu eorum debet dici univocum. Et sic stat quod ad analogiam requiritur diversitas formalis in analogatis.

4° Id quo multiplicatur *numerice ipsa praedicatio* entis non potest cadere sub significatione seu comprehensione entis, sed solum sub eius extensione. Atqui plura individua eiusdem speciei praecise ut plura numero *multiplicant numerice ipsam praedicationem entis* — (sicut etiam individua quaecumque etiam non eiusdem speciei). — Ergo ipsa multiplicitas numerica nequit cadere sub significatione entis, et sic nequit tollere eius univocationem.

Declaratur. — Diversitas numerica, ut dicebamus, *praesuppositive* se habet ad omnem univocationem vel aequivocationem vel analogiam. Ergo nequit impedire ullo modo univocationem aut causare analogiam, cum sit quid his omnibus commune. — Cum itaque pluralitas mere numerica individuorum habeat iam pro effectu, ut ita dicam, hoc quod est causare multipli-

citatem numericam in ipsa ratione et praedicatione entis, nequit insuper causare diversitatem in ipsa formali entis significatione. Unde Petrus et Paulus sunt entia et non ens, et Petrus quidem est ens, et Paulus etiam est ens, sed Petrus est aliud numero ens a Paulo, sicut Paulus aliud numero ens a Petro.

47. Obiectiones. — Ob. 1ª. Petrus addit aliquid reale ultra naturam communem per quod realiter differt a Paulo. Atqui illud quod addit aut est extra rationem entis, et tunc nihil est; aut est inclusum in ipsa, et tunc simpliciter diversificat ipsam in Petro et Paulo. Si autem simpliciter diversificatur in ipsis ratio entis, profecto relate ad ipsos univoca non est, nec relate ad quaecumque individua unius eiusdemque infimae speciei.

Resp. *D.M.* Aliquid reale significatum ab ente *N.M.*; connotatum ab ente *Sbd.* faciens multiplicitatem seu diversitatem mere numericam entis *C.M.* faciens diversitatem formalem *N.M.* — *D.m.* aut est extra aut est intra de necessitate ut significatum *N. dis. m.is* — aut est extra aut est intra vel ut significatum vel ut connotatum *Sbd.* aut ut faciens diversitatem formalem aut ut faciens diversitatem mere numericam *C. dis. m.is*; de necessitate ut faciens diversitatem formalem, in ipsa nempe ratione formali quae per nomen significatur *N. dis. m.is* etc. — Et sic habetur quidem quod Petrus simpliciter et se toto, numero distinguitur et diversificatur a Paulo, sed non in ratione formali directe significata per hoc nomen ens, quod de utroque communiter dicitur. Hoc ipso enim quod per nomen ens, quia est transcendens, omnia importantur ut sunt, quod non est nisi ut faciens numericam et materialem distinctionem, nequit importari ut faciens diversitatem formalem et sic tollens univocationem; cum tamen ad decernendum de univocatione vel analogia attendi debeat maxime propria significatio nominis. Ens ergo debet dici simpliciter diversificari quantum ad numerum in Petro et Paulo, secundum quod ens dividitur per unum et multa (aliquo sensu) et sic diversificari non per aliquid quod sit omnino extra ens, quamvis illud sit extra directam significationem entis, nisi velis contendere quod ens eodem modo significet subiectum de quo praedicatur, essentiam eius, et

esse existentiae, cum dicitur nominaliter connotative, ut hic sumitur [1]).

Ob. 2ª. S. Thomas ait (*de Ver.* q. 2. a. 11): " Si in Petro non differret homo et hominem esse, impossibile esset quod homo univoce diceretur de Petro et Paulo, quibus est esse diversum „. Ergo etc.

Resp. Esse uniuscuiusque importat ultimam eius determinationem. Unde si aliquod nomen, ponamus hoc nomen " homo „, significaret ex hypothesi directe (et non solum connotaret vage et in confuso) Petrum ut Petrus est, secundum suum esse individuum quo est seorsum a quolibet alio, non posset esse univocum respectu Petri et Pauli, eodem prorsus modo quo hoc nomen Petrus si diceretur de utroque communiter non posset esse ullo modo univocum. Unde sequitur solum quod si ens significaret individuum hoc ut individuum est, non posset esse nomen univoce commune pluribus individuis, nisi etiam dici deberet pure aequivocum. Hoc sequeretur, inquam, si nomen ens significaret absolute et directe esse Petri ut Petri est, et non solum secundum aliquam proportionalitatem et communitatem et mere de connotato. Nomen " *homo* „ in casu significaret illud idem quod nomen " *Petrus* „, scilicet hoc ens individuum signatum, et sic nonnisi aequivoce de Petro " *homo* „ praedicari posset. Idem dic de ente: si nomen " ens „ significaret absolute et directe totum hoc quod est " *Dominus iste Paulus* „, qui hic adstat, et non omne cui quomodocumque competit esse, manifestum est quod ens non posset praedicari de domino illo Petro, qui est alius omnino a domino Paulo, nisi secundum aequivocationem.

---

[1]) Intellectus abstrahit a notis singularitatis etiam quando de aliquo intelligit ens: abstrahit inquam eo modo abstractionis qui habetur de necessitate in omni nostra cognitione intellectiva, ut supra dictum est. Nec tamen id quod sic abstrahit est aliquis conceptus absolutus aut nota aliqua absoluta, sed mere conceptus aliquis proportionalis, unde non notificat neque genus neque differentiam neque speciem eorum de quibus praedicatur; et est ratio analoga in se seu relate ad ea omnia de quibus dicitur, sicut ratio causae vel principii; quamvis relate v. gr. ad punctum quod terminat hanc lineam, principium eodem modo dicatur.

QUAESTIO TERTIA.

De Entis Cognitione.

THESIS I.ª — Ens est primum quod intellectus in rebus apprehendit quasi notissimum.

48. Praenotandum. — Dictum est iam supra quod ens non est primum de quo intelligimus aliquid, imo ens in communi est de quo tamquam de altissimo et universalissimo et abstractissimo ultimo, speculamur, et cuius speculatio maxime Sapientiae nomen sibi vindicat et Primae Philosophiae, quae tamquam primum in genere, cetera mensurat. Est autem e contra ens primum praedicatum, seu primum quod *in* rebus et *de* rebus apprehendimus: de rebus, inquam, singularibus quae sensui obiiciuntur, quae sunt primum subiectum praedicationis quippe quae, utpote necessaria, ab intellectu nostro non attinguntur nisi indirecte, h. e. non ut quae intelligantur, sed ut *de quibus* et *in quibus* intelligimus quidquid intelligimus. Subiectum autem ut subiectum est, stat pro re, et rem exhibet, sicut praedicatum exhibet intellectum. Probandum ergo est quod primum quod intellectus noster intelligit in unoquoque est ens. Erit autem hoc ipso notissimum si sit primum quod intelligitur; inter ea enim quae dicuntur, secundum magis et minus, primum dici debet maxime tale, unde primum notum est maxime notum, quod exprimit verbum notissimum.

49. Probatur. — 1º Quod procedit de potentia in actum prius pervenit ad actum incompletum, qui est medius inter potentiam et actum, quam ad actum perfectum. Atqui intellectus noster est facultas quae procedit de potentia in actum, — unam enim eamdemque rem prius cognoscimus imperfecte et postea perfecte — et tanto aliquid imperfectius cognoscimus et confusius, quo magis in communi et minus distincte. Ergo illud erit quod primo cognoscimus de unaquaque re, quod est magis commune et magis indeterminatum inter ea quae cogno-

scimus de ipsa. Hoc autem est ens — Ergo ens est primum quod de unoquoque cognoscimus. Cfr. S. Th. 1. p. q. 85. a. 3.

2° Cum intellectus noster procedat de potentia in actum, omnis cognitio distinctior de aliquo subiecto est posterior, et tanto posterior quanto distinctior. Ergo omnium confusissima, omnium prima. Atqui notio entis est omnium indeterminatissima et confusissima, nihil enim notificat absolute de re, sed solum quod sit aliquid habens suo modo habitudinem ad esse; aliquid quod est vel esse potest. — Ergo ens est primum quod intellectus in rebus apprehendit, h. e. id quod primo intellectus concipit in unaquaque re est quod tale subiectum sit aliquid quod est vel esse potest, quod datur vel dari potest, existit vel existere potest: cui scilicet aliquo modo, actu vel potentia competit esse.

3° Tanto aliqua notio in nostra cognitione est prior quanto communior. Atqui notio entis est communissima omnium. Ergo est omnium prima et notissima. — Cfr. S. Th. 1. p. q. 85 a. 8, ubi agit utrum intellectus per prius intelligat indivisibile.

THESIS II.ª — Ens est id in quod intellectus omnes alias conceptiones resolvit.

50. Probatur. — Sicut dictum est in quaestione de criterio veritatis, quemadmodum omnia iudicia mediata resolvuntur in immediata, et mediata etiam aliquo modo resolvuntur ad unum primum principium in genere immediatorum, et immediata iudicia atque adeo ipsum primum inter immediata iudicia, resolvuntur omnia in ipsas simplices apprehensiones quae exhibentur per terminos ex quorum analysi habentur ipsa prima principia; ita etiam omnes simplices apprehensiones resolvuntur in primum apprehensum quod *de* omnibus et *in* omnibus primo apprehenditur, quod est ens. Ergo ens est id in quod intellectus omnes alias conceptiones resolvit. Cfr. S. Th. 1-2 q. 94. a. 2. — *De Verit.* q. 1.ª a. 1.

THESIS III.ª — Omnes aliae animae conceptiones accipiuntur ex additione ad ens.

51. Praenotandum. — In hac thesi redditur ratio eius quod in praecedenti positum est: in tantum enim resolvendo

devenimus ultimo ad ens, in quantum omnes aliae conceptiones accipiuntur ex additione ad ens.

52. Probatur. — a) — *quod addant* — Nam substantia est ens per se, accidens ens *in* alio: addendo ergo supra ens hoc quod dico " *per se* „ habeo conceptum substantiae: item addendo hoc quod est " *in alio* „ accipio intellectum accidentis. Sic etiam cum dico de aliquo: est ens, dico quod est aliquid cui competit esse: et cum dico: est animal est homo, hoc dico: quod est aliquid cui competit esse tali vel tali determinato modo: esse enim animal, esse hominem, esse lapidem, esse doctum, etc. exhibent diversos modos essendi vel simpliciter vel secundum quid. Tales ergo modos addunt omnes aliae animae conceptiones supra ens, quo sensu dicitur quod omnes accipiuntur ex additione ad ens.

b) — *per modum expressioris conceptus* — Nam sicut dicere: *Socrates est, vel est ens,* idem est ac dicere quod eidem competit esse; ita de eodem dicere quod est animal vel homo, idem est ac dicere quod eidem competit esse animal, competit esse hominem, idest quod ei competit esse secundum talem vel talem determinatum modum essendi.

THESIS IV^{a}. — **Intellectus entis includitur in omnibus quaecumque quis de re apprehendit.**

53. Probatur. — Consequitur hoc manifeste ad dicta in thesi praecedenti. Si enim omnes aliae animae conceptiones accipiuntur ex additione ad ens, conceptio entis seu intellectus entis includitur in omnibus apprehensionibus aliis, quas habemus de rebus: quando enim apprehendo de aliquo: " homo est animal „; apprehendo ens cui competat talis modus vel talis, seu apprehendo tale vel tale ens. In hoc autem intellectu manifeste includitur intellectus entis. Et ex hoc evenit quod totus sermo noster scatet verbo " sum, es, est „ — quod dicitur substantivum quatenus est substantia omnium verborum, seu id unde verba habent quod sint verba: unde et ipsa resolvuntur in ens: ut cum dico Petrus ambulat, resolvo sic: Petrus est aliquid cui competit esse ambulantem.

Tractatus II.us

De Actu et Potentia.

Introductio. — Cum in principiis de actu et potentia, tota innitatur Metaphysica Angelici Doctoris, opportunum visum est non solum fundamenta systematis hic quocunque modo iacere, sed imo totum systema, saltem secundum lineas praecipuas, sub uno veluti intuitu considerandum ponere. Talis enim est nexus doctrinae in Metaphysica S. Thomae, ut una veritas ex alia, sponte sua ac necessario sequatur; et facilius forsan est omnia in connexione inspicere, quam singula hinc inde passim diffusa considerare. Hinc etiam futurum speramus ut unusquisque oculis propriis videat quomodo doctrina S. Thomae talis est naturae ut nullo modo possit quantum ad aliqua tantum, et cum exceptione acceptari. Si quis enim vel unum punctum doctrinae quam hic ex S. Thoma collegimus, quacumque ex causa negare vult, et praecedens et sequens punctum et omnia negare logice debebit. Putamus enim quod ratio praecipua propter quam plures viri sane docti atque sensati, non magnum vident periculum in hoc quod a doctrina Angelici Doctoris quantum ad aliqua recedatur, vel, quod peius est, magno nisu ingenii ipsa verba S. Doctoris in perversum sensum detorquendo, ipsum sibi consentientem volunt in aliqua doctrina quae prorsus contraria est systemati metaphysico S. Thomae, ratio, inquam praecipua, haec est: quod nunquam totam Metaphysicam S. Doctoris sub unico intuitu conspexerunt, et necessarium nexum doctrinae non satis consideraverunt.

Plura, ut patet, hic innuenda erunt, quae deinde enucleatius in propriis tractatibus sive ipsius Metaphysicae generalis, sive ceterarum partium Philosophiae, evolvenda erunt atque demonstranda: ut enim dictum est, plura hic ponuntur ut nexus angelicae doctrinae vividior appareat. Sed vel ex his quae hic breviter innuuntur, magnum profectum in re philosophica discipulus faciet, si ea penetrare et in profundum mentis figere

conabitur, difficultates omnes superando quas in his altissimis fastigiis humani intellectus, procul dubio inveniet. Cetera enim quae deinceps in reliquis philosophiae partibus persolvenda erunt, nihil aliud fere quam corollaria esse doctrinae quae hic exponitur, facile deprehendet. — Quod si quid adhuc, in decursu tractationis, paulo obscurum forsan ei remanebit, hoc unum ipsi commendatum esse volumus, ut quod non intelligit non spernat, sed ab Auctore Luminum magna cum humilitate gratiam ferventius poscat ut ea quae Angelus Aquinas angelice docuit, intellectu conspicere possit, et mercedem illam laborum percipere quam ipse unice a Domino postulavit, cum in Summam Veritatem potentes oculos figens exclamavit dicens : " *Non aliam nisi Te, Domine!* „.

Notiones Generales.

54. De actu et potentia sub amplissima analogatione agit S. Th. cum Phil. lib. V° *Metaph.* lect. 14, et praesertim in libro IX per totum : ubi advertit, iam inde a prima lectione, quod : " Potentia et actus ut plurimum dicuntur in his, quae sunt in motu, quia motus est actus entis in potentia. Sed principalis intentio huius doctrinae (h. e. Methaphysicae, quae non est de ente *mobili* ut sic, sed de ente ut ens est) non est de potentia et actu secundum quod sunt *in rebus mobilibus solum,* sed secundum quod sequuntur ens *commune :* unde et in rebus immobilibus invenitur potentia et actus, sicut in rebus intellectualibus. Sed cum dixerimus de potentia quae est in rebus mobilibus et de actu ei correspondente, ostendere poterimus et de potentia et actu secundum quod sunt in rebus intelligibilibus, quae pertinent ad substantias separatas, de quibus postea agetur. Et hic est ordo conveniens, cum sensibilia, quae sunt in motu, sint nobis magis manifesta, et ideo per ea devenimus in cognitionem substantiarum rerum immobilium „. Tamen statim considerationem extendens ad omnia, ad quae analogari potest ratio actus

et potentiae in rebus mobilibus, sic breviter innuit quae superius in libro V° l. c. attigerat de analogatione potentiae. " Dicit ergo... quod determinatum est in aliis, scil. V° huius, quod *multipliciter dicitur* potentia et posse, sed ista *multiplicitas quantum ad quosdam modos est* multiplicitas aequivocationis (purae, ut cum dicitur potentia lineae in mathematicis eius quadratum, vel in logicis possibile et impossibile, v. gr. in modalibus) sed *quantum ad quosdam, analogiae.* Quaedam enim dicuntur possibilia vel impossibilia eo quod habent *aliquod principium in seipsis* et hoc secundum quosdam modos secundum quos omnes dicuntur potentiae non aequivoce sed analogice. Aliqua vero dicuntur possibilia vel potentia *non propter aliquod principium quod in seipsis habeant;* et in illis dicitur potentia *aequivoce.* Dicit ergo quod de modis potentiae illi praetermittendi sunt ad praesens secundum quod potentia dicitur aequivoce „. Tunc inferius habet: " His ergo modis praetermissis, considerandum est de potentiis *quae reducuntur ad unam speciem* (potentiae) quia quaelibet earum est principium quoddam et omnes potentiae sic dictae reducuntur ad aliquod principium ex quo omnes aliae dicuntur. Et hoc est principium activum quod est principium transmutationis in alio in quantum est aliud... et hoc dicit... quia, etsi contingat principium activum esse in eodem cum passo, non tamen secundum quod est idem, sed secundum quod est aliud. Et quod ad illud principium quod dicitur *potentia activa* reducantur aliae potentiae manifestum est. Nam alio modo dicitur *potentia passiva* quae est *principium quod aliquid moveatur ab alio in quantum est aliud;* hoc dicit quia etsi idem patiatur a seipso non tamen secundum idem sed secundum aliud. Haec autem potentia *reducitur ad primam potentiam activam* quia passio ab agente causatur; et propter hoc etiam potentia passiva reducitur ad activam. *Alio modo* dicitur *potentia* quidam habitus impossibilitatis — eius quod est in deterius, — idest dispositio quaedam ex qua aliquid habet *quod non possit pati transmutationem in deterius;* et hoc est *quod non possit pati* corruptionem ab alio — in quantum est aliud — scilicet a principio transmutationis quod est principium activum. Manifestum est autem quod uterque istorum modorum dicitur per comparationem ali-

cuius existentis in nobis ad passionem. In quorum uno dicitur potentia propter principium ex quo aliquis potest non pati : in alio autem propter principium ex quo quis potest pati. Unde cum passio ab actione dependeat, *oportet quod in definitione utriusque* illorum modorum ponatur definitio potentiae primae, scilicet activae. Et ita istae duae reducuntur ad primam, scilicet ad potentiam activam sicut ad priorem. (Hic habes quomodo analoga dicantur semper per ordinem ad unum quod poni debet in definitione omnium, ut declaravimus in quaestione praecedente, et nota quod potentia dicitur hic secundum principium intrinsecum). Iterum *alio modo* dicuntur potentiae non solum per ordinem ad facere et pati sed per ordinem ad hoc quod est *bene* in utroque sicut dicimus aliquem *potentem* ambulare non quod possit ambulare quocumque modo sed eo quod *possit bene* ambulare ; et e converso dicimus esse de *claudicante* quod *non possit ambulare* (quamvis ambulet tamen, licet male). Similiter dicimus ligna combustibilia eo quod comburi possint de facili ; ligna vero viridia, quae non de facili comburuntur dicimus incombustibilia. Unde manifestum est quod in definitione harum potentiarum, quae dicuntur respectu *bene agere vel pati,* includuntur rationes primarum potentiarum, quae dicebantur simpliciter agere et pati, sicut in bene agere includitur agere, et pati in eo quod est *bene pati.* Unde *manifestum est quod omnes isti modi potentiarum reducuntur ad unum primum, scil. ad potentiam activam ; et inde patet quod haec multiplicitas non est secundum aequivocationem. sed secundum analogiam* „. Quae omnia, quam amplam potentiae analogationem contineant unusquisque videt, quamvis haec ipsa analogatio ulterius extendi debeat, ut in principio notavit, ab iis quae sunt mobilia et motui subiecta, ad ipsum ordinem entis in tota sua amplitudine.

Et quod de potentia dictum est, idem consequenter dicendum de actus analogatione. Et ita considerat Philosophus, quod hoc nomen actus, quod adhibetur ad significandam omnem formam et perfectionem et operationes et multa alia hujusmodi, primo impositum sit ad significandum motum : " Cum enim nomina sint signa intellectualium conceptionum, illis primo imponimus nomina, quae primo intelligimus, licet sint posteriora

secundum ordinem naturae. Inter alios autem actus, maxime est nobis notus et apparens motus qui sensibiliter a nobis videtur. Et ideo primo ei impositum fuit nomen actus, et a motu ad alia derivatum est. Et propter hoc moveri non attribuitur non existentibus, licet quaedam alia praedicata non existentibus attribuantur.... quia cum moveri significet esse actu, sequeretur quod non entia actu, essent actu, quod patet esse falsum. Etsi enim quaedam non entia sint in potentia, tamen ideo non dicuntur *esse* quia non sunt in actu „. Sed tamen ut inferius habet lect. 5ª: " licet nomen actus a motu originem sumpserit... non tamen solum motus dicitur actus „. Et determinas de actu dicit Phil. " quod *actus est quando res est*, nec tamen ita est *sicut quando est in potentia* „. Et determinans consequenter de actu et potentia et de prioritate illius relate ad hanc, ponit exempla sive de potentia activa sive de passiva promiscue, sive de actu qui est forma, sive de actu qui est operatio respondens activae potentiae.

Ex quibus omnibus apparet quam amplam analogationem admittant ea quae de actu et potentia statuuntur; quamvis enim, ut videbimus, potentia passiva dividatur contra actum, activa vero fundetur in actu, tamen analogo quodam modo potentia passiva se habet ad actum qui est forma, et activa ad actum qui est operatio. Atque inde est quod S. Th. saepe in variis operibus videtur adhibere principia quae pertinent ad potentiam passivam dum loquitur de activa et vicissim; videtur, inquam; reipsa enim eadem principia de potentia activa adhibentur ut analogantur ad eam, et pariter de passiva ut ad eam analogantur. Quaecumque autem analogice dicuntur habent easdem quidem voces sed significationem simpliciter diversam et solum proportione secundum quid eamdem.

Sed quia sub adeo late patentem actus et potentiae analogationem de iis agere statim ab initio, rei difficultatem augeret, simplicius conabimur procedere, determinantes primo de potentia subiectiva et actu eidem correspondente, unde poteris deinde ad altiores et universaliores considerationes mentem attollere. Perpende autem diligenter quae breviter dicuntur, et secundum ordinem quo procedunt et invicem connectuntur; posteriora

enim illustrantur a prioribus et puto utilius fore si brevitati studeamus. Explicatio supplebit et praxis multo magis. Nota etiam quod non probatur hic dari de facto v. g. actum purum, aut alia huiusmodi; sed ea concluduntur quae v. g. actui puro necesse est competere si detur; ut cum demonstro de homine quod sit risibilis, vel disciplinae capax, non demonstro eius existentiam sed necessarias eiusdem et proprias passiones. — Utrum hoc vel illud genus entis involvat actum et potentiam et praesertim quae concernunt entia mobilia in quantum mobilia sunt, suis in locis erunt tractanda, metaphysica enim non est de ente mobili ut sic, sed de ente in quantum ens est: Et sic de principiis istis agemus, prout nempe ad omnia entia se extendunt. Identidem tamen licebit corollaria quaedam indicare et data occasione quaestionem aliquam solvere de qua etiam alibi agitur.

CAPUT PRIMUM.

De natura actus et potentiae in genere.

PRAENOTIO GENERALIS. — Quid intelligatur nomine actus et nomine potentiae.

55. Nomine actus intelligimus *perfectionem* [1]: nomine autem potentiae (ut nunc loquimur de potentia), *perfectionis subiectum* [2]). Loquimur ergo de potentia quae dici solet *subiectiva*, cui

---

[1]) S. Th. 1. p. q. 5. a. 3. ait " Omne ens in quantum est ens est bonum. Omne enim ens in quantum est ens est in actu, et quodammodo perfectum: quia *omnis actus perfectio quaedam est* „ et IX. *Met.* l. 3. ait: " Ostendit (Phil.) quid sit esse in actu, et dicit quod nomen actus, quod ponitur ad significandum entelechiam et *perfectionem*, scilicet formam et alia huiusmodi, sicut sunt quaecumque operationes, veniunt (venit) maxime ex motibus quantum ad originem vocabuli „.

[2]) S. Th. in V. *Met.* l. 14 ubi enumerantur varii modi potentiae et respondentes modi possibilitatis seu passibilitatis determinans de potentia passiva, (de qua hic agitur) ait: " numquam enim aliquid pateretur, nisi esset in eo *subiectum*, quod esset receptivum dispositionis, vel formae, quae per passionem inducitur; et nisi esset debilitas virtutis in patiente

opponitur *obiectiva* potentia, quae sic appellatur quatenus est obiectum potentiae activae, soletque definiri: " *non repugnantia ad habendum esse rei, quae non est actu* „ seu " *possibilitas essendi eius quod non est* „[1]).

PROPOSITIO I.ª — Quodlibet ens aut est actus purus aut compositum ex actu et potentia.

56. Probatur. — Quodlibet enim ens importat essentiam aliquam, ergo perfectionem aliquam h. e. aliquem actum. Vel ergo perfectionem importat ut aliquid quod est ipsum illud ens, vel eam importat ut quod est in ente. Si importat perfectionem ut quod est ipsum illud ens, tale ens erit perfectio pura et proinde actus purus; diximus enim pro eodem nos accipere actum et perfectionem; si autem illam importat ut quod est in ente tunc oportet perfectionem illam esse receptam in aliquo subiecto: subiectum autem in quantum huiusmodi, potentia est, ut pariter in [n. 55] dictum est.

Aliis verbis: Quodlibet ens importat perfectionem aliquam: ergo aut est actus aliquis, aut habet actum. Si habet actum, in eo attendi debet et actus qui habetur, et subiectum actus: subiectum autem actus, potentia est. Omne ergo ens aut est actus purus, aut est ex actu et potentia compositum.

57. Corollarium. — Sic intelliges ea quae passim habet S. Th. " Omnia quae per essentiam dicuntur nihil praeter se habent admixtum etc. „. C. G. l. I. c. 39. " Quandocumque aliquid praedicatur de altero per participationem, oportet ibi aliquid esse praeter id quod participatur „. Quod. l. 2. a. 3. Si enim

---

ad resistendum actioni agentis. Ex quibus ulterius patet quod potentia passiva bene etiam exhibetur „ dicendo quod est — *receptivum seu capacitas perfectionis* — ut habetur apud S. Th. passim: v. g. *de Verit.* q. 29. a. 3. ad. 3.[m] ait: " *Capacitas* creaturae dicitur secundum potentiam receptibilitatis quae est in ipsa. Est autem duplex potentia creaturae *ad recipiendum,* una naturalis, quae potest tota *impleri:* quia haec non se extendit nisi ad perfectiones naturales.

Alia est potentia oboedientiae [cf. n. 186], secundum quod potest recipere aliquid a Deo, et talis *capacitas* non potest impleri, quia quidquid Deus de creatura faciat, adhuc remanet in potentia recipiendi a Deo „.

[1]) Cf. quae dicemus de potentia obiectiva.

aliquid non est actus sed habet actum, actus de eo praedicatur per participationem.

PROPOSITIO II.ª — Actus et potentia dividunt adaequate omnem ordinem, ipsumque etiam universalissimum entis.

58. Probatur. — Quod enim in aliquo ordine est sive particulari, sive universalissimo entitatis, et perfectionis, ut dictum est, aut ad talem ordinem pertinet ut quod est perfectio ipsa illius ordinis, aut ut quod habet ipsam et non est ipsa. In eo autem quod habet aliquid et non est ipsum, attendi necessario debet subiectum habens et quod habetur. Omnem ergo ordinem adaequate dividunt perfectio (subsistens vel inhaerens) et subiectum perfectionis, quod pertinet ad ordinem perfectionis illius ut merum receptivum [1]).

59. Corollarium. — Sic, ut notat Phil., in quolibet genere aliquid est ut potentia et aliquid ut actus, unde ens in potentia dividitur in decem praedicamenta et similiter ens in actu: aliqua enim est potentia de genere substantiae et aliqua de genere qualitatis et sic de aliis: et similiter aliquis actus est de genere substantiae et aliquis de genere qualitatis et sic de aliis. Perpende tamen illud *ut merum receptivum.*

PROPOSITIO III.ª — Actus et potentia transcendentaliter referuntur ad invicem: hoc est secundum suum esse totum.

60. Probatur. — Subiectum enim actus, et actus subiecti cadunt invicem in definitione *Item:* potentia essentialiter est quid perfectibile, ergo secundum totum suum esse est ad perficiens — est quid actuabile, ergo ad actum.

PROPOSITIO IV.ª — Actus et potentia immediate referuntur: hoc est non media aliqua relatione praedicamentali, vel modo aliquo unionis.

61. Probatur. — Ratio est quia transcendentaliter referuntur. Et id quod ipsa essentia sua subiectum est, non mediante ullo alio est subiectum. — Pariter quod ex essentia sua est su-

---

[1]) S. Th. 1. p. q. 77. a. 1. ait: " Cum potentia et actus dividant ens et quodlibet genus entis etc. „.

biecti, non mediante alio est subiecti. Ergo subiectum actus et actus subiecti immediate referuntur ad invicem.

62. Nota. Patet hic sermonem esse de actu recepto in potentia ut etiam in [n. 60].

PROPOSITIO V.ª — Actus et potentia sunt principia entis.

63. Probatur. — Ens enim, ut vidimus, significat essentiam aliquam, sed in quibusdam (ut infra ostendetur et expressius in physica) actus et potentia sunt principia essentiae alicuius, eamque primo constituunt: ergo actus et potentia sunt principia entis.

Iterum: ens est id cui competit esse, sed quibusdam non competit esse nisi in quantum ex actu et potentia in ipso ordine essentiae constituuntur. Ergo actus et potentia recte dicuntur, sub hoc sensu, entis principia. Solummodo enim consequenter ad unionem cuiusdam actus et cuiusdam potentiae habetur primo ratio entis. Imo omnia prorsus entia, ut videbimus, excepto eo quod est ipsum Esse subsistens, in tantum sunt in quantum ex essentia et esse tanquam ex actu et potentia constituuntur, quae proinde merito principia entis dicuntur in quantum est ens.

PROPOSITIO VI.ª — Actus definiri non potest.

64. Probatur. — Omne enim quod definitur, saltem secundum modum apprehensionis nostrae, componi debet ex quodam potentiali et ex quodam actuali; sed omne principium potentiale absistit ab actu. Ergo actus per genus quod se habet ut quid potentiale, et differentiam quod se habet ut quid actuale, definiri non potest.

Vel dic: Prima simplicia definiri non possunt, cum in definitionibus non sit abire in infinitum (IX *Met.* l. 5). Atqui actus est de primis simplicibus. Ergo definiri non potest. (V *Met.* lect. 7ª) " Perfecte et maxime sunt unum quorum intellectus intelligens quidditatem est omnino indivisibilis sicut simplicia quae non componuntur ex principiis materialibus et formalibus. Unde intellectus accipiens quidditatem eorum, non comprehendit ea quasi componens definitionem eorum ex diversis principiis sed magis per modum negationis, sicut punctum est cuius pars non est: vel etiam per modum habitudinis ad composita, sicut

si dicatur quod unitas est principium numeri „. " Talia habent intellectum indivisibilem „. Habent tamen quae sunt huiusmodi certissimam cognitionem, quippe ut diximus de veritate " in cognoscendo quidditates simplices, non potest esse intellectus falsus, sed vel est verus, vel totaliter nihil intelligit „ (I q. 17 a. 3.).

PROPOSITIO VII.ª — Actus aliqualiter notificari potest per comparationem habentis actum et non habentis vel per effectum formalem.

65. Declaratur. — Sic v. g. comparando statuam jam formatam, cum marmore informi quod in statuam formari potest, aut ceram rotundam et eam quae rotunda non est et rotundari potest, intelligo quid sit actus quo statua est actu talis, et cera actu rotunda. " Actus est quando res est, nec tamen ita est sicut quando est in potentia „ (S. Th. IX *Met.* l. 5). *Item per effectum formalem* ut cum dicimus; Anima est principium quo aliquid vivit. Actus essendi quo aliquid est. — Quia effectus formales saepe nobis manifestiores sunt ipsis formalibus causis, Aristoteles ponit exempla potentis videre vel speculari etc. etiam quia, ut diximus ab initio, actum analogat ut potentiam quam considerat ut analogatur ad activam et passivam.

PROPOSITIO VIII.ª — Potentia stricte definiri non potest.

66. Probatur. — Quia illa tantum stricte dictam definitionem habere possunt, quae directe ponuntur in aliquo praedicamento, seu quae sunt entia completa. Atqui potentia non est ens completum sed mere principium entis. Ergo stricte dictam definitionem non habet.

PROPOSITIO IX.ª — Convenienter potentiae ratio exhibetur per ordinem ad actum.

67. Probatur. — Quia " omnia quae dicuntur secundum ordinem ad aliquid distinguuntur secundum distinctionem eorum ad quae dicuntur „ (I. II. q. 54. a. 2.). Seu brevius: quia, ut dictum est [n. 60], secundum essentiam suam tota est ad actum, definitio vero exhibet essentiam rei. Unde bene dicitur esse id in quo est actus, subiectum actus, seu abstracte capacitas actus, seu perfectionis capacitas.

PROPOSITIO X.ª — Actus et potentia in quovis ordine distinguuntur.

68. Probatur. — Quia opponuntur, ut perfectibile et perficiens; subiectum perfectionis et perfectio subiecti; determinabile et determinans. Perficiens autem ad perfectibile se habet ut perficiens ad non perficiens et sic de aliis ; idem autem non potest secundum idem esse perficiens et non perficiens, determinans et non determinans et sic de aliis. Ergo in quocumque attenditur actus et potentia in eodem necessario attenditur aliud et aliud [1]).

PROPOSITIO XI.ª — In ordine reali distinguuntur realiter.

69. Probatur. — Si enim realiter in aliquo ente est aliquid quod se habet ut subiectum perfectionis et aliquid quod se habet ut perfectio subiecti, talia se habent in eo ut principia realiter opposita. Sed principia realiter opposita sunt realiter distincta. Ergo actus et potentia si realiter in aliquo inveniuntur, distinguuntur realiter. Non tamen ut duo entia, sed ut duo principia, quae dici poterunt entia *ut quibus* ens constituitur, *non vero entia ut quae* proprie sunt entia.

PROPOSITIO XII.ª — In ordine logico distinguuntur ratione.

70. Declaratur. — Hoc est, si per intellectum tantum in re aliqua accipitur determinabile et determinans, perfectio et perfectionis subiectum, ex hoc non sequitur in re ulla distinctio realis, sed distinctio erit solum distinctio rationis, licet forte

---

[1]) In IX. *Met.* l. III. S. Th. postquam cum phil.º reprobavit opinionem eorum qui dicebant nihil esse possibile nisi dum est in actu, concludit manifestum esse potentiam et actum esse diversa. " Sed illi qui ponunt positionem praedictam, faciunt potentiam et actum esse idem, in eo quod dicunt tunc solum aliquid esse in potentia quando est in actu. Ex quo patet quod non parvum quid a natura destruere intendunt: tollunt enim motum et generationem ut dictum est „.

Quod autem potentia maneat sub actu, inter infinita alia, sufficiat pro nunc haec ex S. Doctore recitare (1. p. q. 62 a. 7. ad 1.m) : " Imperfectio potentiae *substernitur* perfectioni formae et *non tollitur* potentia per formam, sed *tollitur privatio* quae opponitur formae „ : aliud enim est, ut infra ostendemus, esse in potentia et esse potentiam : sic cera non destruitur in ratione subiecti eo quod recipit formam rotundi sed cessat in ipsa privatio talis formae.

intellectus fundamentum aliquod inveniat ad talem distinctionem faciendam. — Si vero e contra aliquid realiter ad aliud se habeat ut subiectum ad perfectionem, ad illud se habet realiter ut subiectum ad non subiectum in eodem ordine; et ut oppositum realiter ad realiter oppositum; unde realiter distinguitur ab eo, ut dictum est in n. praec.

CAPUT SECUNDUM.

De natura sive actus in potentia recepti, sive actus puri.

PROPOSITIO I.ª — Actus receptus in potentia est limitatus.

71. Probatur. — Quia actus alicuius subiecti limitatur ad illud subiectum cuius est actus et ad modum eius. " Omne enim quod est in aliquo, est in eo per modum eius in quo est „. (Cf. C. G. l. II. c. 49). Et sic recipiens limitat receptum ad modum suum, unde illud tritum: " *quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur* „. Et sic iterum, omnis actus receptus habet modum determinatum et limitatum et quidem diversimode prout est diversum recipiens. Sic albedo huius parietis limitatur ad ipsum et ad modum eius; et ternarius boum limitatur ad ipsos, quia non est ipsa ratio ternarii absolute subsistens, sed ternarius boum et horum boum.

72. Nota. Actus purus in *ordine essentiae* non datur nisi in immaterialibus, ut infra patebit. Immaterialia autem a nobis nequeunt intelligi nisi ascendendo quadantenus ex materialibus et per remotionem quandam aut analogiam. Ideo ne mireris si loquentes de actu puro, qui nequit dari nisi in ordine substantiali, cogimur adhibere exempla in accidentalibus removendo ab eis per intellectum quod tamen necessario eisdem competit, quod est inesse subiecto: essentiae enim substantiarum materialium, cum in ipso suo conceptu involvant materiam seu potentiam, ne per rationem quidem cogitari possunt ut liberae a materia; sic enim abstractae, ne in mente quidem remanent ipsae. Potest quidem intellectus naturam lapidis abstrahere a

materia *signata* et sic ab eo unde hic lapis est hic; non autem ab ipsa materia seu potentia quomodocumque accepta quia conceptus ipse lapidis est conceptus rei materialis. — Ne putes ergo te incompertum aliquid deprehendere, si deprehendis exempla materialium, quae afferuntur ad immaterialia secundum quandam analogiam attingenda, adamussim non quadrare, et pariter ne mireris si cogimur exempla immaterialium sumere ex rebus *ut sunt in intellectu nostro,* ut quodammodo intelligamus modum eorum quae in seipsis immaterialiter subsistunt. — Pulcre nimirum ageret qui ad explicandum aliquid de substantiis immaterialibus, coactus adhibere exempla quia ad ipsas non pertingimus, tamquam obvia exempla vellet afferre ipsas easdem substantias immateriales ut in seipsis immaterialiter subsistunt. Cave ergo ab huiusmodi quorumdam insipientia.

PROPOSITIO II.ª — Actus purus seu in nulla potentia receptus nequit esse in suo ordine limitatus.

73. Probatur. — Quia actus purus alicuius ordinis est ipsa perfectio illius ordinis: non participatio eius sed ipsa. — Sic v. gr. perfectio quae importatur per hoc nomen: *Sapientia: Vita: Veritas* etc. si absolute concipiantur, nullam limitationem in suo conceptu Sapientiae vel Vitae vel Veritatis admittit, hoc est in suo ipso ordine: et dato quod sicut absolute concipitur, ita absolute subsisteret, nullam admittere posset limitationem in suo esse Sapientiae, vel Vitae, vel Veritatis. — Ergo si quid datur in rerum natura quod subsistat ut purus actus etiam solum in aliquo ordine, illud in illo ordine erit prorsus absque ulla limitatione. Sic esset dicendum si subsisteret albedo vel ratio ternarii. Praefert autem S. Thomas exempla haec ultima quia revera Sapientia, Vita, Veritas in eo in quo reapse subsistunt scil. in Deo, unum simplicissimum sunt, ut alibi declaratur, nec subsistere potest ipsa Sapientia ita ut non sit simul et ipsa Vita et ipsa Veritas etc. — Sed quidquid egeris, non nisi secundum analogiam quamdam, ad spiritualia et divina pertingere poteris. Et immaterialia nobis notiora sunt ea quae in intellectu nostro et per intellectum immaterialiter concipiuntur licet immaterialia non sint, ut *albedo* quae sine materia aliqualiter in intellectu habetur, licet in rebus sine materia non detur.

PROPOSITIO III.ª — Actus non limitatur nisi per potentiam.

74. Probatur. — Sequitur ut corollarium ex dictis. Actus hoc ipso quod est purus actus, est illimitatus. Sed deficere non potest a ratione *puri* actus nisi per hoc quod sit receptus in subiecto, seu sit actus determinati alicuius subiecti (v. gr. sapientia *hominis,* vita *leonis*). Ergo deficere non potest a sua illimitatione nisi per respectum ad aliquod determinatum subiectum. — Sic etiam anima hominis semper remanebit anima hominis importans respectum ad materiam, et in hoc quod dicitur anima et in hoc quod dicitur hominis. Ergo actus non limitatur nisi per potentiam.

" Omnis actus alteri inhaerens, terminationem recipit ex eo in quo est; quia quod est in altero est in eo per modum recipientis. *Actus* igitur *in nullo existens, nullo terminatur:* ut puta si albedo esset per se existens, perfectio albedinis in ea non terminaretur quominus haberet quidquid de perfectione albedinis haberi (dari) potest „. C. G. l. I, c. 43.

75. Obiicies: Potest dari perfectio parva, minorata, deficiens, limitata, alicuius ordinis, quin recipiatur in subiecto seu potentia.

Resp. Eo scilicet pacto, quo potest dari v. gr. ratio ternarii subsistens, *quae ipsa sit* et parva sit, et deficiens sit, et minorata sit, et limitata sit, hoc est: *et ipsa non sit.*

Hinc nullo modo est dicendum quod actus est limitatus *quia* est in *potentia ad actum.* Cfr. S. Th. 1. p., q. 50, a. 2, ad 4m.

PROPOSITIO IV.ª — Omnis actus in quo ordine est purus, est infinitus.

76. Probatur. — Actus purus non est limitatus; sed quod non est limitatum, non habet limites; quod non habet limites non habet fines, quod non habet fines est infinitum. Ergo actus purus est infinitus; in quo ordine est purus.

PROPOSITIO V.ª — Omnis actus purus est aliqua quidditas subsistens.

77. Probatur. — Quia actus purus nequit dari nisi in ordine substantiali, (accidens enim utpote entis ens, necessario

ordinatur ad subiectum). Porro quidquid pertinet ad substantiam rei essentialiter, aut pertinet ad ipsam ut eius quidditas, aut ut pars quidditatis. Actus autem purus nequit se habere ut alicuius quidditatis pars actualis. Ergo omnis actus purus est aliqua quidditas subsistens. " Substantiae separatae sunt quaedam quidditates subsistentes „ (C. G. II. 93).

Nota. Nostrum hic non est probare *existentiam* substantiarum separatarum, pro qua vide pulcherrima argumenta naturalia. C. G. II. 91.

PROPOSITIO VI.ª — Actus purus est necessario unicus in specie.

78. Probatur. — *a)* Actus purus in eo ordine, in quo dicitur actus, est infinitus. [Cfr. n. 76]. Sed quod est infinitum est unicum. Ergo actus purus in quovis ordine est unicus.

b) Unaquaeque ratio, si ipsa concipitur et non in habente, necessario unica est; sic v. gr. humanitas, albedo, dualitas, Sapientia etc. Ergo etiam si aliqua ratio ipsa subsistat, necessario unica erit. [Cfr. n. 72].

c) In tantum potest aliqua ratio specifica ipsa multiplicari, in quantum habet *quo* diversificetur numero in pluribus, salva tamen identitate specificae illius rationis. Oportet ergo quod illa plura praeter rationem illam specificam, aliquid habeant alienum ab ea ratione communi, per quod diversificentur. Sed in actu puro subsistente nihil est alienum ab ipso. Ergo non potest esse multiplex numero in una specie.

d) Paulo aliter: Plures actus puri eiusdem speciei, utpote simplicissimi, non haberent quo distinguerentur numero et simul specie convenirent. Ergo repugnant in eadem specie. (Et solum consequenter ad eorum esse simpliciter potest fieri consideratio de his, quibus eisdem competeret esse secundum quid).

e) Actus purus subsistens, utpote forma subsistens, nullius unitatis est capax nisi formalis. Ergo multiplicari non potest nisi formaliter. Multiplicatio autem formalis facit aliam speciem. Ergo actus purus nequit multiplex esse solo numero in eadem specie.

f) Paulo aliter: Quidquid multiplicatur aut multiplicatur formaliter aut materialiter seu numerice. Sed non potest multiplicari materialiter, quod in materia non est: quod autem multiplicatur formaliter, non multiplicatur in eadem specie. Ergo actus purus nequit esse multiplex solo numero in eadem specie.

g) Nihil ab alio differre potest secundum id, secundum quod cum alio convenit. Ergo si duo *simplicia* conveniunt in ratione specifica, in nullo differre possunt. Ergo prorsus sunt unum. Non enim est accipere in eo quod est prorsus simplex aliquid et aliquid, vel quidquam, quod non sit ipsum. Quidditas enim simplicis est ipsum simplex.

h) Iterum: Actus purus simplex non potest individuari seu esse hic per aliquid, quod non sit ipse actus purus. Ergo per ipsam suam speciem est hic. Ergo nequit esse numero multiplex in eadem specie. (NB. Ut diximus etiam supra, accidentium individuatio supponit individuum constitutum).

i) Si aliqua ratio seu essentia aliqua, etiam compositionem involvens, ipsa concipiatur et non in aliquo, necessario una est numerice sicut una formaliter, v. g. humanitas. Sed omnis actus purus subsistens est ratio quaedam subsistens et quidditas quaedam (ut dictum est n. 77) et non in aliquo. Ergo unicus necessario est numerice sicut formaliter. Cfr. S. Th. v. gr. C. G. l. II. c. 93 ubi invenies ex. gr. haec: " Substantiae separatae sunt quaedam quidditates subsistentes..... quidditates subsistentes sunt species subsistentes. Plures ergo substantiae separatae esse non possunt nisi sint species plures „. " Quaecumque sunt idem specie, differentia autem numero, habent materiam. Differentia autem quae ex forma procedit inducit diversitatem speciei: quae autem est ex materia inducit diversitatem secundum numerum etc. „. Praeclarum est et illud. " Omnia quae per essentiam dicuntur nihil praeter se habent admixtum „. C. G. l. I. c. 38. Actus autem dicitur essentialiter de actu puro et non participative. Et similia passim invenies apud S. Doct.

Nota autem quod per haec non probamus existentiam puri actus, sed solum quod, si datur, unicus est in specie.

79. Corollarium. — Hinc autem concludes quod omne, quod multiplicatur in eadem specie, non est actus purus. Atqui evidens est corpora multiplicari in eadem specie. Ergo substantia corporea non est actus purus. Idque probatur tot argumentis, quot probavimus actum purum esse necessario unicum in specie. Quod si corporea substantia non potest esse actus purus debet de necessitate constare ex actu et potentia, hoc est ex materia et forma, nihil enim aliud venit nomine materiae et formae, quam actus et potentia in ordine substantiali. Item ex hoc habebis angelos unicos esse in specie; item a fortiori Deum, utpote purissimum actum in ordine absoluto entis, necessario unicum esse: et nihil aliud praeter ipsum in ordine absoluto entis esse actum purum: ex quo sequitur etiam ea quae in ordine essentiae compositionem non habent, in ordine entis tamen ad quem omnia pertinent, ex actu et potentia componi; ut enim diximus in [n. 58] quidquid pertinet ad aliquem ordinem non ut actus purus illius ordinis, ad illum ordinem pertinet ut compositum ex potentia et actu etc. etc.

PROPOSITIO VII.ª — Repugnat dari potentiam puram in qua nullus sit actus, quamvis dari possit actus purus qui in nulla sit potentia.

80. Probatur. — " Quaecumque enim ita se habent ad invicem quod unum est causa esse alterius, illud quod habet rationem causae potest habere esse sine altero, sed non convertitur. Talis autem (ut mox patebit) invenitur habitudo materiae et formae, quod forma dat esse materiae; et ideo impossibile est esse aliquam materiam sine forma: tamen non est impossibile esse aliquam formam sine materia. Forma enim non habet, in eo quod forma, dependentiam ad materiam „. *De ente et essentia* c. 5. — Ut supra iam notavimus, et teneas semel pro semper, idem est dicere actum et potentiam et materiam et formam, cum sermo est de substantialibus, seu de essentia alicuius substantiae.

Nota etiam quod principium potentiale nullum quidem in se actum involvit, h. e. nihil de actu cui opponitur et cuius est subiectum; hic autem solum asseritur quod non potest dari subiectum quod sit merum perfectionis subiectum et

sub nullo actu existat: quod etiam involveret esse subiectum et non esse subiectum.

PROPOSITIO VIII.ª — Actus in potentia receptus multiplicabilis est.

81. Probatur. — Quia plura esse possunt de eadem ratione participantia. Quia unaquaeque ratio in subiecto existens multiplicatur pro subiectis. Sic v. g. albedo, vel scientia; et pariter unaquaeque forma [1]).

PROPOSITIO IX.ª — Actus in potentia receptus multiplicari potest in eadem specie.

82. Probatur. — Quia multiplicatio quae est ex multiplicitate subiecti est mere materialis; potest autem cum multiplicitate subiecti stare identitas specifica formae.

83. Nota. 1° Sunt formae quae admittunt magis et minus intra eamdem speciem et quaedam non, sed de hoc alibi.

2° Distinguere etiam oportet inter eam quam vocant *formam totius* et *formam partis,* de quibus alibi fuit mentio; forma totius exhibet in abstracto ipsam speciem quae constituitur ex actu et potentia quae ipsa multiplex est in diversis ratione principii ipsius materialis quod includit, praescindendo tamen per intellectum ab eiusdem significatione: de quo inferius; forma partis vero est actus ipse qui in potentia receptus illam determinat ad speciem.

PROPOSITIO X.ª — Actus purus et actus receptus in potentia quamtumcumque dicantur eiusdem ordinis, nequeunt in eadem specie univoce convenire.

84. Probatur. — Actus limitatus et illimitatus nequeunt formaliter esse idem; differentia autem omnis formalis excludit convenientiam in specie.

Hinc ordinum analogatio: ut cum dicitur ordo essentiae, ordo existentiae; idem dic de scientia, sapientia etc. recepta et subsistente, quae in infinitum distant, non tamen sine analogia.

---

[1]) Duplex est modus quo aliqua forma potest multiplicari: unus per differentiam, sicut forma generalis ut color in diversa species coloris, alius per subiectum, sicut albedo. (*Comp. Th.* c. 15).

PROPOSITIO XI.ª — Multiplicatio mere numerica tunc solum habetur quando tota ratio multiplicitatis est subiectum multiplex.

85. Probatur. — Quia omnis multiplicatio quae in aliqua essentia non sit ex solo subiecto est etiam formalis, quae diversificat speciem et non numerum tantum.

PROPOSITIO XII.ª — Quod in aliquo ordine est actus vel compositum ex potentia et actu, potest ulterius esse potentia relate ad alium ordinem, nisi sit actus purus in ordine ultimo.

86. Probatur. — Quia potest esse subiectum relate ad ulterioris ordinis perfectionem. Sic actus purus vel compositum aliquod perfectum in ordine essentiae potest esse potentia ad perfectiones accidentales. Non autem illud quod est actus in ordine ultimo actualitatis, quia ultra ultimum ordinem non est procedere.

CAPUT TERTIUM.

De actu et potentia in ordine essendi.

PROPOSITIO I.ª — Esse non solum importat actum, sed ad omnia comparatur ut actus.

87. Probatur. — Ipsi actus cuiuscumque gradus et perfectionis atque ipsa etiam composita antequam sint, dicuntur esse *in potentia* (vel activa causae vel passiva subiecti existentis in potentia ad formam et sic ad esse secundum illam formam). Ergo nullus actus (nisi sit ipsum esse) et nullum compositum est *in actu* nisi per hoc quod habet esse. Ergo *esse* non solum importat actum sed ad omnia comparatur ut actus et est causalitas omnis actus.

88. Corollarium. — *Hinc esse est ultima cuiusque rei actualitas.* Hinc ultimus ordo actualitatis est ordo essendi. Hinc actus purus in ordine essendi est primus actus simpliciter et absolute et causa omnis actus. — Primum enim in unoquoque genere est causa ceterorum, ut expendimus alibi.

PROPOSITIO II.ª — Esse ad nullum comparari potest ut potentia ad actum.

89. Probatur. — Actus ultimus nequit comparari ad ulteriorem actum. Sed hoc quod est esse (ut dictum est [n. 87]) est ultimus actus simpliciter et etiam in unoquoque. Ergo ad nullum comparari potest ut potentia ad actum.

Aliis verbis. Perficiens ut sic non est recipiens. Ergo ultimum perficiens nullo modo est recipiens. Sed esse est ultimum perficiens: ergo nullo modo est recipiens: ergo nullo modo est potentia. — Hinc S. Th. 1. p. q. 4. a. 1. ad 3m:

" Ipsum esse est perfectissimum omnium: comparatur enim ad omnia ut actus; nihil enim habet actualitatem nisi in quantum est, unde ipsum esse est actualitas omnium rerum et etiam ipsarum formarum. Unde non comparatur ad alia ut recipiens ad receptum, sed magis sicut receptum ad recipiens; cum enim dico esse *hominis,* vel *equi,* vel *cuiuscumque* alterius, ipsum esse consideratur ut formale et receptum, non autem ut illud cui competit esse „ (quod se habet ad ipsum potentiale et materiale). Et q. 3. a. 4 c.: " Esse est actualitas omnis *formae* vel *naturae* non enim bonitas vel humanitas significatur in actu nisi prout significamus eam esse. Oportet igitur quod ipsum esse comparetur ad essentiam, quae est aliud ab ipso, sicut actus ad potentiam „. Et C. G. I. 22: " Esse actum quemdam nominat, non enim dicitur *esse* aliquid ex hoc quod est in potentia, sed ex hoc quod est in actu. Omne autem cui convenit aliquis actus, aliquid diversum ab eo existens, se habet ad ipsum ut potentia ad actum. Actus enim et potentia ad se invicem dicuntur „. " Omnis res est per hoc quod habet esse; nulla igitur res, cuius essentia non est suum esse, est per essentiam suam, sed participatione alicuius, scilicet ipsius esse „. " Omnis res in qua est aliud essentia et aliud esse, est composita (Ibid) „ et ut habet c. 18. " In omni composito oportet esse actum et potentiam „. Cfr. pro hoc numero et seq. S. Th. *de Potentia* quae. 7 a. 2 ad 9.

90. Corollarium. — Hinc: " **Ipsum esse non potest participare aliquid.... quamvis id quod est, possit aliquid aliud participare** „. V. gr. " homo scientiam participare potest sed esse

hominis nequit aliquid participare seu recipere ad modum actus qui in esse eius tamquam in subiecto recipiatur, et non in ipsa essentia eius „. (C. G. I. 23).

PROPOSITIO III.ª — **Omne compositum ex actu et potentia in ordine essentiae et omnis actus purus in eodem ordine, qui non sit ipsum Esse subsistens, necessario est potentia ad actum essendi.**

91. Probatur. — Quia quod non pertinet ad ordinem essendi vel ut ipsum esse vel ut habens esse in se vel in alio realiter vel per rationem, prorsus nihil est. (Cfr. dicta de entis transcendentia). Hinc S. Th. *Comp. Theol.* c. 11. " Omnis actus qui est citra ultimum est in potentia ad ultimum actum. Ultimus autem actus est ipsum esse „ et nota diligenter rationem. " Cum enim omnis motus sit exitus de potentia in actum, oportet illud esse ultimum actum, in quod tendit omnis motus; et cum motus naturalis in hoc tendat quod est naturaliter desideratum, oportet hoc esse ultimum actum, quod omnia desiderant; hoc autem est esse „. — Unde etiam [n. 54] notavimus cum S. Th. Quod primum cui nomen actus fuit impositum est ipse motus, qui exercite per verba significatur quorum substantia est verbum esse, quod proinde dicitur substantivum verbum.

Nota. *Vis assertionis est quod unumquodque debeat pertinere ad ordinem essendi vel ut actus vel ut potentia.*

PROPOSITIO IV.ª — " **Impossibile est aliquod esse in actu nisi omnibus existentibus (seu concurrentibus) quibus esse substantiale designatur „.** C. G. I. 24.

92. Declaratur. — Sic v. gr. genus animal cogitari quidem potest sine ulla additione, sed esse seu existere non potest nisi in aliqua specie. Item species v. gr. homo, existere non potest nisi addito quo designatur substantialiter ut individuum : Et homo in universali cogitari potest, esse non potest. Quidditas vero quae est actus purus, nullo addito supra speciem non solum cogitatur sed est.

93. Corollarium. — Hinc habes quod existere non est nisi suppositorum. — Ratio; quia actus ultimus praesupponit quidquid complet potentiam in ratione potentiae ad ipsum. — Cave

tamen sic intelligas quasi prius dari deberet in se completum aliquod ad hoc quod possit suscipere actum essendi, perinde ac si deberet esse antequam esset, quod omnino absurdum est. — Hinc intelliges etiam quod habet S. Thomas ibid. arg.º ultimo. " Quod additur alicui ad designationem alicuius designatione essentiali, non constituit eius rationem sed solum esse in actu. Rationale enim additum animali, acquirit animali esse in actu, non autem costituit rationem animalis in quantum est animal „.

PROPOSITIO V.ª — Unusquisque actus et compositum quodlibet ex potentia et actu, tunc est in actu quando est (sive ut quod est sive ut quo aliquid est).

94. Probatur. — Nihil enim simpliciter est in actu nisi formaliter in quantum participat de primo actu.

95. Nota. 1º Differentiam quae est inter hoc quod est " esse potentiam vel actum „ et illud quod est " esse in potentia vel esse in actu „. Esse enim in potentia potest dici etiam de ipsis actibus et de ipsis compositis de quibus omnibus dici non potest quod sint pura potentia. Hoc tamen ipsum quod possint esse in potentia ex eo est quod sunt potentia ad actum essendi. Illud vero quod est ipsum esse non potest ullo modo esse in potentia unde de necessitate est.

96. Nota. 2º Nota etiam quod aliquod potest dici esse iam aliqualiter seu secundum aliquid sui et sic in potentia, antequam sit in actu, ut acetum est in potentia dum est vinum quod potest acescere; quatenus materia, nunc existens sub forma vini, eadem est materia futuri aceti, in potentia remota vel proxima existens ad formam aceti. — In formis autem separatis hoc esse non potest, sed alio modo dicuntur esse in potentia antequam sint; de quibus inferius.

PROPOSITIO VI.ª — Ad unamquamque formam sequitur esse.

97. Declaratur. — Scilicet acquirere aliquam formam est acquirere aliquod esse, itemque amittere aliquam formam est amittere aliquod esse. Patet ex dictis.

Hinc intelliges v. gr. haec quae habet S. Th. " Generatio

per se loquendo est via in esse et corruptio via in non esse. Non enim generationis terminus est forma et corruptionis privatio, nisi quia forma facit esse et privatio non esse. Dato enim quod aliqua forma non faceret esse, non diceretur generari id quod talem formam acciperet „. C. G. I. 26. — Sic acquirere sapientiam est acquirere esse sapientem etc. quod est esse secundum quid; quod vero acquirit formam substantialem acquirit esse simpliciter.

PROPOSITIO VII.ª — Actus essendi receptus in aliquo non specificat ullo modo essentiam sive naturam in qua recipitur sed facit eam esse in actu et est tantum quo illa est (exercite) non autem quo talis vel talis est (veluti signate).

98. Probatur. — Patet etiam ex communi sensu: cum quaerimus de aliquo quid est, aliud quaerimus ab eo quod quaerimus, cum quaerimus de eodem an est. Et tamen utrumque quaerimus de eodem et specie et numero.

99. Nota. Accurate tamen nota differentiam hanc actus essendi ab omnibus actibus formalibus; quaecumque enim aliae formae sive actus in subiecto recepti trahunt subiectum ad aliquam speciem sive substantialem, sive accidentalem; esse autem est solum talis actualitas a qua omnis actualitas dependet ut exercite sit, et sic non designat aliquid substantialiter sed supponit omnia substantialia faciens primo esse sic designatum. [Cfr. n. 92].

PROPOSITIO VIII.ª — Res ad invicem non distinguuntur secundum quod esse habent. C. G. I. 26. — Cf. *Comp. Theol.* c. 15.

100. Probatur. — Quia in hoc omnia conveniunt. (ib).

PROPOSITIO IX.ª — Res ad invicem non distinguuntur quasi diversis rebus competat esse specie diversum.

101. Probatur. — Nam esse non potest diversificari per aliquas differentias additas. [Cfr. n. 86 et 87]. — Cfr. S. Th. l. c. arg. 1°.

PROPOSITIO X.ª — Res per hoc differunt quod habent diversas naturas quibus acquiritur esse diversimode. (S. Th. ibid.).

102. Probatur. — Actus enim essendi, nedum diversificet

naturas, potius diversificatur in singulis secundum diversitatem specificam vel numericam eorum in quibus recipitur et quae facit esse actu extra causas. Sic enim differt esse hominem et esse leonem sicut differunt homo et leo: esse Petrum et Paulum sicut Petrus et Paulus. Et sic diversitas in rebus praeintelligitur diversitati actus essendi. Idem valet etiam in substantiis immaterialibus, unde *diversitas specifica in actibus puris* seu limitatio et terminatio uniuscuiusque ad suam propriam speciem, *repeti nequit ex eo quod sunt potentia ad actum essendi:* et sic differt esse Michaëlem et esse Raphaëlem sicut Michaël et Raphaël. — Consequenter tamen ad perfectiorem naturam perfectius est esse, et sic unumquodque tantum habet de esse quantum Deo appropinquat. (1. p. q. 3. a. 3. ad 2).

PROPOSITIO XI.ª — Esse subsistens per ipsam suam puritatem est esse distinctum ab omni alio esse.

103. Probatur. — (*De Ente* et *Ess.* c. VI). Quia, ut dictum est [n. 82] actus purus et actus receptus in potentia nequeunt univoce convenire.

Item. Actus omnis receptus est finitus, actus vero irreceptus infinitus. Atqui finitum et infinitum infinite diversificantur. Ergo. Cfr. [n. 73-74].

Hinc nihil obstat quominus esse subsistens sit natura aliqua infinite perfecta, dum e contra in participantibus non est natura seu quidditas eorum; totaliter enim alterius rationis est esse subsistens et esse receptum. Multo magis distinguitur ab esse communi.

PROPOSITIO XII.ª — Actus purus in ordine essendi seu absolute purus est necessario et absolute unicus.

104. Probatur. — Quia absolute est infinitus. (Probationes S. Th. videbis in theologia).

PROPOSITIO XIII.ª — Actus purus in aliquo ordine particulari multiplex dari potest.

105. Probatur. — Non enim repugnant plura quae sint infinita secundum quid, unumquodque in sua specie.

Supra autem probavimus quod actus purus, quocumque modo, nequit esse multiplex numero in eadem specie [n. 78]. Sic substantiae immateriales in maximo numero sunt, sed specie

omnes diversificantur, sunt enim, ut diximus, quidditates subsistentes.

PROPOSITIO XIV.ª — **In actibus puris subsistentibus (seu formis subsistentibus) datur realis compositio ex actu et potentia in ordine essendi.**

106. Probatur. — Omne enim quod pertinet ad ordinem essendi et non est ipsum esse, ad talem ordinem pertinet ut habens et participans esse ut sic; sed omne habens et participans esse ut sic, subiectum est, subiectum autem potentia, ut dictum est in [n. 55].

107. Corollarium. — Hinc est quod multiplicari possint ut dictum est in n. praeced.

Sic S. Thomas " Quia in intelligentiis ponitur potentia et actus non erit difficile invenire numerum intelligentiarum; quod esset impossibile si nulla potentia in eis esset „ " Oportet quod ipsa forma vel quidditas quae est intelligentia, sit in potentia respectu esse quod a Deo recipit, et illud esse receptum est per modum actus: et ita invenitur actus et potentia in intelligentiis, non tamen forma et materia „ id est actus et potentia in ordine essentiae. Et sic dicuntur finitae superius et infinitae inferius, et componi ex quod est et quo est. (*Ibidem,* scilicet *De Ente* et *Ess.* c. V°.)

PROPOSITIO XV.ª — **Pariter in rebus materialibus praeter compositionem ex actu et potentia in ordine essentiae admitti debet compositio ex actu et potentia in ordine essendi.** Cfr. [n. 86 et 90].

108. Probatio primae partis nunc supponitur cf. tamen [n. 78] ratio vero pro secunda parte, eadem est ac pro n. super.[1])

---

[1]) Unde S. Th. 1. p. q. 50. a. 2. ad 3.m ait: " Licet in Angelo non sit compositio formae et materiae, est tamen in eo actus et potentia. Quod quidem manifestum potest esse ex consideratione rerum materialium, in quibus invenitur duplex compositio. Prima quidem formae et materiae, ex quibus constituitur natura aliqua. Natura autem sic composita *non est esse,* sed esse est actus eius. Unde ipsa natura comparatur ad suum esse sicut potentia ad actum. Subtracta ergo materia, et posito quod ipsa forma subsistat non in materia, adhuc remanet comparatio formae ad ipsum esse ut potentiae ad actum. Et talis compositio intelligenda est in An-

PROPOSITIO XVI.ª — In omnibus rebus creatis essentia realiter distinguitur ab existentia.

109. Probatur. — Actus et potentia in ordine reali distinguuntur realiter. Cf. [n. 68-69].

Item. Res omnes creatae ad ordinem essendi pertinent hoc ipso quod sunt (exercite). Atqui ad ordinem essendi, ut actus purus, in ipso ordine absoluto essendi, non nisi unum aliquod pertinere potest, quod est ipsum esse, quod per se ipsum est, nec est participatio alicuius. Ergo omnia alia praeter ipsum (omnia creata) ad ordinem essendi pertinent ut composita realiter ex actu aliquo essendi in eis recepto, et subiecto aliquo in quo recipitur, quod est essentia eorum in sua ultima terminatione. Cf. [n. 58, 74, 78, 90, 104].

110. Nota. — Sufficiat haec innuisse: quaestio enim haec seorsim erit nobis tractanda suo loco. Solum nota diligenter actum et potentiam non comparari invicem ut duo entia, praesertim in ordine substantiali accepta, sed mere ut duo principia entis, quae constituunt unum ens, et quidem intrinsece constituunt, et primo constituunt, et sic sunt *ut quibus* est illud, non *ut quae* proprie sint ipsa. Quod si quis non valeat concipere, analogando ex iis quae sensui manifesta sunt in rerum mutationibus, principia rerum, quae sint mere ut principia alicuius, quod ipsum proprie sit, et invicem distinguantur *solum ut principia* realiter distincta, nec putat distincta esse realiter nisi quae distinguuntur ut v. gr. duo homines, unus ab alio, hunc

---

gelis; et hoc est quod a quibusdam dicitur quod Angelus est compositus ex *quo* est et *quod* est, vel ex *esse* et *quod* est, ut Boetius dicit: Nam quod est, est ipsa forma subsistens; ipsum autem *esse* est quo substantia est: sicut cursus est quo currens currit. Sed in Deo non est aliud esse et quod est, ut supra ostensum est q. 3. a. 7. Unde solus Deus est actus purus„.

Ex quibus verbis manifestissime patet quomodo distinctio quae asseritur a S. Thoma inter essentiam et existentiam est prorsus realis: quod patet tum ex comparatione compositionis inter essentiam et esse cum compositione inter materiam et formam, quae certo est realis, tum ex hoc quod S. Doctor dictam compositionem excludit tantum in Deo: si enim esset mere rationis, nulla esset ratio cur a Deo excludenda sit. Multiplicare autem sophismata ut veritas sole clarior, obscura reddatur, et inutile et indignum quidem est.

ego putaverim minus errare si neget talem distinctionem realem quam si affirmet. Sicut pariter dicerem de illo qui conciperet naturam realem iam existentem extra causam, et non valens in ipsa compositionem ex actu et potentia deprehendere, imploraret aliquam existentiam, quam rei superindueret ; similis pictori illi, qui affabre Adamum et Evam depinxerat Dominum adeuntes et exorantes ut crearentur ab ipso.[1]) — Qui tamen talia, distinctionem hanc dum audiunt, cogitant, sibi imputent quod effingunt. — Negari autem certe non potest distinctio realis inter essentiam et existentiam in rebus creatis, quin principia metaphysica Angelici doctoris de actu et potentia omnino subruantur, et cum iis plurima alia quae ab ipsis dependent, et fere dixerim tota eius Metaphysica, quae Theologiam ipsam totam intime pervadit. — Quod si non esset, quaestio huiusmodi, utpote pro quibusdam litigiosa, negligi posset. Reliqua suo loco. Cfr. S. Th. De *Ente* et *Essentia* c. 5.

PROPOSITIO XVII.[a] — **" Sicut omnis nobilitas et perfectio inest rei secundum quod est, ita omnis defectus inest ei secundum quod aliqualiter non est** „ (C. G. I. 28).

111. Declaratur. — Sicut si homo sit secundum humanitatem et non sit secundum sapientiam. Ad unamquamque enim formam sequitur esse, ut demonstratum est n. 29 et quidem formae proportionatum, ut habes ex [n. 102]. S. Th. sic probat l. c. " Nam res, secundum quod suum esse contrahitur ad aliquem specialem modum nobilitatis, maiorem vel minorem, dicitur esse secundum hoc nobilior vel minus nobilis „. Et " Omnis nobilitas cuiuscumque rei est sibi secundum suum esse : nulla enim nobilitas esset homini ex sua sapientia, nisi per eam sapiens esset, et sic de aliis „. " Ista vero quae tantum sunt (seu tantum habent esse, sed non ita quod sint ipsum esse) imperfecta sunt, non propter imperfectionem ipsius esse absoluti, non enim ipsa

[1]) Audiantur verba ista : " Qui essentiam actualem ab existentia realiter distinguunt, *tenentur omnino fateri* ex vi essentiae actualis rem fieri formaliter extra causas quoad essentiam, et tantum quod existentiam rem fieri formaliter extra causas per existentiam „. Quae verba sufficerent per se ut iudicium feratur de iis qui doctrinae S. Thomae in hac re contradicunt.

habent esse secundum totum suum posse (h. e. secundum totam suam virtutem et potestatem) sed quia participant esse per quemdam particularem modum et imperfectissimum „ [1]).

PROPOSITIO XVIII.ª — Actus purus in ordine essendi omnem nobilitatem seu perfectionem in sua simplicissima unitate praehabet, quae quibuscumque aliis quomodocumque competere possit, et in infinitum superexcedit.

112. Probatur. — Rei, quae est ipsum esse, competit esse secundum totam suam potestatem. Ergo ei nulla nobilitas essendi deesse potest. Omnis vero nobilitas quae quibuscumque aliis quomodocumque competere possit competit eis secundum particularem aliquem et determinatum modum essendi, praecontentum virtute et potestate in ipso Esse absolute subsistente. — In infinitum autem superexcedit; quia actus purus ad receptum se habet ut infinitum ad finitum, quod infinite exceditur ab infinito. Cfr. [n. 71 et 73].

113. Nota. — Plura hic addi possent de purissimo Actu, sed de his in theologia, ne nimii hic simus. Tamen simplicitatem omnimodam primi Actus, infinitam Eius perfectionem, absolutam Eius necessitatem in essendo, et consequenter aeternitatem et alia huiusmodi facile ex dictis unusquisque per se concludere potest. — Et iam nunc aspicere potes utrum S. Th. in talibus quaestionibus ad haec principia assidue recurrat. Unde bene dixit Aristoteles quod qui distinctionem tollunt inter potentiam et actum " non parvum quid quaerunt perimere „ IX *Met.*

CAPUT QUARTUM.

De variis permixtionibus potentiae et actus.

PROPOSITIO I.ª — Omnes rerum naturae (secundum quas eisdem acquiritur esse diversimode et per quas invicem differunt) sunt sicut numeri in quibus unitas addita vel subtracta variat speciem. (Cf. [n. 102] cum eoque connecte).

114. Praenota. — Propositio intelligitur de rebus creatis,

[1]) Imperfectio accidit rei secundum quod materia sub privatione invenitur; perfectio omnis ex forma est. (*Comp. Th.* c. 20).

ut patet. Et sensus est quod diversitas specierum omnium est secundum diversum gradum perfectionis ita quod non dentur duae species in perfectione aequivalentes. Hoc passim colligitur ab Arist. et S. Th. a posteriori ex ipsa rerum materialium consideratione, in quibus res adeo evidens est, ut dederit ansam Darwinianae et Transformisticae fatuitati; hoc ante Darwin, multo universalius collegerant philosophi ex materialibus ad immaterialia analogando; fatuitatem veritati coniungere et insipientiam, hoc recens fuit et recens inventum.

115. Probatur. — Quaecumque inter se differunt in ratione appropinquationis et assimilationis ad unum simplicissimum, de necessitate inter se differunt secundum magis et minus, secundum prius et posterius in appropinquando ad illud unum. Sicut si plures lineae diversimode se habeant ad unam, secundum maius et minus in longitudine, etiam ad invicem se habere debent de necessitate secundum maius et minus. Omnis autem perfectio quae est in rebus, est secundum assimilationem quamdam ad unum primum Ens, quod est causa omnis entis; et omnis rerum diversitas est secundum diversam assimilationem ad ipsum in perfectione. Ergo rerum species omnes de necessitate invicem differunt secundum perfectius et minus perfectum. Hinc una species addit supra aliam, cuius perfectionem virtualiter includit, sicut numerus maior supra minorem, et nonnisi per hoc species variantur. Hinc S. Th. " Diversae rerum species gradatim naturam entis possident „ (C. G. II. 95). " Unumquodque constituitur in specie secundum quod *terminatur* ad aliquem specialem gradum in entibus „ (I. p. q. 50. a. 2. ad 1.m). " Omne quod habet aliquam perfectionem, si alia perfectio ei desit, est limitatum sub aliquo genere vel in specie. Nam per formam quae est perfectio rei, quaelibet res in genere vel specie collocatur „. (*Comp. Th.* 21). " Inveniuntur rerum species et formae differre ab invicem secundum perfectius et minus perfectum; sicut in rerum ordine, animata perfectiora sunt inanimatis, et animalia plantis, et homines animalibus brutis; et in singulis horum generum sunt gradus diversi. Et ideo Arist. assimilat species rerum numeris, qui differunt secundum additionem vel subtractionem unitatis „ (S. Th. I. p. q. 76. a. 3).

Et iterum " *Similitudo ad unum simplex considerata, diversificari non potest, nisi secundum quod magis et minus similitudo est propinqua vel remota. Quanto autem aliquid propinquius ad divinam similitudinem accedit,* (tanto) perfectius est; unde *in formis differentia esse non potest nisi per hoc quod una perfectior existit quam alia* (forma enim nihil aliud est quam divina similitudo participata in rebus, utpote secundum quam unaquaeque res habet esse et ad Deum accedit qui est suum esse simplex; ut hic habet S. Th.): propter quod Aristoteles (*Metaph.* VIII) definitiones per quas naturae rerum et formae signantur, assimilat numeris; in quibus species variantur per additionem vel subtractionem unitatis; ut ex hoc detur intelligi quod formarum diversitas diversum gradum perfectionis requirit. Et hoc evidenter apparet naturas rerum speculanti. Inveniet enim, si quis diligenter consideret, *gradatim rerum diversitatem* compleri; nam supra inanimata corpora inveniet plantas, et super has irrationabilia animalia, et super haec intellectuales substantias; et in singulis horum inveniet diversitatem secundum quod quaedam sunt aliis perfectiora, in tantum quod ea quae sunt suprema inferioris generis, videntur propinqua superiori generi, et e converso, sicut animalia immobilia, sunt similia plantis; unde et Dionysius (de div. N. c. 7) ait quod " divina Sapientia coniungit fines primorum principiis secundorum. Unde patet quod rerum diversitas exigit quod non sint omnia aequalia, sed sit ordo in rebus et gradus „ (C. G. l. III. c. 97) [1]).

PROPOSITIO II.ª — In omnibus rebus sive materialibus sive immaterialibus differentia secundum quam genus determinatur ad speciem, sumitur a propria cuiusque terminatione in gradu naturae. Cfr. [n. 102].

116. Probatur. — Quia ut patet ex numero praecedenti " Ratio determinatae speciei consistit in hoc quod natura communis in determinato gradu entis collocatur „. (C. G. II. q. 5). Et sic species differunt ratione diversae terminationis, illud autem est differentia uniuscuiusque propria, quo differt ab

[1]) Omnia in quantum sunt, assimilantur Deo qui est primo et maxime ens. (C. G. I. 80).

alio. Et sic differunt res secundum diversum complementum seu terminum seu gradum quem habent in propria natura.

117. Nota. Hoc magis patebit ex n. seq. ubi habes etiam verba S. Th. de hoc. Quomodo autem in rebus materialibus et quo sensu dicatur genus sumi a materia et differentia a forma, inferius expendetur, cum de formis materialibus seu in materia receptis erit sermo.

PROPOSITIO III.ª — 1° In formis separatis genus et differentia accipiuntur secundum unum et idem; 2° in quantum considerantur modo ut indeterminate, modo ut in suo complemento seu terminatione et gradu naturae; 3° ad quem consequitur diversus gradus potentialitatis ad esse [1]).

118. Probatur 1ª pars. — Quia ubi non est nisi unum simplex, non potest attendi realiter aliud et aliud secundum quod sumatur determinabile et determinans.

Sic S. Th. I. p. q. 50. a. 2. ad 1m ubi ex professo de hoc agit: confer obiectionem et videbis: " Ad 1m e. d. q. differentia est quae constituit speciem. Unumquodque autem constituitur in specie secundum quod determinatur *ad aliquem determinatum gradum* in entibus, quia *species* rerum sunt sicut numeri, qui differunt per additionem et subtractionem unitatis, ut dicitur. *Met.* VIII. In rebus autem materialibus aliud est quod determinat ad specialem gradum, scl. forma, et aliud quod determinatur, scl. materia; unde ab alio sumitur genus et ab alio differentia. Sed in rebus immaterialibus non est aliud determinans et determinatum, sed unaquaeque earum secundum seipsam tenet determinatum gradum in entibus. Et ideo genus et differentia in eis non accipitur secundum aliud et aliud, sed secundum unum et idem; quae tamen differunt secundum considerationem nostram; in quantum enim intellectus noster considerat illam rem (essentiam) ut indeterminate, accipitur in eis ratio generis; in quantum vero considerat ut determinate, accipitur ratio differentiae. „ Et C. G. II. 95. " Si igitur aliqua natura est simplex, ipsa quidem *per seipsam* erit terminata, nec

---

[1]) Cf. S. Th. 1. p. q. 50. a. 2 ad 1m; q. 56. a. 2. ad 1m q. 76. a. 3. ad 4m. C. G. l. II. 95. *De Verit.* q. 8. a. 7. c. in fine.

oportebit quod habeat duas partes, quarum una sit terminans et alia terminata. Ex ipsa ergo ratione naturae sumetur ratio generis, *ex terminatione* autem eius, secundum quod est in tali *gradu* entium, sumetur eius *differentia specifica.* Ex quo etiam patet quod si aliqua *natura* non est terminata, sed infinita in se, sicut supra ostensum est de natura divina, non est in ea accipere neque genus, neque speciem „ hoc ipso quod non habet *terminationem* in linea naturae. — Et etiam in ipsis Sententiis 2. D. 3 q. 1. a. 5 dicit quod in spiritualibus substantiis " ex *complemento quidditatis* trahitur ratio differentiae „ et " quot sunt gradus *complementi* (quidditatis), tot sunt differentiae specificae. „ Et nota quod etiam in materialibus, in tantum differentia sumitur a forma, in quantum forma est, quae *determinat,* et diversae formae important diversam *terminationem.*

119. Corollarium. — Hinc habes quod " *accidit generi et differentiae,* quod determinatio quaedam, quam differentia importat, ex alio principio causetur, quam a natura generis, ex hoc quod natura, quam significat definitio, est composita ex materia et forma, sicut ex terminante et terminato. „ (C. G. l. c.). Unde generaliter statui debet quod posuimus in [n. 116]. Adde si vis, quod " omnes angeli differunt specie secundum diversos *gradus naturae* intellectivae. „ (I. p. q. 56. a. 4. ad 1[m]).

120. Probatur 2[a] pars. — Patet ex verbis supra relatis ex I. p. q. 50. a. 2. ad 1[m]; intellectus enim potest unum et idem multipliciter accipere, ut cum idem accipit ut ens, ut substantiam, ut spiritum, seu spiritualem et intellectualem substantiam et sic porro. In quantum ergo considerat substantias immateriales ut indeterminate quantum ad ultimam determinationem, accipit in eis rationem generis, in quantum vero considerat eas ut determinate, seu unamquamque secundum suam terminationem, accipit in eis rationem differentiae. Hae tamen differentiae sunt nobis ignotae; ut observat S. Th. de *Ente et Ess.,* et per se patet.

121. Declaratur 3[a] pars. — Tertium quod asseritur intelligas iuxta dicta in [n. 102] restricte ad illum sensum si consideres esse existentiae. Si vero vis S. Th. intelligere in locis, ubi sic loquitur, nota quod S. Doctor identidem considerat po-

tentialitatis gradum hoc sensu, quod natura illa dicatur habere plus potentialitatis, quae minus actualitatis habet, sine ullo respectu ad actum aliquem, cuius sit susceptiva. Tunc vero gradus potentialitatis attenditur in re, secundum ipsam eius perfectionem specificam, secundum quod recedit a primo ente, et secundum diversum recessum accipiuntur gradus potentialitatis diversi; gradus autem actualitatis secundum accessum ad ipsum primum ens et primum actum: quorum utrumque habetur per idem, seu per specificam essentiae perfectionem, quae diversificatur secundum diversum complementum, terminationem, seu gradum naturae. Et nota quod prior natura est accessus quam recessus sicut actus prior est potentia ut dicetur.

Relate vero ad actum essendi seu ad esse existentiae nota, quod quanto actualior est in se aliqua natura, eo minus limitat actum essendi quem suscipit, quia limitare est potentiae in quantum huiusmodi, ut infra magis patebit.

PROPOSITIO IV.ª — **Praeter compositionem ex actu et potentia in ordine essendi, admitti debet etiam compositio ex actu et potentia in ordine essentiae.**

122. **Probatur.** — Plura enim dantur, quae in eadem specie multiplicantur numero, ut patet in rebus corporeis. Atqui actus purus in eadem specie nequit esse multiplex, ut dictum est. Ergo.

PROPOSITIO V.ª — **Non potest idem subiectum secundum idem simul tempore suscipere plures actus eiusdem generis et diversae speciei.**

123. **Probatur.** — Nam specificae differentiae se excludunt invicem pro eodem tempore ab eodem subiecto, cum sint oppositae. Sic idem secundum idem nequit simul esse album et rubrum. (Idem tamen est subiectum contrariorum successive) [1]).

PROPOSITIO VI.ª — **Potest idem subiectum, materialiter acceptum, plures formas diversi generis simul tempore suscipere; quarum non eodem modo est subiectum.**

124. **Declaratur.** — Sic e. g. saccarum suscipit figuram,

---

[1]) Hinc unius simplicis potentiae non sunt simul duae operationes. (C. G. I. 76).

colorem, saporem, calorem etc., qui actus in diversis proprietatibus materiae fundantur, et sic important in eodem diversas potentialites.

PROPOSITIO VII.ª — Potest etiam dici idem subiectum plures formas mediate suscipere, in quantum cum aliqua forma constituit compositum, quod ipsum proprie est subiectum sequentis formae; vel in quantum una forma praerequiritur in subiecto ad susceptionem alterius.

125. Declaratur. — Sic. v. g. potentia seu subiectum primum in ordine substantiali suscipit formam substantialem et, ea mediante quodammodo, accidentales, quae tamen non in pura potentia sed in composito subiectantur. Et iterum quantitas v. g. praerequiritur in substantia ad susceptionem figurae, et sic substantia dici potest suscipere figuram mediante quantitate.

PROPOSITIO VIII.ª — Unicum subiectum potest esse in potentia ad plures actus eiusdem generis et diversae speciei successive habendos.

126. Declaratur. — Sic v. g. idem lignum ad formam statuae, mensae, sellae, successive habendas. Cera ad varias figuras. Eadem materia ad plures formas substantiales.

PROPOSITIO IX.ª — Potentia quae ad plures actus se habet, dum est sub uno, retinet capacitatem seu potentialitatem ad alios.

127. Probatur. — Nam hoc ipsum quod est: posse recipere alios, est habere capacitatem seu potentialitatem ad illos.

PROPOSITIO X.ª — Quandocumque una aliqua potentia ad plures actus se habet, oportet (si vere una sit) quod plures illi actus conveniant in ratione unius specificativi potentiae: hoc autem contingere non potest nisi illi actus in aliquo uno genere conveniant.

128. Probatur. — Omnis enim unitas potentiae est ab aliqua unitate actus, et unitas quasi specifica potentiae ab unitate quasi specifica ipsius actus.

129. Nota. *Alio tamen modo potentia specificatur ab actu cui subest, et ab iis omnibus quibus substare potest.* Materia enim prima sub forma vini trahitur ad speciem vini tantum, et est ut *ma-*

teria vini, quamvis ipsa secundum se sit subiectum formae corporeae cuiuscumque; et per ordinem ad formas corporeas, ad quas omnes est in potentia, constituatur in sua ratione materiae *corporalis.*

PROPOSITIO XI.ª — **Subiectum primi actus est carens omni actu, et proinde pura potentia in ordine entis.**

130. Probatur. — Nam omne subiectum est in se carens actu ad quem dicitur, et quem sustentat: potentia ergo ad *primum* actum est *in se* carens prorsus omni actu; proinde repugnat dari nisi sub actu ut primum principium potentiale compositi. Tale subiectum vocatur materia prima.

PROPOSITIO XII.ª — **Omnis actus substantialis alicuius potentiae est actus primus.**

131. Probatur. — Actus enim substantialis dicitur qui constituit primo substantiam, sed nullus actus intelligi potest esse in potentia aliqua ante actum substantialem. Ergo omnis actus substantialis est primus. — " Cuicumque ergo formae substernitur ens actu quocumque modo, illa forma est accidens „. (*De Spir. Creat.* a. III. c.)

PROPOSITIO XIII.ª — **Actus substantialis in re per se una unus est.**

132. Probatur. — *a)* Quia est primus; *b)* quia actus substantialis dat speciem; res autem per se una nequit esse specie multiplex.

PROPOSITIO XIV.ª — **Actus et potentia in ordine substantiae constituunt per se unum.**

133. Probatur. — Nam quae constistuunt primo substantiam nequeunt esse substantiae constitutae; sed substantia, quae non constat pluribus substantiis constitutis, nequit esse per se multiplex substantia, et solum una per accidens. Ergo est per se una in ratione substantiae; et consequenter ens per se unum.

134. Nota. Potest tamen ex pluribus substantiis, substantialiter transmutatis, fieri substantia per se una, per hoc quod materia, quae erat sub pluribus formis, fiat postmodum sub unica forma.

PROPOSITIO XV.ª — **Omnis actus substantialis perfectior, virtute continet imperfectiores, in sua simplici unitate.**

135. Probatur. — Nam ut dictum est [n. 114-115] sunt gradus in entibus; ex eodem autem intelliguntur gradus in diversis actibus ex quo in diversis entibus, imo in actibus prius sive receptis sive subsistentibus, quia gradus illi sumuntur secundum perfectionem. — Unde S. Thomas (C. G. II. 15) dicit quod Deus *" est virtualiter omnia „*.

PROPOSITIO XVI.ª — Actus perfectior prius intelligitur perficere materiam secundum inferiores gradus, quos virtualiter continet, quam secundum superiores.

136. Probatur. — Nam non potest intelligi hoc aliquid esse homo, nisi praeintelligatur esse substantia, et vivens, et sentiens. Idem non potest intelligi forma aliqua dare gradum rationalis, quin praeintelligatur dare gradum substantiae etc. — Ratio est, quia priora possunt esse sine posterioribus. Posteriora autem in via generationis sunt perfectiora (Cfr. C. G. II. 91); *De Spirt. Creat.* a. 3. ad 2ᵐ.

PROPOSITIO XVII.ª — Omnem gradum consequuntur propriae passiones.

137. Probatur. — Sicut enim habere tres angulos duobus rectis aequales, Isosceli competit quidem, at non ut isosceli, sed ut triangulo, ita homini habere dimensiones etc. sed non in quantum homo vel animal, sed in quantum corpus. Idem dic de ceteris propriis accidentibus. — Cui enim competit aliquid, et ea competunt, quae consequuntur. (Cfr. S. Th. *De Spir. Creat.* 3 ad 18).

PROPOSITIO XVIII.ª — Ea quae consequuntur in aliquo composito substantiali ad formam, secundum quod dat gradus praecedentes, haberi debent ut dispositiones necessariae ad ipsam eandem formam secundum quod dat gradus ulteriores.

138. Probatur. — Nam forma non perficit nisi materiam dispositam, ad omnem autem gradum praerequiruntur propriae dispositiones, quae praesupponunt gradum praecedentem, tanquam accidentia consequentia illum gradum. Sic anima, ut talis, est actus corporis physici, organici etc. (Cfr. pro [nn. 135. 136. 137. 138] S. Th. Iª p. q. 76. a. 6. ad 1ᵐ; *De Anima* a. 9. — et 3. C. G. 97).

PROPOSITIO XIX.ª — Materia prima in omnibus compositis naturalibus intelligitur habere partes extra partes, consequenter ad formas in quantum praecise dant esse corporis, non autem hanc vel illam speciem determinatam.

139. Probatur. — Nam quantitas dimensiva est accidens corporis in quantum corpus est; et sic competit leoni, non in quantum leo est, nec in quantum animal est, sed in quantum corpus est, habere dimensiones.

PROPOSITIO XX.ª — Materia actuata per formas corporeas, in quantum dant praecise esse corporis, considerari debet ut quodammodo una tota materia corporalis, in qua signari possunt partes in infinitum.

140. Probatur. — Nam in iis, quae plura sunt et habent aliquid commune, si fiat praecisio ab omnibus distinguentibus (et plurificantibus) habetur solum illud unum. Ergo praescindendo a gradibus formarum distinguentibus, sive specifice, sive numerice, materia sub forma corporeitatis existens considerari debet ut quodammodo una materia corporalis adhuc in potentia ad omnes species corporis, quas habet per gradus ulteriores formarum. (Cfr. notata de abstractione mathematica).

Sic loquimur de totalitate materiae corporalis ut cum dicimus quod non tota est sub unica forma, sed una pars eius sub forma auri, alia sub forma leonis. In materia autem, rationem totius et partis accipere non possumus, nisi intelligatur materia esse, sicuti de facto est, tota sub dimensionibus. Et sic communiter loquuntur homines non de materia prima ut est pura potentia, sed de materia corporali ut sic, considerando gradum corporeitatis, et praescindendo ab aliis, quos habet; ut cum loquimur de animali ut sic, et non de leone vel testudine. — Ex his intelliges quid significet S. Th. quando loquitur de materia sub forma communi, scil. corporis. Et illud v. g. "Impossibile est ut fiat plurificatio alicuius, nisi per additionem alicuius differentiae, sicut multiplicatur natura generis in speciebus „. *De Ente et Ess.* c. 5. Et assiduum est in mente S. Th., praecisis distinguentibus, considerare, quod remanet, prorsus ut unum, non habens unitatem nisi formalem, si agitur de gradu generico vel specifico. — Hinc etiam intelliges quomodo numerus

praedicamentalis sequatur ad divisionem continui; duae enim formae receptae in diversis partibus materiae corporalis faciunt divisionem eiusdem in duas materias duorum compositorum.

PROPOSITIO XXI.ª — **Potest materia prima, intellecta sub dimensionibus suscipere secundum diversas partes quantitativas simul tempore diversas formas corporeas; successive vero etiam secundum idem.**

141. Probatio patet ex dictis [nn. 123 sq.] sic de facto quaedam pars materiae est sub forma leonis, quaedam sub forma lapidis: et eadem pars materiae corporalis, quae erat prius sub forma vini, transit postmodum sub forma aceti.

PROPOSITIO XXII.ª — **Materia sic intellecta sub corporeitate et dimensionibus, intelligitur suscipere, secundum diversas partes, formas diversas, secundum ulteriores perfectionis gradus.**

142. Probatur. — Quamvis enim omnes gradus dentur in unoquoque ab una eademque forma substantiali, tamen materia, in quantum perfecta per gradum corporeitatis adhuc, ut diximus in [n. 140], intelligitur ut in potentia ad gradus ulteriores. Et quantum ad hoc, quod est dare gradum corporeitatis, forma una corporea, non differt ab alia. Unde forma corporeitatis ut sic, *praecisis distinguentibus,* consideratur quandoque ut forma communis, ut diximus in fine [n. 140]. Haec habes apud S. Th. 1. p. q. 76. a. 6. ad 1m: "Forma perfectior virtute continet quidquid est inferiorum formarum; et ideo una et eadem existens perficit materiam secundum diversos perfectionis gradus. Una enim et eadem forma est per essentiam, per quam homo est ens actu, et per quam est corpus, et per quam est vivens, et per quam est animal, et per quam est homo. Manifestum est autem quod unumquodque genus consequuntur propria accidentia. Sicut ergo materia praeintelligitur perfecta secundum esse ante intellectum corporeitatis, et sic de aliis; ita praeintelliguntur accidentia, quae sunt propria entis ante corporeitatem: et sic praeintelliguntur dispositiones in materia ante formam non quantum ad omnem eius effectum, sed quantum ad posteriorem „, h. e. quantum ad omnem effectum qui aliquo

alio effectu sit posterior. — Et ad 2m. " Dimensiones quantitativae sunt accidentia consequentia corporeitatem, quae toti materiae convenit. Unde materia iam intellecta sub corporeitate (sq. sub. f.a quodammodo communi) et dimensionibus potest intelligi ut distincta in diversas partes, ut sic accipiat diversas formas secundum ulteriores perfectionis gradus. Quamvis enim eadem forma sit secundum essentiam, quae diversos perfectionis gradus materiae attribuit, ut dictum est, tamen secundum considerationem rationis differt „. Et quidem ita ut quaedam realiter pertineant v. gr. ad hominem in quantum corpus est, et quaedam in quantum animal est, et quaedam in quantum homo est et non sit verum dicere contrarium.

PROPOSITIO XXIII.a — In quantum materia secundum diversas partes signatas in totalitate materiae corporalis suscipit formas numero diversas intelligitur esse primum principium individuationis in corporeis substantiis.

143. Praenota. — Potest primum principium individuationis attendi sive in fieri rei, sive in facto esse. In fieri dico, ut si quaeram: Unde est primo quod hoc, quod nunc fit de novo, evadat hoc, distinctum ab omnibus coexistentibus? In facto esse dico, ut si quaeram: unde primo hoc, quod est hoc, habet in tota sua duratione, quod sit hoc? Respondeo autem: ex materia signata: h. e. ex eo quod fit, vel est ex hac parte signata materiae corporalis, quae tota, ut dictum est, existit sub dimensionibus.

Ubi nota, quod quantitas prae reliquis accidentibus, imo prae formis omnibus, habet quod individuetur, non solum ex subiecto, sed etiam ex situ; unde etiam in uno eodemque individuo possunt accipi partes plures, quarum unaquaeque sit haec ex eo quod est *situaliter* extra alias, quod non contingit in aliis generibus: unde in substantia quanta praeter hoc individuum totum, ratione quantitatis dimensivae, potest accipi etiam haec pars. Sic autem individuae sunt partes formaliter in quantum signatae. Haec enim pars, v. g. in hoc lapide, non habet determinationem nisi in quantum *signatur et indicatur*. Unaquaeque autem pars, quae hoc modo signatur, est realiter extra quamcumque aliam partem signabilem, et sic realiter distincta

a quacumque alia parte signata, vel signabili in eodem continuo. *Materiam* ergo *signatam* intellige non eam, quae sit sub dimensionibus quomodocumque, sed sub *dimensionibus his* determinatis, ut cum dico signando seu indicando: *sub his.*

144. Probatur. — Hisce positis dico: Sicut quaerere de individuo corporeae naturae, est quaerere *de hoc* signato et indicato; ita quaerere de primo eius individuationis principio, est quaerere de primo principio, unde *hoc* corpus, v. gr. hic lapis, habeat *primo quod sit hic.* Et quandoquidem *in lapide hoc,* et materia est *haec,* et forma est *haec,* et compositum est *hoc,* quaeritur unde sit *primo,* quod haec materia sit *haec,* et haec forma sit *haec,* et *hoc* compositum sit *hoc.* Quibus quaestionibus sic respondendum est: *Hoc* compositum est *hoc,* quia est ex *hac* materia, et ex *hac* forma. Haec autem forma est *haec* (praesertim in his quae *solo* numero distinguuntur) quia est in hac materia; omnis enim limitatio, coarctatio et restrictio formae, qualis haberi debet individuatio, est a materia, ut dictum est [n. 74 et 85]. *Haec* autem materia est *haec,* quia signatur ut pars haec existens virtualiter extra quamcumque aliam partem signabilem in totalitate materiae corporalis. Et quia non potest ulterius procedi assignando principia intrinseca unde *hic lapis* sit *hic,* omnino dicendum est, quod primum individuationis principium in substantiis corporeis est materia signata; quae quidem prius intelligi debet, esse *haec signata* in ratione *partis signatae,* solum enim *consequenter* ad constitutionem huius individui erit *haec* in ratione materiae *huius individui,* ut pertinens nempe ad totalitatem huius individui, seorsim existentis a quocumque alio individuo.

Aliis verbis, materia in signo rationis antecedente constitutionem huius individui non potest concipi ut *haec, quia huius* (quod revocatur ad individuationem quam quantitas habet ex subiecto) sed debet concipi ut haec *pars* signata in totalitate materiae corporalis (quod revocatur ad individuationem quam quantitas habet unice ex situ). Materia ergo, ut signata ad modum partis determinatae in totalitate materiae corporalis, est primum principium individuationis in corporeis substantiis.

145. Nota. 1° Quando dicitur partis *determinatae* non est idem

ac si diceretur partis sic vel sic *terminatae* h. e. tantae vel tantae, aut sic vel sic figuratae; quia perinde est sive sumas signando tantum vel tantum; semper enim quidquid signas est *situaliter extra quodcumque aliud signabile.* Eu habet massam cretae figulus: quamcumque partem sumat ex ea, sive decerpendo hinc inde particulas multas, sive totam aliquam partem abscindendo ad vas efformandum, vas, quod efformatur ex creta quam sumpsit, erit distinctum numero ab omni alio, quia materia haec, quam adunavit, est situaliter extra quodcumque aliud signabile, et sic etiam forma ejus, imo haec per prius, quam compositum, est alia numero a quacumque alia ejusdem generis forma, quae est in aliis vasis ex eadem massa formatis, quia recepta est in alia parte materiae. Ergo principium distinctionis numericae non erit *materia ut sic,* quia etiam alia habent materiam, sed principium distinctionis numericae erit *haec materia,* quae antequam intelligatur esse *haec ut hujus,* puta vasis, praeintelligi debet *haec ut pars signata* in totalitate materiae. Non quod materia corporalis sit tota sub una forma, ut est illa materia unde format vasa figulus, sed tamen tota perpetuo et inamissibiliter est sub forma corporis (quam vocat Sanctus Thomas formam communem) quatenus omnes formae corporae, quantumcumque diversificentur inter se, omnes conveniunt quantum ad hoc quod est dare gradum corporeitatis; et dimensiones quantitativae ad hunc gradum consequuntur, non ad ulteriores perfectionis gradus, quos dant eaedem formae: quae quidem solum secundum ulteriores gradus faciunt diversitatem et distinctionem. — Et sic undecumque decerpatur materia ad efformandum novum individuum, illa pars materiae, quae subit hanc formam, est extra quodcumque aliud signabile in totalitate materiae corporalis dum est hic, ut ita dicam, adunatum sub hac forma.

Quod ut melius intelligas perpende: — Post aliquot annos, ut experientia docet, in hoc homine tota materia, per nutritionem etc., mutatur, quae prius fuit in eo; nova subintrat paulatim decedenti: cogita ex quam multis homo nutrimenta accipiat. Semper tamen illa tanta materia, quantacumque sit (fuit enim bonus iste vir prius parvulus, et nunc grandaevus est, et

aliquando macer, aliquando pinguis fuit, imo et oboesus) semper, inquam, materia, quae est sub eius forma, est *situaliter extra quamcumque* aliam partem signabilem in totalitate materiae corporalis, et quam partem materiae habet ipse ad suam singularitatem pertinentem non habent alia. — Fit autem materia *haec, ut huius* individui totalis materia, per hanc formam; praeintelligitur vero haec, ut haec pars signata, ante formae susceptionem, quod maxime apparet in primo ipsius rei fieri. Haec materia, formaliter *ut haec materia huius individui,* est semper determinate *terminata,* h. e. semper habet quantitatem determinatam; et sic si mensures et ponderes bonum illum virum, pondus et mensura erit determinatum pondus et determinata mensura pro eodem instanti, quamvis post curam medicam aliud erit pondus, etc. semper tamen determinatum aliquod pondus. Eo vero modo quo materia signata praeintelligitur individuationi, quam habet ex individuo subiecto, sufficit quod sumatur haec quaecumque signata, sive tanta demum accipiatur sive tanta, ut patet in exemplo figuli. Hoc notavi ut intelligas quid sibi velit S. Thomas v. gr. in op. *De Trin. in Boeth.* q. 4. a. 2. c. et ad 3. — Si tamen vis doctrinam S.i Thomae, de hoc, lucidam et brevi compendio ab eodem S.o Doctore exhibitam et expolitam, ne discedas a Summa Theologica, neque illi praeferas facile alia opera. Doctrinam eius in Summa de hoc ex professo exhibitam habes sub [n. 142].

Hoc etiam dictis consonat, quod nempe primum principium individuationis praesertim in fieri debeat esse aliquid quod intelligi possit aliquo modo individuum in se, antequam concurrat ad compositi individui constitutionem; hoc vero non habet nisi materia signata, in quantum signata, ut explicatum est, quatenus omne tale signatum in materia, utpote existens situaliter extra quodcumque aliud, est individuum in potentia. (Et sic etiam numerus praedicamentalis sequitur ad divisionem continui ut supra notatum est). Cf. S. Th. 3 C. G. c. 81. ad 4m.

146. Nota. 2o Signatum et non signatum analogatur etiam ad spiritualia: unde ait S. Th. " Unumquodque secundum quod est actu est distinctum ab omnibus aliis, quod est esse hoc signatum „ Atque haec hic sufficiant: excessimus etiam brevitatem;

sed parce. — Quomodo anima humana remaneat individua. Cfr. *De Ente et Ess.* c. VI.

CAPUT QUINTUM.

De limitatione potentiae et actus.

PROPOSITIO I.ª — Potentia in sua ratione potentiae limitatur per actum a quo perficitur.

147. Probatur. — Nam formaliter ut informata per aliquem actum non est amplius in potentia ad illum, sed *solum* ad alios; et ut habens aliquem gradum perfectionis, considerari potest ut in potentia *solum* ad ulteriorem. Sic etiam subiectum actuatum in uno ordine, puta substantiali, est in potentia solum ad actum ordinis accidentalis. Hoc autem quod dico *solum* limitationem importat in ratione potentiae. Hinc S. Th. "Infinitum dicitur aliquid ex eo quod non est finitum: finitur autem quodammodo et materia per formam et forma per materiam. Materia quidem per formam in quantum materia antequam recipiat formam est in potentia ad multas formas, sed cum recipit unam terminatur per illam. etc.„. (I p. q. VII. a. 1. c.).

PROPOSITIO II.ª — Quo magis potentia recedit a ratione purae potentiae eo minus limitat actum.

148. Probatur. — Ut dictum est [n. 86] ipsum compositum ex actu et potentia, et etiam actus purus in aliquo ordine potest esse potentia ad aliquem actum. Quo autem aliquid plus habet de actu, minus habet de ratione potentiae [n. 147], et quo minus de ratione potentiae, eo minus de proprietate limitandi. (Cfr. quae diximus [n. 118].

PROPOSITIO III.ª — Diversa limitatio in formis corporeis constituentibus species diversas corporum (quae ut dictum est [n. 114] differunt secundum grados diversos perfectionis) nequit repeti ex ipsa materia prima, ut est pura potentia.

149. Probatur. — Cum enim *limitatio* actus unice repetenda sit *ex subiecto, diversa* limitatio actus nequit repeti proxime ex subiecto prorsus eodem, et in quantum est idem. Talis

autem est materia prima, relate ad omnes formas, in quantum est pura potentia.

PROPOSITIO IV.ª — **Diversa limitatio, quam de se dicunt formae corporeae specifice diversae, repeti debet ex diversitate propriorum subiectorum, hoc est ex materia prout antecedenter ad susceptionem uniuscuiusque formae specifice diversae, intelligitur aliter et aliter disposita ad formam suscipiendam.**

150. Probatur. — Nullus enim actus fieri vel esse potest nisi in materia disposita. Materia autem disposita ultima dispositione ad formam est proprium subiectum formae: propria vero limitatio uniuscuiusque formae respondere debet proprio subiecto in quo talis forma ut talis recipi debet.

151. Nota. 1º Hinc v. gr. S. Th. C. G. III 22. "In actibus formarum gradus quidam inveniuntur. Nam materia prima est in potentia primum ad formam elementi; sub forma vero elementi existens est in potentia ad formam mixti, propter quod elementa sunt materia mixti; sub forma autem mixti considerata est in potentia ad animam vegetabilem etc. etc. quod processus generationis ostendit „.

152. Nota. 2º Etiam diversitatis illius non specificae, quae est in forma, ut cum unus leo est perfectior alio, vel unus homo prae alio meliori anima praeditus, non potest esse causa materia, nisi secundum dispositiones meliores ad eamdem specifice formam. — Cfr. S. Th. I. p. q. 85 a. 7 ad 3.

Sic anima Christi est naturaliter perfectissima inter omnes animas, ut corpus eius inter omnia corpora optime dispositum virtute Spiritus Sancti.

153. Nota. 3º Actus denominatus a composito, quod constituit (v. gr. forma auri, leonis, etc.) nominat actum jam limitatum; unde non debet intelligi ulterius limitari quantum ad speciem per receptionem in potentia propria; solum ulterius limitatur ad individuum ex materia signata ut dictum est.

PROPOSITIO V.ª — **Omnis autem dispositio materiae ad formam praesupponit actum aliquem, et est per aliquem actum.**

154. Probatur 1ª pars. — Quia quantum ad primum ef-

fectum formae, non possunt spectari dispositiones in materia (cfr. in [n. 142] verba S. Th.ae).

155. Probatur 2ª **pars** et gradus qui praeintelliguntur, et accidentia, quae disponunt ad formam secundum gradum posteriores (cfr. [n. 138 et 142] ubi supra) actum important.

PROPOSITIO VI.ª — Nihilominus omnis dispositio subiecti ad formam reduci debet, ut sic, ad genus causae materialis.

156. Probatur. — Nam quod perficit subiectum praecise in ratione subiecti, reduci debet, ut sic, ad ipsum subiectum. Item quod reddit potentiam proxime capacem actus alicuius afficit potentiam in ratione potentiae seu capacitatis ad actum. Subiectum autem, seu potentia, est causa materialis.

157. Nota. Cum materia prima se habeat indifferenter ad omnes formas substantiales, eget aliqua determinatione ad hoc quod sit proxime susceptiva huius potius quam illius: hoc autem habet per dispositiones inductas ab agente.

158. Dices 1.º Superveniente forma, dispositiones praecedentes cessant. **R.** ut via ad formam C. proprie ut dispositiones N. nisi agas de numerica identitate. Sic corpus organicum, et tali modo dispositum, ita est subiectum proprium animae rationalis ut, ablatis a corpore humano dispositionibus requisitis, cesset informari ab anima.

159. Dices 2.º Si remanent, remanent ut effectus formae. Sed effectus formae nequit esse dispositio ad formam, quia esset simul effectus et causa formae. **R.** Essent, sed in diverso genere causalitatis; et hoc non repugnat: essent causa in genere causae materialis et effectus quodammodo tamquam causae efficientis aut formalis. Sic in iustificatione impii actus contritionis est ultima dispositio ad gratiam et caritatem et simul effectus gratiae et caritatis ipsius.

PROPOSITIO VII.ª — Quanto plures et perfectiores dispositiones in materia requiruntur ad aliquam formam, tanto forma est minus limitata, adeoque perfectior.

160. Probatur. — Nam materia quo plures habet dispositiones, eo plus habet de actu [n. 154]; quo plus de actu, minus de potentia [n. 150]; quo minus de potentia, eo minus de proprietate limitandi [n. 151]. Cfr. etiam [n. 102 et n. 118].

161. Corollarium. — Hinc 1° ut d. e. numeris citatis etiam in actibus puris creatis, quo perfectior est natura eo minus limitat actum essendi, et etiam minus limitatas habet facultates operativas accidentales, quia recipiuntur in subiecto actualiori, et consequenter minus limitante. Sic etiam quo intellectus aliquis est perfectior, eo universaliores habet species, et minus limitatas etc.

2° Hinc habes etiam quod potentia ad actum prorsus infinitum, deberet, ut foret disposita ad ipsum, esse iam infinite perfecta per actum, quod implicat esse potentiam et non esse potentiam. Unde actus illimitatus nequit esse actus alicuius potentiae, et actus quilibet in potentia receptus est limitatus. Cf. S. Th. 1. p. q. 75. a. 5. ad 1m.

3° Ex dictis pariter inferre potes quod, quamvis in termino generationis omnes gradus essentiales dentur ab unica forma, tamen, forma ultimo superveniens, est exigitiva dispositionum praecedentium sicut si de facto daret solum ultimum gradum, praesuppositis omnibus aliis tamquam dispositionibus subiecti in quo recipitur; quantum enim ad dandos gradus praecedentes ultimum, idem praestat quod praecedens forma praestabat, nec ipsa requirebatur. Hoc attende v. g. in humana generatione.

162. Nota. — Hic consideravimus solum principium intrinsecum limitationis, cave tamen hinc inferas *primum* principium distinctionis formalis rerum esse materiam, imo omnis distinctio materiae est propter formam, et causa *diversitatis* rerum est divina Sapientia ut expendit S. Th. 1. p. q. 47. a. 1. et 2. — C. G. II. 45 et alibi.

PROPOSITIO VIII.a — In rebus ex materia et forma compositis (seu ex actu et potentia in ordine essentiae) genus sumitur a materia et differentia a forma. (Avic).

Seu, ut loquitur S. Th. C. G., genus a principio materiali, differentia a principio formali.

163. Probatur 1a pars. — Materia (ut d. e. [nn. 135, 136, 137, 138]) in quantum actuata per omnes gradus praecedentes ultimum, adhuc intelligitur ut materialiter, seu in potentia se habens ad ultimum gradum. Atqui genus non potest sumi in rebus nisi secundum gradus praecedentes ultimum (secundum

quem sumitur differentia ut mox dicemus, et iam diximus alibi). Ergo genus in rebus ex materia et forma compositis sumitur a materia. Non quidem a materia prout est pura potentia, sed prout disposita per gradus praecedentes ad sequentes, est propria illorum materia modo explicato in numeris citatis praes. [n. 138].

Iterum: Cum rerum species sint sicut numeri, et unaquaeque addat supra perfectionem alterius (ut d. e. [n. 114]), species perfectior omnes gradus praecedentes ultimum habet communes cum aliquibus aliis specie differentibus. Sed ex eo quod habent commune plura specie differentia sumitur genus. Ergo ex gradibus perfectionis praecedentibus ultimum sumitur genus. Atqui rursus omnes gradus perfectionis praecedentes ultimum, pertinent ad materiam dispositam ultima dispositione ad formam, quo modo solum sumitur propria materia uniuscuiusque ut d. e. Ergo genus in rebus materialibus de necessitate sumi debet a materia.

164. Probatur 2ª pars. — In omnibus rebus sive materialibus (ut d. e. [n. 116]) differentia sumitur a propria uniuscuiusque speciei terminatione, seu complemento ultimo in linea naturae. Atqui terminatio, seu complementum perfectionis specificae in rebus materialibus, sumitur a forma (secundum gradum ultimum perfectionis secundum quem se habet tantum ut forma). Ergo differentia in rebus materialibus sumitur a forma.

Et sic accidit in rebus materialibus quod genus et differentia sumantur ab alio et alio principio ut diximus [nn. 116, 118]. Hic autem nota (quod non parum proderit ad S. Th. intelligentiam) ideo dici debere quod genus et differentia sumuntur a principiis realiter distinctis, quia materia prima, ut est pura potentia, realiter distinguitur a forma tamquam a principio simplici a quo est tota perfectio compositi, ratione autem huius distinctionis realis adaequatae, quae intercedit inter puram potentiam et actum in ea receptum, realis dici debet etiam inadaequata illa, quae attenditur inter potentiam partialiter, ut ita dicam, actuatam per actum, et actum seu formam ut ultimo actuantem: cuius distinctionis realitas non alia est quam ea unice qua realiter distinguitur materia prima, ut est pura po-

tentia ab actu, quem suscipit spectato secundum omnes gradus perfectionis, quos affert. Hoc proderit, inquam, ad intellectionem S. Th. in praesenti quaestione et in similibus. — Placet hic afferre in confirmationem, eorum quae dicta sunt, duas eiusdem S. Doctoris solutiones, quas diligenter perpendas, praesertim secundam; primam enim ex parte iam supra attulimus. Sic habet I. p. q. 76. a. 3.

" Dicendum quod eadem numero est anima in homine sensitiva et intellectiva et nutritiva. Quomodo autem hoc contingat de facili considerari potest, si quis differentias specierum et formarum attendat. Inveniuntur enim rerum species et formae differre ab invicem secundum perfectius et minus perfectum; sicut in rerum ordine animata perfectiora sunt inanimatis, et animalia plantis, et homines animalibus brutis: et in singulis horum generum sunt gradus diversi. Et ideo Arist. assimilat species rerum numeris, qui differunt secundum additionem vel subtractionem unitatis, et comparat diversas animas speciebus figurarum, quarum unam continet aliam, sicut pentagonum continet tetragonum et excedit. Sic igitur anima intellectiva continet in sua virtute quidquid habet anima sensitiva brutorum et nutritiva plantarum. Sicut ergo superficies, quae habet figuram pentagonam, non per aliam figuram est tetragona, et per aliam pentagona, quia superflueret figura tetragona, ex quo in pentagona continetur; ita nec per aliam animam Socrates est homo, et per aliam animal, sed per unam et eamdem „. Et ad quartum ubi obiiciebatur quod rationale quod est differentia constitutiva hominis sumitur ex anima *intellectiva,* animal vero ex hoc quod aliquid habet corpus animatum *anima sensitiva,* unde inferebatur, quod anima intellectiva comparatur ad corpus animatum anima sensitiva sicut forma ad materiam, et sic non videtur eadem cum anima sensitiva. (Vide ibi obiectionem quae incipit ab effecto: Genus sumitur a materia et differentia a forma etc.); respondet: " Ad quartum dicendum quod non oportet secundum diversas rationes vel intentiones logicas, quae consequuntur modum intelligendi, diversitatem in rebus naturalibus accipere; quia ratio unum et idem secundum diversos modos accipere potest. Quia igitur ut dictum est in corpore

articuli, anima intellectiva virtute continet id quod sensitiva habet, et adhuc amplius, potest seorsum ratio considerare quod pertinet ad virtutem (perfectionem) sensitivae, quasi quoddam imperfectum et materiale; et quia hoc invenit *commune* homini et aliis animalibus, ex hoc rationem generis format; id vero in quo anima intellectiva sensitivam *excedit,* accipit quasi *formale* et completivum; et ex eo format differentiam hominis „. Differentia ergo accipitur secundum ultimum complementum seu determinationem ut sic: et haec ratio complementi est quae exprimitur per verbum illud *tantum;* unde anima hominis est quidem vegetativa sed non vegetativa *tantum,* et sic specie (reductive accepta) differt a vegetativa *tantum,* licet non tamquam a specie *infima.* Et sic de omnibus dicendum est, quod natura perfectior continet perfectionem totam imperfectioris, sed non eius terminationem *formaliter ut terminatio est.* Et hoc modo differentia subtracta, ut ait S. Th., variat speciem, quia, subtracta una terminatione, est alia terminatio, et accipit rationem terminantis, quod prius hanc non habebat. — Et sic etiam patet quomodo differentia non addat supra genus extraneam naturam, unde genus et differentia possunt sumi etiam in re prorsus simplici ut dicebamus de formis subsistentibus: et accidit quod sumantur ex diversis principiis: quod ostendit S. Th. evidenti exemplo: si sumamus ut genus aliquorum hoc quod est " *pedes habens* „ differentiae erunt: quatuor, vel duos etc. pedes habens. Unumquodque tamen per idem omnino erit pedes habens, per quod est v. gr. duos pedes habens, et non per aliud pedes habens, et per aliud habens duos; sed pedes habens sumitur indeterminate, et sic ad modum generis, duos autem habens determinate, et sic ad modum differentiae. Et differentiae erunt sicut numeri. Et habens quatuor pedes, habebit etiam duos, sed non duos *tantum.* Sed satis de hoc: per te ipse perpende, et ex verbis S.ti Th.ae plura deducere poteris, ad multa etiam logicalia utilia valde. — Et interim ex his confirmes etiam, quae habuimus in [nn. 116. 118] [1]).

---

[1]) Quomodo se habeat materia ad formas et genus ad differentias accipe a S. Thom. qui 10 *Metaph.* l. 10 ait: " Aliter diversificatur materia

PROPOSITIO IX.[a] — **Formae quae praerequirunt diversos gradus essentiales in materia, specie differunt inter se; non autem illae quae praehabeant solum diversas dispositiones accidentales in eadem, quae solùm faciant materiam melius receptivam, sine praesuppositione diversorum graduum essentialium.**

165. Probatur. — *Prima* pars patet ex dictis. — *Secunda* ex hoc: quia scilicet, in his quae se habent ut numeri non potest diversificari ultimum seu terminus, nisi multiplicatis prioribus. Differentia autem, quae variat speciem essentialiter, habet rationem ultimi et terminantis, ut d. e. — Hinc S. Th. I. p. q. 85. a. 7. ad 3. " Ad 3. d. q. differentia formae, quae non provenit *nisi* ex diversa dispositione materiae (scil. et non etiam ex diversitate graduum), non facit diversitatem secundum speciem, sed solum secundum numerum. Sunt enim diversorum individuorum diversae formae secundum materiam diversificatae „. Et sic explicat quod supra posuimus n. 152 quod scil. " quanto corpus (humanum) est melius dispositum tanto meliorem sortitur animam „. Et *de ente et ess.* c. VI in fine

---

per formas et aliter genus per differentias. Forma enim non est hoc ipsum quod est materia, sed facit compositionem cum ea. Unde materia non est ipsum compositum, sed aliquid eius. Differentia vero additur generi non quasi pars parti, sed quasi totum toti. Unde genus est hoc ipsum quod est species, et non solum aliquid eius. Si autem esset pars, non praedicaretur de ea. Sed tamen, quia totum potest denominari ab una sola parte sua, puta si homo denominetur habens caput, vel habens manus, contingit ipsum compositum ex materia et forma denominari. Et quidem nomen, quo aliquid totum denominatur ab eo quod est materiale in ipso, est nomen generis. Nomen autem, quo denominatur a principio formali, est nomen differentiae. Sicut homo nominatur animal a natura sensibili, rationale vero a natura intellectiva. Sicut igitur habens manum competit toti, licet manus sit pars, ita genus et differentia conveniunt toti, licet sumantur a partibus. Si ergo consideretur in genere et differentia id a quo utrumque sumitur, hoc modo genus se habet ad differentias, sicut materia ad formas Si autem consideretur secundum quod nominant totum, sic aliter se habent. Hoc tamen commune est utrobique, quod sicut ipsa essentia materiae dividitur per formas ita ipsa natura generis diversificatur per differentias. Sed hoc utrobique distat, quia materia est in utroque divisorum, non tamen est utrumque eorum. Genus autem utrumque eorum est, quia materia

" Gradus perfectionis in recipiendo eamdem formam (et sic eamdem terminationem si agitur de forma essentiali) non diversificat speciem, sicut albius et minus album in participando eiusdem speciei albedinem „.

166. Nota. Tamen hactenus locuti sumus de formis substantialibus earumque limitatione diversa. — Valet tamen etiam de formis accidentalibus, quod suo modo differant secundum perfectius et minus perfectum, et secundum gradus quodammodo propriae terminationis in entitate et perfectione. Hinc S. Th. " Discurrenti per singula apparet unam speciem supra aliam *aliquem gradum perfectionis adiicere,* sicut animalia super plantas, et animalia progressiva super animalia immobilia ; (tum exempla ponit *de accidentibus*) in coloribus etiam una species alia perfectior invenitur secundum quod est albedini propinquior. „ (C. G. II. 97). — Quod valet in hoc genere, et in aliis valere inveniretur, si utile esset subtilius de hoc investigare in accidentalibus, in quibus comparandis difficillimum esset determinare quid quo nobilius et secundum entitatis et perfectionis

---

nominat partem, genus autem totum. Et ideo exponens quod dixerat, (Arist.) genus esse quo ambo specie differentia dicuntur unum et idem, subjungit quod non solum oportet genus esse commune duobus differentibus secundum speciem, sicut quod utrumque sit animal, sicut aliquid indivisum est commune diversis, ut eadem domus aut possessio ; sed oportet hoc ipsum quod est animal esse alterum utrumque ; ita quod hoc animal sit equus, et hoc animal sit homo. Et hoc dicit contra Platonicos, qui ponebant communia separata, quasi ipsamet natura communis non diversificaretur, si natura speciei esset aliquid aliud praeter naturam generis.

Unde contra hoc concludit ex dictis, quod hoc ipsum quod est commune, diversificatur secundum speciem. Unde oportet quod commune, ut animal, ipsum secundum se sit hoc tale secundum unam differentiam, et illud tale secundum aliam differentiam ; sicut quod hoc sit equus, et illud homo. Et ita sequitur, quod si animal sit secundum se hoc tale et hoc tale, quod differentia faciens differre specie, sit quaedam diversitas generis. Et exponit diversitatem generis, quae ipsam naturam generis diversificat. Per hoc autem quod hic Philosophus dicit, non solum excluditur opinio Platonis ponentis commune unum et idem per se existère : sed etiam excluditur opinio eorum qui dicunt, quod illud quod pertinet ad naturam generis, non differt specie in speciebus diversis ; sicut quod anima sensibilis non differt specie in homine et equo „.

gradum eodem altius. In accidentalibus autem manifestissimum est eumdem actum posse intendi et remitti intra eamdem speciem vel secundum majorem, ut dicunt, radicationem in subiecto, vel aliis modis de quibus erit alibi determinandum sive in physica sive in ethica ubi de augmento et diminutione habituum etc. Cf. S. Th. 1.ª 2.ªe q. 52 et 53.

PROPOSITIO X.ª — Nequit esse unicus actus plurium potentiarum.

167. Probatur. — In ordine substantiali patet quia actus substantialis, utpote primus et faciens esse simpliciter, recipitur in pura potentia, quae non potest esse multiplex nisi per multiplicem actum. — In ordine autem accidentali, plura subiecta substantialiter diversa, ut lapides, ligna etc. suscipiunt quidem unicam formam v. gr. domus, non tamen comparantur ad ipsam ut plures potentiae, seu ut plura subiecta formae, sed capacitas ad illam formam est in omnibus illis simul acceptis per modum unius.

PROPOSITIO XI.ª — „ In omni composito oportet esse actum et potentiam „. C. G. I. 18.

168. Probatur. — „ Non enim plura possunt *simpliciter fieri unum,* nisi aliquid ibi sit actus et aliquid potentia. Quae enim actu sunt, non uniuntur nisi quasi colligata, vel sicut congregata, quae non sunt unum simpliciter „. (Ut dictum est, de artificialibus in n. praeced. — Cfr. tamen quod notatum est post [n. 133]. — Hic sermo est de pluribus quae remaneant actu plura, quae ut sic non possunt constituere unum [1]).

CAPUT SEXTUM.

De potentia activa et passiva.

Praenotiones — I° Modi potentiae seu potestatis analogice dicti, (ut innuimus in initio huius tractationis) prouti opponuntur modis potentiae secundum aequivocationem [2]) tantum

[1]) „ Partes sunt in potentia respectu totius „. (C. G. I. 27).

[2]) De modis potestatis secundum aequivocationem dictis, in quantum

dictis, quatuor enumerantur. (Cf. S. Th. 5. *Metaph.* l. 14. et 9. *Metaph.* l. 1.ª).

Modus I^us Potentia dicitur "*principium motus et mutationis in alio in quantum est aliud*„ et nominatur potentia *activa.* Dicitur "*in alio in quantum est aliud*„ quia possibile est, quod principium activum simul sit in ipso mobili vel passo, sicut cum aliquid movet seipsum; non tamen secundum idem est movens et motum, agens et patiens, sed *secundum quod est aliud.*

Modus 2us Alio modo dicitur potestas "*principium motus*

---

opponuntur modis potentiae secundum analogiam nominatis, S. Thomas. 9. *Metaph.* l. 1.ª haec habet:

"Determinatum est in aliis, scilicet quinto huius, quod multipliciter dicitur potentia et posse. Sed ista multiplicitas quantum ad quosdam modos est multiplicitas aequivocationis, sed quantum ad quosdam analogiae. Quaedam enim dicuntur possibilia vel impossibilia, eo quod habent aliquod principium in seipsis; et hoc secundum quosdam modos, secundum quos omnes dicuntur potentiae non aequivoce, sed analogice. Aliqua vero dicuntur possibilia vel potentia, non propter aliquod principium quod in seipsis habeant; et in illis dicitur potentia aequivoce. Dicit ergo quod de modis potentiae illi praetermittendi sunt ad praesens, secundum quos potentia dicitur aequivoce. In quibusdam enim dicitur potentia non propter aliquod principium habitum, sed propter similitudinem quamdam, sicut in geometricis. Dicitur enim potentia alicuius lineae esse quadratum eius; et dicitur quod linea potest in suum quadratum. Et simili modo potest dici in numeris, quod ternarius potest in novenarium, quod est quadratum eius, eo quod ex ductu eius in seipsum facit novenarium. Ter enim tria novem faciunt. Ex linea etiam, quae est radix quadrati, ducta in seipsam, fit quadratum. Et similiter est in numeris. Unde radix quadrati habet aliquam similitudinem cum materia, ex qua fit res. Et propter hoc per quamdam similitudinem dicitur potens in quadratum, sicut dicitur materia potens in rem. Similiter in logicis dicimus aliqua esse possibilia et impossibilia, non propter aliquam potentiam, sed eo quod aliquo modo sunt aut non sunt. Possibilia enim dicuntur, quorum opposita contingit esse vera. Impossibilia vero, quorum opposita non contingit esse vera. Et haec diversitas est propter habitudinem praedicati ad subiectum, quod quandoque est repugnans subiecto, sicut in impossibilibus; quandoque vero non, sicut in possibilibus. His ergo modis praetermissis, considerandum est de potentiis, quae reducuntur ad unam speciem, quia qualibet earum est principium quoddam, et omnes potentiae sic dictae reducuntur ad aliquod principium ex quo omnes aliae dicuntur. Et hoc est principium activum, quod est principium transmutationis in alio in quantum est aliud„.

vel mutationis ab altero in quantum est aliud „. Dicitur " ab altero in quantum est aliud „ quia etsi idem patiatur a seipso, non tamen secundum idem sed secundum *aliud*. " Haec, prosequitur S. Thom. 5. *Metaph.* l. 14, est potentia *passiva*, secundum quam patiens aliquid patitur. Sicut enim omne agens et movens, aliud a se movet, et in aliud a se agit; ita omne patiens, ab alio patitur: et omne motum ab alio movetur. Illud enim principium, per quod alicui competit ut moveatur, vel patiatur ab alio, dicitur potentia passiva. Posse autem pati ab alio dicitur dupliciter. Aliquando quidem, quicquid sit illud, quod aliquid potest pati, dicimus esse possibile ad illud patiendum, sive sit bonum, sive malum. Aliquando vero non dicitur aliquid potens ex eo quod potest pati aliquod malum, sed ex hoc quod potest pati aliquod excellentius. Sicut si aliquis potest doceri vel adiuvari, dicimus eum potentem.

Et hoc ideo, quia posse pati aliquem defectum, quandoque attribuitur impotentiae; et posse non pati idem, attribuitur potentiae, ut infra dicetur. Alia tamen littera habet, " aliquando autem non secundum omnem passionem, sed utique in contrarium „.

Quod quidem sic debet intelligi. Improprie enim dicitur pati, quicquid recipit aliquam perfectionem ab aliquo, sicut intelligere dicitur quoddam pati. Proprie autem pati dicitur quod recipit aliquid cum sui transmutatione ab eo quod est ei naturale. Unde et talis passio dicitur esse abjiciens a substantia. Hoc autem non potest fieri nisi per aliquod contrarium. Unde, quando aliquid patitur, secundum quod est contrarium suae naturae vel conditioni, proprie pati dicitur. Secundum quod etiam aegritudines passiones dicuntur. Quando vero aliquis recipit id quod est est ei conveniens secundum suam naturam, magis dicitur perfici, quam pati „.

Modus 3us " Alia potestas dicitur, ait S. Th. l. c. quae est *principium faciendi aliquid non quocumque modo, sed bene, aut secundum " praevoluntatem „ idest secundum quod homo disponit* „. Quando enim aliqui progrediuntur vel loquuntur, sed non bene, aut non secundum quod volunt, dicuntur non posse loqui aut progredi. Et similiter est in pati. Dicitur enim aliquid posse pati illud quod bene potest pati. Sicut dicuntur aliqua ligna com-

bustibilia, quia de facili comburuntur, et incombustibilia, quae non possnnt de facili comburi „.

Modus 4us " Etiam potestas dicuntur omnes habitus sive formae vel dispositiones, quibus aliqua dicuntur vel redduntur omnino impassibilia, vel immobilia, aut non de facili mobilia in peius. Quod enim in peius mutentur, sicut quod frangantur vel curventur, vel conterantur, vel qualiterumque corrumpantur, non inest corporibus per aliquam potentiam, sed magis per impotentiam et defectum alicuius principii, quod corrumpenti resistere non potest. Numquam enim corrumpitur aliquid nisi per victoriam corrumpentis supra ipsum. Quod quidem contingit ex debilitate propriae virtutis. Illis vero, quae non possunt tales defectus pati, " aut vix, aut paulatim „, id est tarde vel modicum patiuntur, accidit eis propter potentiam, et in eo quod habent " aliquo modo posse, „ i. e. cum quadam perfectione, ut non superentur a contrariis. Et per hunc modum dicitur in Praedicamentis, quod durum vel sanativum significat potentiam naturalem non patiendi a corrumpentibus. Molle autem et aegrotativum impotentiam. „

IIo Modis praedictis potestatis correspondent modi *possibilis,* qui, l. c. a S. Thoma, sic exponuntur :

1o " Primo autem modo potestatis respondent duo modi possibilis. Secundum potestantem enim activam aliquid dicitur potens agere dupliciter. Uno modo, quia ipse per seipsum agit immediate. Alio modo, quia agit mediante altero, cui potentiam suam communicat, sicut rex agit per ballivum. Dicit ergo, quod, cum potentia tot modis dicatur, possibile etiam et potens pluribus modis dicetur. Uno quidem modo, quod habet principium activum mutationis in seipso " sicut stativum „ vel " sistitivum „ idest id quod facit aliud stare, dicitur esse potens ad sistendum aliquid aliud diversum ab eo. Alio vero modo, quando ipse non immediate operatur, sed aliud habet ab eo talem potestatem, ut possit immediate agere „.

2o " Secundo ponit (Arist.) secundum modum respondentem secundo modo potentiae, idest potentiae passivae ; dicens, quod alio modo a praedicto dicitur possibile sive potens, quod potest mutari in aliquid, quidquid sit illud ; scilicet sive possit mutari

in peius, sive in melius. Et secundum hoc, aliquid dicitur corruptibile, quia " potest corrumpi „ quod est in peius mutari: vel non corruptibile, quia potest non corrumpi, si sit impossibile illud ipsum corrumpi. Oportet autem illud, quod est possibile ad aliquid patiendum, habere in se quamdam dispositionem, quae sit causa et principium talis passionis; et illud principium vocatur potentia passiva. Principium autem passionis potest inesse alicui passibili dupliciter. Uno modo per hoc, quod habet aliquid; sicut homo est possibilis pati infirmitatem propter abundantiam alicuius inordinati humoris in ipso. Alio vero modo est aliquid potens pati per hoc, quod privatur aliquo, quod posset repugnare passioni; sicut si homo dicatur potens infirmari propter subtractionem fortitudinis et virtutis naturalis. Et haec duo oportet esse in quolibet potente pati. Numquam enim aliquid pateretur, nisi esset in eo subiectum, quod esset receptivum dispositionis, vel formae, quae per passionem inducitur; et nisi esset debilitas virtutis in patiente ad resistendum actioni agentis. Hi enim duo modi principii patiendi possunt reduci in unum, quia potest privatio significari ut habitus. Et sic sequeretur, quod privari sit habere privationem. Et ita uterque modus erit in aliquid habendo. Quod autem privatio possit significari ut habitus, et ut aliquid habitum, ex hoc contingit, quod ens aequivoce dicitur. Et secundum unum modum et privatio et negatio dicitur ens, ut habitum est in principium quarti. Et sequitur quod etiam negatio et privatio possunt significari ut habitus. Et ideo possumus universaliter dicere, quod aliquid possibile sit pati propter hoc quod habet in se quemdam habitum et quoddam principium passionis; cum etiam privari sit habere aliquid, si contingat privationem habere „.

3° " Tertium modum ponit (Arist.) hic; et respondet quarto modo potentiae, secundum quod potentia dicebatur inesse alicui, quod non potest corrumpi, vel in peius mutari. Dicit ergo, quod alio modo dicitur possibile vel potens, inquantum non habet potestatem vel principium aliquod ad hoc quod corrumpatur. Et hoc dico ab alio in quantum est aliud; quia secundum hoc aliquid dicitur potens et vigorosum, quod ab exteriori vinci non potest, ut corrumpatur „.

4° " Quartum modum ponit, qui respondet tertio modo potentiae, secundum quem dicebatur potentia ad bene agendum vel patiendum. Dicit ergo, quod secundum praedictos modos, qui pertinent ad agendum vel patiendum, potest dici aliquid potens vel ex eo solum, quod aliquid accidit fieri vel non fieri, vel ex eo quod accidit etiam bene fieri. Sicut etiam dicitur potens agere, quia potest bene et faciliter agere, vel quia potest agere simpliciter. Et similiter potens pati et corrumpi, quia de facili hoc pati potest. Et iste modus potestatis etiam invenitur in rebus inanimatis " ut in organis „, idest in lyra et musicis instrumentis. Dicitur enim quod aliqua lyra potest sonare, quia bene sonat; alia non potest sonare, quia non bene sonat „.

III° Cum *impotentia* potentiae apponatur, ideo bene definitur impotentia: " privatio potentiae „. Ad rem S. Thomas l. c.: " Impotentia est privatio potentiae. Ad rationem autem privationis duo requiruntur: quorum primum est remotio habitus oppositi. Id autem, quod opponitur impotentiae, est potentia. Unde, cum potentia sit *quoddam principium,* impotentia erit sublatio quaedam talis principii, qualis dicta est esse potentia. Secundum quod requiritur etiam, quod privatio proprie dicta sit circa determinatum subiectum et determinatum tempus. Improprie autem sumitur absque determinatione subiecti et temporis. Non enim caecum proprie dicitur nisi quod est aptum natum habere visum, et quando est natum habere visum. Impotentia autem sic dicta dicit remotionem potentiae, " aut omnino „ idest universaliter, ut scilicet omnis remotio potentiae impotentia dicatur, sive sit aptum natum habere, sive non: aut dicitur remotio in eo quod est aptum natum habere quandocumque, aut solum tunc quando aptum natum est habere „. — Ex quo sequitur quod tot esse debent modi impotentiae quot sunt modi potentiae; quare S. Thom. l. c. concludit: " Sicut enim potentia est duplex, scilicet activa et passiva: et iterum utraque aut ad agendum et patiendum simpliciter, aut ad bene agendum et patiendum; ita secundum utramque potentiam est impotentia opposita. Et " solum mobili et bene mobili „ idest potentiae activae, quae ad movendum simpliciter, vel bene movendum: et potentiae

passivae, quae est ad moveri simpliciter, vel bene moveri „ — Similiter cum *impossibile* secundum analogiam dictum, opponatur possibili, quod dicitur secundum aliquam potentiam, sequitur quod impossibile secundum proprietatem vocatum, quadrupliciter dicatur, sicut et impotentia. Unde S. Thom. l. c. ait: " Dicuntur aliqua impossibilia secundum quod habent impotentiam praedictam, quae opponitur potentiae. Et huiusmodi modus in quatuor dividitur, sicut et impotentia „ [1]).

IV°. Modi omnes potentiae supra expositi, reducuntur ad primum modum, i. e. ad potentiam activam, ut 5. *Metaph.* l. 14. et 9. *Metaph.* l. 1. declarat S. Th.

PROPOSITIO I.ª — Quidquid quomodocumque agit in tantum agit in quantum est in actu.

169. Probatur. — 1) Quia omne agere est aliquo modo facere ens actu, facere autem ens actu est existentis in actu in quantum huiusmodi. 2) Per actum et potentiam ens adaequate dividitur, sed agere non competit enti secundum quod est in potentia. Ergo secundum quod est in actu. (Supponimus hic quod aliquid agat).

PROPOSITIO II.ª — Omne quod est in actu est principium agendi.

170. Probatur. — Si agenti competit agere ratione actus, seu secundum actum; ergo actui ratione sui et secundum quod ipsum: sed quod alicui competit ratione sui et secundum quod

---

[1]) Est et alius modus impossibilis qui non accipitur secundum impotentiam, ac proinde aequivoce dictus, et est " quo dicuntur, ut habet S. Thom. 5. *Metaph.* l. 14, aliqua impossibilia, non propter privationem alicuius potentiae, sed propter repugnantiam terminorum in propositionibus. Cum enim posse dicatur in ordine ad esse, sicut ens dicitur non solum quod est in rerum natura, sed secundum compositionem propositionis, prout est in ea verum vel falsum; ita possibile et impossibile dicitur non solum propter potentiam vel impotentiam rei: sed propter veritatem et falsitatem compositionis vel divisionis in propositionibus. Unde impossibile dicitur, cuius contrarium est verum de necessitate, ut diametrum quadrati esse commensurabilem eius lateri, est impossibile, quia hoc tale est falsum, cuius contrarium non solum est verum, sed etiam necessarium, quod quidem est non commensurabilem esse. Et propter hoc esse commensurabile est falsum de necessitate, et hoc est impossibile „.

ipsum, numquam ab eo separari potest, ut habere tres angulos duobus rectis aequales, a triangulo; risibile, ab homine etc. Ergo ratio principii *activi* numquam separari potest ab actu. (Cfr. S. Th. I. p. q. 115. a. 1. c; C. G. II. 6. 7. 8; III. 69).

PROPOSITIO III.ª — Ratio principii activi proportionatur ipsi actui secundum modum eius.

171. Probatur. — Nam quod sequitur ad aliquam rationem, quae non eodem modo, sed secundum accessum ad unum per prius et posterius reperitur in pluribus, etiam ipsum proportionabiliter reperitur in ipsis et non eodem modo. (C. G. I. 43).

172. Nota. Universaliter valet quod passio analogi analoga est. Hinc sicut omnis actus dicitur secundum prius et posterius, secundum accessum ad primum actum, ita omne principium activum per accessum ad primam causam. Et quo modo sunt gradus in entibus, eodem sunt gradus in actibus, et sunt gradus in causis. — Hinc plura inferre poteris: actus in essendo dependens ab alio actu, etiam in agendo ab eodem dependet ut lux lunae in illuminando, a luce solis. — Quod est ut quod, etiam agit ut quod, unde actiones proprie sunt suppositorum et subsistentium: quod vero est ut quo, non agit nisi ut quo, seu non est nisi quo agens agit, sive sit forma substantialis non subsistens, sive accidentalis. Quod autem est ut quod, sed materiale, agit ut quod, sed materialiter; immateriale immaterialiter etc. Hinc statui debet sequens:

PROPOSITIO IV.ª — Modo principii activi proportionatur modus operationis.

173. Probatur. — Nam omne principiatum necessario proportionatur suo principio; operatio autem omnis, quae est distincta ab ipso operante, est principiatum principii activi. Dixi " quae est distincta „, quia Deus est sua operatio; et modus quo proportionatur ei sua operatio est per identitatem, sicut eius essentia per identitatem est esse, seu purissimus actus. Potentia autem activa in Deo realiter non nominat principium actionis, sed principium effectus. — " *Actio* autem *est actualitas virtutis, sicut esse est actualitas essentiae* „. I. p. q. 54. a. 1. — Et sicut " *hoc esse, ab illo esse distinguitur, in quantum est talis*

*vel talis naturae „ de pot.*ª q. 7. 2 ad 9; ita haec actio, ab illa actione, quo modo haec virtus operativa ab illa, et hic actus ab illo.

PROPOSITIO V.ª — Modo operationis transeuntis proportionatur effectus.

174. Probatur. — Nam principiatum proportionatur principio. Effectus autem se habet ut principiatum ad operationem agentis.

Hoc valet suo modo etiam de actione, quam vocant virtualiter tantum transeuntem, dummodo caute intelligatur; causa enim libera non determinatur ad unum ex natura, correspondet tamen effectus liberae electioni voluntatis, et tanto magis ei assimilatur effectus, quanto eadem sive immediate sive mediate est efficacior. — Ex dictis etiam intelliges, quomodo ex operationibus et effectibus cognoscamus ipsas rerum naturas. — Quomodo omne agens agat sibi simile; agens naturale secundum formam naturalem; agens vero per intellectum, secundum formam intellectam, seu ideam secundum quam est agens. — Quomodo causa assimilans sibi effectum quantum ad formam seu actum, consequenter illum sibi assimilet, quantum ad hoc quod etiam ipse effectus habeat virtutem agendi seu aliorum sit causa (C. G. III. 21). Ex quibus apparet quam irrationabiliter rebus creatis, propria causalitas denegetur. Hinc inferre potes, quod quanto causa est altior, tanto effectus eius est universalior, unde prima causa est causa entis in quantum est ens. Hinc etiam apparet, quod quandocumque causa aliqua proxima producit effectum ultra suam speciem est causa instrumentalis, respectu illius effectus et non principalis, etc.

PROPOSITIO VI.ª — Modo operationis immanentis proportionatur obiectum.

175. Probatur. — Nam sic se habet operatio immanens ad obiectum, sicuti operatio transiens ad effectum. Et quidquid ordinatur natura sua ad aliquid, desumit speciem per ordinem ad ipsum, et sic ipsi proportionatur. (Hinc etiam innumera possent deduci, sed suis in locis deducenda relinquimus).

PROPOSITIO VII.ª — Quidquid quomodocumque patitur in tantum patibur in quantum est in potentia.

176. Probatur. — Nam omne pati est recipere; recipere autem subiecti. Subiectum autem potentia [1]). Hinc " Possibile secundum quod necessario opponitur sequitur potentiam passivam „: est tamen aliud possibile quod continetur sub necessario. Cf. 1. q. 41. a. 4. ad 2m. et 5 *Metaph.* l. 14.

177. Corollarium. — 1m Hinc primum agens (Deus) est agens tantum, quia purissimus actus. Primum patiens (materia prima) est patiens tantum, quia pura potentia; reliqua simul agunt et patiuntur. Et sicut Deus est sua potentia activa, ita materia sua potentia passiva [2]).

178. Corollarium. — 2m Hinc habes etiam, quod potentia activa opponitur passivae. Nihilominus ut ab initio dicebamus analogice utraque dicitur potentia; et sicut potentia passiva se habet ad actum, qui est forma; ita potentia activa ad actum, qui est operatio, quae dicitur etiam actus secundus; et sicut illa ad actum recipiendum, ita haec ad eliciendum. Sicut potentia passiva, quae ad plures actus se habet, indiget disponi diversimode ad diversas formas, analogo quodam modo potentia activa, quae ad plures actus eliciendos multipliciter se habere potest, indiget disponi per habitus operativos. Sicut potentia passiva speciem habet ab actibus quorum est susceptiva, ita activa ab actibus quorum est elicitiva. Et sicut in rebus creatis essentia se habet ad esse, ita potentia activa ad hoc quod est operari, etc. Unde plura alia, sive de potentiis operativis, sive de habitibus concludere poteris. Hic sufficiat innuisse. Recole autem definitiones potentiae activae et passivae prout res mobiles concernunt quas ex Arist. et S. Thoma posuimus in initio huius tractationis.

PROPOSITIO VIII.a — Cuilibet potentiae naturali, correspondet agens naturale, quod possit eam reducere in actum [3]).

---

[1]) Cf. S. Th. C. G. I. c. 16. — *Comp. Theol.* c. 19.; I. 41. a. 1. ad 2.; C. G. II.o 9.

[2]) 1. p. q. 54. a. 3 ad 3m; et q. 77 a. 1. ad 2m; et q. 115. a. 1. ad 2m. — Agens honorabilius est patiente sicut actus patiente. — C. G. l. 1. 65.

[3]) " Omne agens quod in agendo requirit materiam praeiacentem, habet materiam proportionatam suae actioni, ut quidquid est in virtute

179. Probatur. — Nam nihil est frustra in natura. Frustra autem est potentia quae reduci non potest ad actum ab agente quod praesupponit potentiam. — " Cuilibet potentiae passivae correspondet potentia àctiva sui generis; actus enim et potentia unius generis sunt. „ *Comp. Theol.* c. 86.

Hinc saepe S. Th. eadem principia adhibet pro potentia activa et passiva, prout nempe analogo quodam modo, licet diversissimo, de utraque eadem valent. Sic ut probet in creaturis potentias operativas esse accidentales utitur principio illo quod supra retulimus [n. 58], actus et potentia sunt in eodem genere, quod valet, suo modo, et de potentia passiva relate ad actum cuius est subiectum, et de potentia activa relate ad actum cuius est elicitiva.

Ineptissime autem Scotus arguit dicens: si valet principium, etiam ipsa potentia operativa, quae est actus quidam debet recipi in potentia accidentali et sic in infinitum. — Ineptissime subtilizzat (sit venia verbo). Notavimus enim supra, quod potentia passiva pertinet ad genus actus ut merum subiectum, seu ut merum receptivum, non autem ut actus aliquis illius generis. Contra potentia operativa ad genus actus, cuius est elicitiva, pertinet ut actus aliquis illius generis, et sic potentia proxime elicitiva actus, de genere accidentis, est et ipsa accidens aliquid. Essentia ergo animae, ut est subiectum potentiae operativae accidentalis, pertinet ad genus accidentis non ut accidens aliquod, sed ut subiectum accidentis, eo modo quo diximus substantiam pertinere ad genus accidentis quatenus est subiectum eorum: e contra potentia ipsa operativa animae pertinet ad genus accidentis ut actus aliquis accidentalis, seu ut qualitas quaedam elicitiva actus non mere receptiva.

PROPOSITIO IX.ª — Quanto potentia passiva est maior, tanto a maiori virtute activa completur.

180. Probatur. — Nam maior potentia est, quae est remotior ab actu; proportio autem potentiae vel virtutis activae

---

agentis totum sit in potentia materiae: alias non posset in actum producere quidquid est in sua virtute activa, et sic frustra haberet virtutem ad illa „. (C. G. II. 16. a. 7).

accipi debet secundum proportionem potentiae vel virtutis passivae. (S. Th. C. G. I. 43).

181. Corollarium. — Hinc " unumquodque agens tanto est virtuosius, quanto potentiam magis remotam ab actu in actum reducit. „ Hinc creare est solius Dei, quia " illud quod omnino non est, est infinite distans ab actu, nec est aliquo modo in potentia. „ Et sic virtus primae causae, quae nullam potentiam praesupponit, est infinita. " Cfr. C. G. I. 43). Hinc omne agens secundum praesupponit aliquid a primo. (I. p. q. 90. a. 3. c.).

PROPOSITIO X.ª — Unumquodque est in potentia ad diversa secundum habitudinem ad agentia diversa.

182. Probatur. — Agens enim et patiens invicem proportionantur. *Item:* posse actuari pluribus actibus, est posse assimilari pluribus activis. — *Item:* sicut actus quilibet natus est causare non tamen quodlibet, nec in quolibet; ita subiectum omne, quod ad plura se habet, natum est pati, non tamen quodlibet a quolibet.

Potentia passiva ad illa solum est in potentia in quae potest proprium eius activum: " Omni enim potentiae passivae respondet potentia activa in natura: alias potentia passiva esset frustra, cum non possit reduci in actum nisi per activam: unde videmus quod visus non est susceptivus nisi colorum, qui illuminantur per lucem. „ (C. G. l. III. c. 45. IV).

PROPOSITIO XI.ª — Unumquodque secundum habitudinem ad primum agens est in potentia ad aliqua, ad quae non est in potentia secundum habitudinem ad agentia creata.

183. Probatur. — Nam virtus activa primae causae in infinitum excedit virtutem cuiuscumque agentis creati. — Et unice per respectum ad primam causam creatura est in potentia ad ea, quae supernaturalia sunt. Creatura autem sic a Deo perfici potest semper ulterius sive praeternaturaliter sive supernaturaliter [1]). - Hinc etiam patet quam absurde negetur miracu-

---

[1]) " Virtus superior ad plura se extendi et tamen est unica: virtus vero inferior se extendit ad panciora et tamen multiplicatur respectu illorum „. (C. G. l. 65. V).

lorum possibilitas etc... Numquam tamen ex consideratione naturae demonstrari potest quid Deus facturus sit vel non facturus, si agat praeter ordinem rebus inditum; de quibus omnibus diligentius suis in locis. Cf. S. Th. 1. p. q. 104. a. 5.

PROPOSITIO XII.ª — **Potentia oboedientiae in creatura non importat nisi merum subiectum recipiens, non autem capacitatem positivam, aut proportionem aliquam, aut ordinem aliquem positivum, aut aliquam dispositionem, multo vero minus exigentiam ullam actus cuiuscumque supernaturalis.**

184. **Probatur.** — Nam sicut agens primum non praesupponit subiectum ad rerum productionem, ita ad quamcumque rerum immutationem non praesupponit nisi merum subiectum. — Et proinde nec dispositionem in ipso, nec positivam capacitatem etc. *Item:* Ad ea quae sunt totaliter alterius ordinis nequit esse in natura positivus aliquis ordo, multo minus dispositio aliqua aut quaecumque exigentia.

Hinc plurima concludere poteris circa ordinem elevationis, qui tamen ex fide solum nobis est notus, et consequenter circa naturam gratiae, virtutum infusarum, gratiae actualis, et horum omnium omnimodam gratuitatem, originem, habitudinem ad finem. Quaecumque etiam prima remotissima dispositio ad finem simpliciter supernaturalem h. e. excedentem naturalem proportionem cuiuscumque naturae creatae et creabilis, ita excedit proportionem naturae sicut finis ipse cuius est aliqualis inchoatio et cuius ordinem ingreditur.

185. **Nota** quod *supernaturale* simpliciter illud dicitur quod est *supra naturam* simpliciter, h. e. non supra hanc vel illam naturam creatam vel creabilem, sed supra omnem: et cum supra naturam omnem creatam et creabilem non sit nisi natura increata et increabilis, quae est ipsa natura divina, ideo ordo supernaturalis simpliciter dictus, pertinet ad communicationem et consortium quoddam ineffabile ipsius divinae naturae.. " *Ut efficiamini divinae consortes naturae* „. " *Similes ei erimus quoniam videbimus eum sicuti est.* „ — Videre autem Deum sicuti est, eique assimilari in hoc quod est immediate ipsum videre nulli naturae creatae vel creabili competere potest absque ineff-

fabili elevatione ultra omnem proportionem naturae, cum sit unice proprium Dei. — Quod si ad aliquod donum sive praeternaturale sive supernaturale aliqua eiusdem ordinis supernaturalis dispositio in creatura requiratur et praerequiratur, non tamen praerequiritur ipsi actioni Dei, qui causat simul et dispositionem et formam. Unde primus agens nullam supponit dispositionem in subiecto quam ipse non faciat. — Sed de his dogmatici.

CAPUT SEPTIMUM.

De motu et mutatione et prioritate.

PROPOSITIO I.ª — Omnis motus et quaecumque mutatio importat aliquam potentiam.

186. Probatur. — Nam motus est " actus entis in potentia „. Mutatio autem quaecumque est " transitus de potentia ad actum „. Et sic in definitione utriusque ingreditur potentia.

187. Nota. De motu, plura in physica. Ut quadantenus definitionem intelligas, cogita aquam quae califieri debeat ad gradum decimum, antequam calefieri incipiat est in termino a quo et nondum est in ea motus. Cum erit in decimo gradu caloris, iam erit in termino. Tunc est in motu quando iam aliqualiter habet actum caloris, puta ut tria, ita tamen ut sic actuata consideretur ut adhuc in potentia existens ad terminum calefactionis, et sic dicitur motus actus quidem, sed entis in potentia in quantum huiusmodi, seu formaliter ut adhuc in potentia. — Sed alibi de hoc. — Mutatio autem latius patet quam motus ut patet ex data definitione. — Hinc inferre potes purissimi actus omnimodam immutabilitatem. — " Omne quod quocumque modo mutatur, est aliquo modo in potentia. Ex quo patet quod impossibile est Deum (purissimum actum) aliquo modo mutari „. (I. p. q. 9. a. 1).

PROPOSITIO II.ª — " Omnis motus supponit aliquid immobile „. (I. p. q. 84. a. ad 3.).

188. Probatur. — " Cum enim transmutatio fit secundum qualitatem remanet substantia immobilis; et cum transmutatur forma substantialis remanet materia immobilis „ *ib* et (q. IX. a. 1). " Omne quod movetur quantum ad aliquid manet et quantum ad aliquid transit; sicut quod movetur de albedine in nigredinem manet secundum substantiam, et sic in omni eo quod movetur attenditur aliqua compositio „. Omnis autem compositio importat actum et potentiam ut dictum est.

189. Nota. Idem concludere potes de quacumque mutatione, non quod mutatio omnis supponat aliquid immobile in eo quod mutatur, sicut accidit in motu qui importat subiectum idem transiens de uno actu in alium, sed omnis transitus de potentia in actum supponit primum aliquod ens prorsus immutabile. Quod sic patet: Quidquid *fit* in actu cum prius non esset in actu, *fit* in actu per aliquid quod *est* in actu; quod si et illud ut sit in actu, et ut faciat in actu debeat fieri in actu, oportet quod fiat in actu per aliquid quod est in actu, et cum in hoc non sit procedere in infinitum, deveniendum est ad aliquid quod ita *sit* in actu quod nullo modo fiat in actu: et sic ad aliquid prorsus immobile et immutabile quod erit causa prima cuiusvis motus et mutationis et purissimus actus in ipso ordine essendi absolute. Sed hoc et similia clarius concludere poteris si perpendas ea quae sequuntur.

PROPOSITIO III.ª — Sicut aliquid potest esse in potentia ad actum, qui est forma, ita etiam ad actum qui est motus.

190. Probatur. Primum est manifestum ex dictis et patet experientia maxime in accidentalibus, puta si ceram diversimode figures. — Alterum pariter experientia patet, si eamdem ceram proiicias, tunc enim actu movebitur dum prius in potentia erat ad motum. Et etiam ad motum alterationis tunc est in potentia cum quiescit sub una forma, tunc actu movetur, cum ab agente recipit motum alterationis.

PROPOSITIO IV.ª — Quod est in motu, non est in potentia ad moveri, sed potest esse in potentia unde=quo.

191. Declaratur. — Sic sagitta dum tendit actualiter in scopum, movetur in actu, tamen ut est in puncto A est in potentia ad punctum B, et hoc est quod dicit Aristoteles esse in

potentia non ad moveri sed " *unde-quo* „. Sic aqua quae calefit dum calefit non est in potentia ad motum *calefactionis*, sed bene " *unde-quo* „ (X. *Metaph.* lect. 9. c. 5.).

PROPOSITIO V.a — Ipsa potentia activa et ipsa causa agens, quae non sit primum agens, potest moveri ad actum qui est operatio.

192. Probatur. — Primum patet exemplo voluntatis moventis omnes alias potentias animae ut intellectum ad considerandum, etc. Secundum pariter manifestum est et amplissime analogatur. Finis enim movet causam agentem; consulens, imperans, pariter movet. — Instrumentum pariter ad agendum applicatur. Solum primum movens omnino immobile a nullo moveri ullo modo potest [1]).

193. Nota. 1° Movens motum est propria ratio instrumenti. Patet in baculo movente lapidem, ut movetur ab homine tamquam a causa principali; analogatur vero ad omnia, quamvis diversissimo modo in diversis hoc contingat, ut necessario est in analogis. Virtus vero principalis agentis in instrumento est fluenter, transeunter, intentionaliter, h. e. per modum motus. Et operatio instrumenti ut sic proportionatur virtuti principalis agentis: sic calamus in manu scribentis, facit opus intelligentis. Hinc quanto virtus principalis causae maior est, eo minor in instrumento praerequiritur aptitudo ad opus. Sic quod alius non poterat, Scanderbeg gladio faciebat, et quod Scanderbeg gladio, Samson maxilla. Pone nunc virtutem principalis causae infinitam, et perpende quid dicendum de Humanitate Sanctissima I. C., quae comparatur ad Verbum ut instrumentum coniunctum et de Sacramentis, quae pariter instrumenta sunt divinae virtutis prorsus infinitae, et quidem instrumenta, quae a principali agente non adhibentur ob aliquam necessitatem, quasi per se sine ipsis facere non possit, quod per ipsa facit, sed unice ut sensibilibus sensibilia accommodet remedia. Perpende, inquam, ex his quam parum, melius dixeris, quam nihil requiratur ex parte instrumenti, cuius tota virtus ut sic, est unice virtus prin-

---

[1]) " In mathematicis non est potentia neque motus „ quomodo tamen dicatur in mathematicis possibile vel impossibile. Cf. S. Th. (C. G. I. 82).

cipalis causae moventis. Hic plura de his poni possent, h. e. circa causalitatem instrumentalem, sed quia iam excedimus limites, sufficiat sic quaedam innuisse [1]).

194. Nota. 2° Notavimus iam ab initio cum Aristotele et S. Th. [n. 54] quod nomen actus primo impositum videtur ad designandum motum (quia actus significat *aliquid exercitum,* unde et involvit esse [cf. n. 94]) qui sensibiliter a nobis videtur, deinde ad alia esse derivatum per analogiam. Unde de motu agere maxime pertineret ad tractationem de actu et potentia.

195. Nota. 3° Quandoque nomine motus appellatur quaecumque actio etiam immanens et identificata cum operante, ut in definitione vitae, et sic non importat potentiam.

PROPOSITIO VI.ª — **Mutabilitas proprie dicta respondet solum illi potentiae, quae stare potest cum privatione determinati actus.**

196. Probatur. — Nam mutabilitas proprie dicta supponit subiectum *idem,* quod transeat ab una forma ad aliam, quod implicat *privationem* praecedentis.

PROPOSITIO VII.ª — **Quae possunt amittere formam substantialem dicuntur habere simpliciter potentiam ad non esse.**

197. Probatur. — Nam, ut d. e. [n. 97] ad unamquamque formam sequitur esse, et acquirere formam est acquirere aliquo modo esse, et amittere formam est amittere aliquo modo esse. Porro ad formam substantialem sequitur esse simpliciter. Ergo posse amittere formam substantialem est habere potentiam ad non esse simpliciter. Et sic si vinum amittit formam substantialem iam ipsum simpliciter non est, et loco eius erit acetum. Talia autem sunt omnia generabilia et corruptibilia.

PROPOSITIO VIII.ª — **Formae subsistentes sive separatae (ut Angeli) sive inhaerentes (ut anima humana) non habent potentiam ad non esse, ac proinde sunt incorruptibiles.**

198. Probatur. — Nam in talibus non est accipere subiectum quod transire possit ab una forma ad aliam. In quo

[1]) Unde "cuius est potentia, eius est actio„ *Comp. Th.* 87.

autem non est potentia ad privationem formae, neque est potentia ad privationem actus essendi secundum illam formam.

Hinc S. Thomas I. p. q. IX. a. II. " Substantiae incorporeae quia sunt ipsae formae subsistentes, quae tamen se habent ad esse ipsarum sicut potentia ad actum, non compatiuntur secum privationem huius actus, quia esse consequitur formam: et nihil corrumpitur nisi per hoc quod amittit formam; unde in ipsa forma non est potentia ad non esse; et ideo huiusmodi substantiae sunt immutabiles et invariabiles secundum esse (licet non secundum accidentia ut sunt operationes v. g.) „. — Et de anima humana postquam asseruit quod si posset corrumpi deberet corrumpi per se, prosequitur. " Quod quidem omnino est impossibile non solum de ipsa, sed de quolibet subsistente quod est forma tantum. Manifestum est enim, quod id quod secundum se convenit alicui, est inseparabile ab ipso. Esse autem per se convenit formae, quae est actus. Unde materia secundum hoc acquirit esse in actu, quod acquirit formam; secundum hoc autem accidit in ea corruptio, quod separatur forma ab ea. Impossibile est autem quod forma separetur a seipsa: unde impossibile est quod forma subsistens desinat esse „. (I. p. q. 75. a. 6. c.). — Sed placet etiam hic ponere quod habet idem S. Doctor in *Comp. Theol.* c. 74. " Quia unumquodque in tantum nobile et perfectum est, in quantum ad divinam similitudinem accedit; Deus autem est actus purus absque potentiae permixtione; necesse est ea quae sunt suprema in entibus magis esse in actu et minus de potentia habere; quae autem inferiora sunt, magis in potentia esse. Hoc autem qualiter, sit considerandum est. Cum enim Deus sit sempiternus et incommutabilis in suo esse, illa sunt in rebus infima, utpote de similitudine divina minus habentia, quae sunt generationi et corruptioni subiecta; quae quandoque sunt, et quandoque non sunt. Et quia esse sequitur formam rei; sunt quidem huiusmodi, quando formam habent, desinunt autem esse quando forma privantur. Oportet igitur in eis esse aliquid quod possit quandoque formam habere, quandoque vero forma privari, quod dicimus materiam. Huiusmodi igitur quae sunt in rebus infima, oportet esse ex materia et forma composita. Illa vero quae

sunt suprema in entibus creatis, ad similitudinem divini esse maxime accedunt, nec est in eis potentia ad esse et non esse, sed a Deo per creationem sempiternum esse adepta sunt. Cum autem materia hoc ipsum quod est, sit potentia ad esse, quod est per formam; huiusmodi entia, in quibus non est potentia ad esse et non esse, non sunt composita ex materia et forma, sed sunt formae tantum subsistentes in suo esse quod acceperunt a Deo. Necesse est autem huiusmodi substantias incorporales incorruptibiles esse. In omnibus enim corruptibilibus est potentia ad non esse; in iis autem non est ut dictum est; sunt igitur incorruptibiles. Item: nihil corrumpitur nisi per separationem formae ab ipso, nam esse semper consequitur formam; huiusmodi autem substantiae, cum sint formae subsistentes, non possunt separari a suis formis, et ita esse amittere non possunt. Ergo sunt incorruptibiles „. Haec etiam ut videas quam familiaria sint S. Doctori principia de actu et potentia, quae etiam si hanc unice utilitatem haberent ut percipere et intelligere posses quae ipse dicit, non parvi essent facienda.

PROPOSITIO IX.ª Creatio et annichilatio important solum improprie dictam mutationem.

199. Probatur. — Nam non important aliquod subiectum idem transiens de uno actu in alium.

" Non enim est creatio mutatio, sed ipsa dependentia esse creati ad principium a quo instituitur; et sic est de genere relationis... Dicitur tamen creatio esse mutatio quaedam, secundum modum intelligendi tantum, in quantum scilicet intellectus noster accipit *unam et eamdem rem* ut non existentem prius, et postea existentem „. (C. G. II. 18).

PROPOSITIO X.ª — Impropria mutatione [n. 199] **mutabile est omne quod quocumque modo potentiam involvit.**

200. Probatur. — Nam omnia quae sunt praeter purissimum actum, per creationem transierunt de non esse simpliciter ad esse: et quidquid ex nihilo est, est vertibile in nihil; et desineret in non esse, quamprimum desineret sustentari a prima causa totius esse. Conservatio enim est continuata creatio.

" Solus Deus est omnino immutabilis: omnis autem creatura aliquo modo est mutabilis. Sciendum est enim quod mu-

tabile potest aliquid dici dupliciter: uno modo per potentiam quae in ipso est, alio modo per potentiam quae in altero est: omnes enim creaturae, antequam essent, non erant possibiles esse per aliquam potentiam creatam, cum nullum creatum sit aeternum; sed per solam potentiam divinam, in quantum Deus poterat eas in esse producere. Sicut autem ex voluntate Dei dependet quod res in esse producit, ita ex voluntate eius dependet quod res in esse conservat; non enim aliter eas in esse conservat quam semper eis esse dando; unde, si suam actionem eis subtraheret, omnia in nihilum redigerentur..... Sicut igitur in potentia Creatoris fuit ut res essent, antequam essent in seipsis: ita in potentia Creatoris est, postquam sunt in seipsis, ut non sint. Sic igitur per potentiam quae est in altero, scilicet in Deo, sunt mutabiles, in quantum ab ipso ex nihilo potuerunt produci in esse, et de esse possunt reduci in non esse..... „. Et in fine concludit: " Universaliter omnes creaturae communiter sunt mutabiles secundum potentiam creantis, in cuius potestate est esse et non esse earum. Unde cum Deus nullo istorum modorum (quos ibi enumeravit secundum substantialia et accidentalia) sit mutabilis, proprium eius est omnino immutabilem esse „. (I. p. q. 9. a. 2).

Quibus in verbis attende etiam quomodo de potentia activa et passiva tamquam de una quadam ratione analoga loquatur, cum dicit quod aliquid potest dici possibile per potentiam quae in ipso est, vel per potentiam quae est in alio: cum tamen totaliter alius modus potentiae per hoc indicetur.

PROPOSITIO XI.ª — Forma non subsistens non habet fieri.

201. Probatur. — Fieri est via ad esse; eius ergo est fieri cuius est esse; sed forma non subsistens non habet esse; ergo non habet fieri. Id quod fit est ipsum compositum, quod fit per hoc quod vel totum ex nihilo a Deo producitur, vel per hoc quod materia praeexistens in alio, sub actione naturalis agentis transit ad novam formam, quam consequitur esse novi compositi. Quod autem dicunt scholastici cum S. Th. quod *forma educitur de potentia materiae,* forma, inquam, non subsistens, quae non est nisi mera determinatio

materiae, hoc significat quod forma, v. gr. statuae, non fit prius seorsim, et postea imponitur tamquam pileolus aliquis materiae seu subiecto, sed fit statuae forma in materia, per meram immutationem praecedentis compositi qualem oculis videmus fieri v. gr. a figulo aliquo, qui effingit lutum. Sic etiam in formis substantialibus forma aceti non habet proprie fieri, sed fit acetum ex vino per successivam alterationem ab agentibus naturalibus inductam in vinum, quod paulatim transmutatur in acetum, quod erat in potentia antequam actu esset, quia materia praeexistens sub forma vini erat capax formae aceti remotius vel proximius [1]) secundum varias dispositiones inductas ab agente. Ridiculum esset dicere quod forma in generatione educeretur de materia, sicut de vase aliquo in quo actu contineatur, sed hoc nullus sanorum philosophorum somniavit. Et contineri in potentia non est contineri simpliciter, et pariter educi de potentia materiae sane est intelligendum secundum analogiam quamdam remotissimam ad ea, quae educuntur non de potentia, sed de continente actualiter. — Sed de his in physica.

PROPOSITIO XII.ª — **Forma subsistens non habet fieri nisi per creationem.**

202. Probatur. — Habet fieri, quia habet esse. Fieri *solum* per creationem, quia non potest fieri nisi ex nihilo sui et subiecti. Sui, quia quod fit antequam fiat non est. Subiecti, quia ipsa forma subiectum non habet partem sui, secundum quod possit praeexistere in potentia subiectiva antequam sit in actu.

PROPOSITIO XIII.ª — **Impossibile est quod sit aliquid, quod educat se de potentia in actum.** (S. Th. C. G. 1.º c. 16.

203. Probatur. — Quia educere est agere, educi autem est pati; potentia autem activa opponitur passivae. Item in tantum aliquid educit seu agit in quantum est in actu; educitur autem aliquid de potentia, in quantum est in potentia.

---

[1]) Cf. S. Thom. 9. *Metaph.* l. 6. ubi ostenditur quando et in quali dispositione existens aliquid dicatur esse in potentia ad actum.

Ergo. — Hinc *non potest idem, secundum idem, esse movens et motum,* quia movere est actus, moveri potentiae ; et nequit idem secundum idem, esse in potentia et in actu. Cfr. verba S. Th. relata [n. 54] ubi expendit illud Philosophi " in quantum est aliud „. Et passim haec invenies apud S. Thomam. Sic v. gr. I. p. q. II. a. 3. " Omne quod movetur, ab alio movetur ; nihil enim movetur nisi secundum quod est in potentia ad illud ad quod movetur; movet autem aliquid secundum quod est actu; movere enim nihil aliud est quam educere aliquid de potentia in actum. De potentia autem non potest aliquid reduci in actum nisi per aliquod ens in actu..... Non autem est possibile ut idem sit simul in actu et potentia *secundum idem,* sed solum secundum diversa..... Impossibile est ergo quod secundum idem et eodem modo, aliquid sit movens et motum, vel quod moveat seipsum „.

PROPOSITIO XIV.ª — Non potest naturaliter dari regressus a privatione ad habitum eiusdem numero actus.

204. Probatur. — Nam actus succedens alteri in eadem materia signata, non distinguitur a praecedenti per materiam signatam, sed formaliter ut est terminus diversi motus, et quia non potest reparari idem numero motus, ideo neque idem numero terminus. Omnia autem agentia naturalia agunt per motum, unde naturaliter non potest dari regressus a privatione ad habitum eiusdem numero actus.

205. Nota. Potest tamen dari virtute agentis primi, quod agit sine motu, ut accidet in resurrectione. Ut facilius intelligas sumas exemplum in accidentalibus: curvo hanc virgam, dein iterum rectam efficio, et dein iterum curvo, secunda haec curvitas alia est a prima, quia terminat diversum numero motum; idem accidit si in eadem materia signata, forma eiusdem speciei post multas vices induceretur iterum, esset quidem illa eiusdem speciei cum praecedenti, sed non illa ipsa eadem numero quae fuit prius, quia esset terminans diversum motum. Attende ergo principium individuationis hoc sensu esse materiam signatam, quatenus quaeritur unde primo distinguantur numero inter se ea quae coëxistunt, non ea quae sibi succedunt in eadem materia. Individuum enim est, quod est indivisum in se, et divisum a

quolibet alio; divisio autem haec est secundum materiam; distinctionem autem sibi succedentium facit forma diversa ut terminans motum diversum. Nota ergo in [n. 143] illud " *ab omnibus coëxistentibus* „ quod propter hoc positum est, quia quae sibi succedunt invicem in eodem subiecto, seu in eadem materia signata, non est quaerendum quomodo distinguantur, vel constituant duo individua, quia cum unum est, alterum non est nisi in potentia, et cum est alterum, non est amplius primum. Et si redeat eiusdem speciei forma ad eandem materiam signatam, non erit eadem numero forma, quia terminus diversi motus. De hoc melius alibi. — Cfr. *Comp Theol.* 153. 154.

PROPOSITIO XV.ª — " In uno et in eodem quod quandoque est potentia, quandoque actu, potentia est prior tempore, quam actus „. C. G II. 16.

206. Declaratur. — Sic antequam acetum esset actu, prius tempore fuit in potentia, dum actu erat vinum: et statua pariter antequam esset actu, fuit in potentia.

207. Nota. Tamen hoc, quod est esse prius solum secundum considerationem limitatam, qua potentia et actus considerantur solum respectu unius eiusdemque, et secundum similes limitationes, non est esse prius simpliciter sed solum secundum quid.

PROPOSITIO XVI.ª — Simpliciter loquendo oportet actum potentia priorem esse.

208. Probatur. — Patet ex hoc quod potentia non reducitur in actum nisi per ens actu, l. c.; Idem habes I. p. q. 3. a. 1. c.; 9. *Metaph.* l. 7.ª et 8.ª et alibi passim.

209. Corollarium. — 1º Hinc omne quod est aliquo modo in potentia habet aliquid prius. 2º Hinc super omnia, quae quocumque modo sunt in potentia, debet dari aliquid quod nullo modo est in potentia, sed undequaque purissimus actus. 3º Hinc quidquid dicitur de purissimo actu, essentialiter dicitur, quia omne, quod participative dicitur, habet aliquid prius, cuius participatione est aliquale; unde Deus est ipsa Sapientia, ipsa Bonitas, ipsum Esse, ipsa Vita, et est sua essentia, et quidquid de ipso dicitur: perfectissime enim competit aliquid alicui quod est ipsummet, ut loquitur S. Thomas C. G.ª etc.

Hinc " semper in ordine potentiarum et actuum quod est prius est potentiale respectu sequentis, et ultimum est completivum, loquendo in uno et eodem, licet in diversis sit e converso: nam movens et agens comparatur ad motum et actum sicut agens ad potentiam „. *Comp. Th.* 31. (Vide quomodo principia potentiae activae analogantur cum principiis potentiae passivae).

PROPOSITIO XVII.ª — Actus est prior potentia natura et cognitione.

210. Probatur. — Nam potentia nec specificari, nec consequenter cognosci potest nisi per ordinem ad actum..... *Item:* tanto aliquid est natura prius, quanto nobilius. — *Item:* unumquodque tantum habet de cognoscibilitate quantum de entitate, et tantum de entitate quantum de actualitate.

211. Corollarium. — Hinc perfecta sunt priora imperfectis, naturaliter. — Hinc quo magis aliquid est actuale, eo magis secundum se est intelligibile, et quod est in maximo actualitatis et immaterialitatis est in maximo cognoscibilitatis etc.

212. Conclusio. — Atque haec nunc sufficiant. Solum addam parvam considerationem, occasione eorum quae hic in fine dicta sunt, quae utilis esse poterit. Nempe si conferas ea quae S. Th. cum Arist. habet IX. *Metaph.* l. 7. dum ostendit quomodo *actus sit prior potentia,* habebis exemplum illius analogationis, quam supra (*Log. Mai.* pag. 545) haberi diximus in omnibus universalissimis principiis, ratione terminorum quibus constat. Videbis analogari actum ad actum primum, qui est forma, et ad secundum, qui est operatio, vel motus quilibet. Et actum, primo modo dictum, ad formam substantialem et accidentalem. Videbis prioritatem ipsam accipi multipliciter, vel secundum rationem, vel secundum substantiam, vel secundum tempus: potentiam pariter analogari ad activam et passivam, pro analogia, quae inter utramque intervenit, ut supra notavimus, et ad activam revocari habitus operativos, qui disponunt potentiam ad actum, qui est operatio. Et sic ponuntur exempla (ad ostendendum quod potentia non potest definiri nisi per ordinem ad actum) aedificatoris qui *potest* aedificare, et speculatoris qui *potest* speculari, quae pertinent ad potentiam activam; et visi-

bilis quod potest videri, quod revocatur quodammodo ad potentiam passivam. — Et considerans prioritatem temporis, ut ostendat quod idem numero, prius tempore est in potentia, quam in actu, affert exempla de hoc homine, qui prius fuit in potentia et postea in actu, et de grano frumenti quod quodammodo est planta in potentia, antequam fiat in actu: tum subdit " et visivum „ idest habens potentiam (utique activam) videndi quam videns actu... Sed tamen et ante hunc hominem fuit alius homo in actu, et ante hoc granum frumenti, quod est in potentia, frumentum in actu.

" Semper enim oportet quod id quod est in potentia ens, fiat actu ens ab agente quod est actu ens. Unde homo in potentia fit actu homo ab homine generante qui est in actu.... Et similiter musicum in potentia, respicit musicum in actu, discendo a doctore, qui est musicus in actu. Et *ita semper eo quod est in potentia est aliquid prius* „.

Et descendens etiam ad eas potentias, quae dicuntur secundum bene agere, ostendit, quod prius aliquis aedificat vel scribit, quam fiat bonus aedificator, vel lector, vel scriptor, et sic actus aedificandi, legendi etc., praecedit potentiam bene aedificandi etc., citharizando enim aliquis addiscit citharizare. Et sic concludit, quod non possunt haberi huiusmodi potentiae nisi prius insint earum actiones etiam in eodem numero subiecto. Haec ut perpendas vim analogiae in principiis universalissimis quae in hoc est quod in uno plurima diversissima secundum proportionem aliquam suo modo contineantur. Cfr. dicta hoc loco citato, et exempla ibi allata.

Et ex iis quae ab initio retulimus ex S. Th. et ex Arist. iisque quae hic in fine addidimus etiam hoc considerare utile erit, quod nempe illa quae hic abstracte et universaliter prout congruere videbatur ordini disciplinae per breves propositiones veluti a priori deducendo exposuimus, non sic tamen a priori inventa fuerunt, sed hausta omnino sunt ex accurata, et obvia etiam ceteroquin, observatione eorum quae in rebus ipsis, sensui nostro subiectis assidue intervenire deprehendimus. Et utile profecto esset, si tempus ferret, ostendere viam qua ad haec statuenda, a perspicacissimis ingeniis Aristotelis et S. Thomae,

deventum est. Profecto hoc quod nunc movetur v. g. prius non movebatur, et tamen poterat moveri; fuit ergo prius in potentia secundum aliquid, quod nunc actu est exercite. Item: proiicit aliquis lapidem: per hoc quod proiicit actum aliquem facit, seu actionem aliquam. Poterat prius facere, nunc actu facit. Sed iterum lapis ipse poterat prius moveri, nunc *actu* movetur et actum illum habet in se, qui dicitur motus, qui est quid exercitum in lapide illo dum movetur. Aqua calefit, prius calefieri poterat, et dum calefit potest habere gradum decimum caloris, cum nondum habet; postea vero actu habet decimum gradum. Haec in natura sunt, non ficta a nobis. Ulterius procedendo videmus quaedam incipere esse simpliciter, quae prius non erant, puta animal hoc, vel planta haec non erat, nunc autem sunt. Sed agens naturale ea non produxit ex nihilo: materia unde constat extabat: hinc quaesitum est, quid sit materia, quomodo eadem maneat et tamen varietur, etc; quomodo habeat rationem subiecti et subiecti primi, etc.; et cum in mutationibus sensibilibus aliquid remaneat immutatum, quod transit ab uno statu ad alium, ab una forma ad aliam, de illo manifestum est, quod *potest* diversa suscipere, et sic bene vocari potest *potentia subiectiva;* atque ita porro. Quomodo omne mutabile importet potentiam, et quot modis haec dicatur, vide I. p. q. 9. a. 2.

Sed postquam sic de sensibilibus speculati sumus, naturam ipsam interrogantes, non pro lubito fingentes, si considerationem altius attollamus ad immaterialia, ab iis removere debebimus quaecumque ad materiam pertinent, vel eam consequuntur. Exempla autem immaterialium non habemus nisi quadantenus ex consideratione eorum, quae in anima nostra immaterialiter sunt, dum in rebus sunt materialiter.

Removendo ergo materiam et ea quae materiae propria sunt, assurgimus ad considerationem eorum, quae subsistunt ut puri actus. Difficilis sane et ardua res nobis est in aliqualem immaterialium cognitionem ascendere. Sed inde etiam patet, quam prudenter agat, qui in speculatione altissimorum, ducem eligit prae aliis angelico et altissimo intellectu praeditum. Quam certa autem, et in seipsis evidentia haec, quae de actu et potentia

statuuntur, Angelico Doctori sint visa, patet ex eo, quod demonstrationes, quae maximi momenti sunt in tota philosophia et in theologia praesertim (quantum ad ea, quae de Deo naturali lumine demonstrari possunt) ex his principiis saepissime instituit, quae menti eius ut prima totius metaphysicae principia obversantur, quaeque ut evidentia in terminis, licet altissima, perspicacissime et profundissime intuebatur, in tota sua, qua late patent, analogatione ad omnia. Hoc tamen in speculatione altissimorum intervenit, quod non sola inventio veritatis difficultatem habet, sed etiam perceptio eorum, quae a sapientibus iam detecta aliis proponuntur, difficultatem habet, fere dixerim, eamdem. Sic in experimentalibus, difficilis quandoque inventio est, percipere autem inventa cuilibet facile. Inde est quod, quae a physicis experimentalibus, ut aiunt, deteguntur, facile ab omnibus capiantur et teneantur. Sed ad altam et universalem veritatis speculationem non omnes pertingere possunt, et verba sapientis recte assimilantur in scriptura clavis in altum defixis, ad quae non quilibet pertingere possit.

Tractatus III.us

De Transcendentibus.

QUAESTIO PRIMA

De Transcendentibus in communi.

THESIS I.a — Quinque dantur rationes transcendentales, quae exprimunt modos quosdam generaliter consequentes ad rationem entis, scilicet res, unum, aliquid, verum, bonum.

213. **Probatur.** — Enti nulla fieri potest additio per modum extraneae naturae, sicut differentia additur generi, aut per modum, quo accidens additur subiecto, sicut forma universalitatis additur naturae; quia quaelibet natura essentialiter est ens, seu

nihil inveniri potest de quo ens formaliter non praedicetur[1]). Possunt tamen aliqua addere supra ens, in quantum exprimunt aliquem ipsius modum, qui nomine ipsius entis non exprimitur.

---

[1]) Adverte quod aliud omnino est quod ens *praedicetur de omnibus quae in re sunt,* et aliud quod ens, dum praedicatur de aliqua re, *significet omnia quae in re sunt:* primum enim est verum, secundum autem est prorsus falsum, et includeret perversum intellectum transcendentiae entis. Ex hoc enim, quod ens dicitur imbibi in omnibus quae in re sunt, plures inducti sunt ad putandum quod omnia prorsus quae in re sunt, confuso saltem modo importentur per ens dum praedicatur de aliquo. Hoc autem esse omnino falsum, ostenditur pluribus argumentis: et 1° quidem ex ipsa definitione entis communiter admissa: ens enim est *id cui competit esse,* seu essentia cui competit esse: nihil ergo aliud significo dum dico — *Petrus est ens* — nisi — *est essentia quaedam cui competit esse:* falsum ergo est quod ens, *dum praedicatur,* significet omnia quae in re sunt. Praeterea 2° diximus quod ens habet duas connotationes et *unam* significationem: porro quod connotatur non significatur: ergo iterum falsum est quod ens dum praedicatur, significet omnia quae in re sunt. 3° Ens est id quod primo cadit in intellectum: porro quod cadit in intellectum debet esse abstractum a singularitate materiali (vidimus enim in Logica quod singulare materiale, intelligibile non est): ergo iterum singulare non significatur per ens, seu ens *non significat* omnia quae in re sunt.

Dicendum est ergo quod ens est transcendens quia omnia quae in re sunt significare potest et consequenter de omnibus quae in re sunt praedicari potest. De omnibus enim quae in re sunt verificari debet quod sint aliqua ratio essentialis cui competat esse et ideo ens. Dum autem praedicatur ens, non significat nisi essentiam proportionali, quodam modo habentem habitudinem ad esse. — Hinc manifeste sequitur quod licet ens non sit ratio simpliciter abstracta (tum quia ratio simpliciter abstracta est ratio *proprie generica* [24. 5], tum quia de omnibus quae in re sunt praedicari potest), tamen est ratio abstracta sicut intelligibile abstrahitur a sensibili, seu universale a singulari [n. 24]. Unde S. Thomas dicit quod ens non solum potest abstrahi a materia *sensibili individuali,* sicut species hominis ab his carnibus et his ossibus, non solum potest abstrahi a materia *sensibili communi,* sicut species mathematicae, et iterum non solum a materia *intelligibili individuali* (quae est substantia materialis *haec* vel illa), sed ab ipsa quoque materia intelligibili communi (substantia materiali), et ideo praedicari potest de substantiis immaterialibus. " Quaedam vero sunt quae possunt abstrahi *etiam* a materia intelligibili communi, sicut ens, unum, potentia et actus et alia huiusmodi: quae etiam esse possunt absque omni materia „. (1. q. 85. a. 1. ad. 2^{m}.) — Hinc manifeste sequitur quod ratio entis dicta de duobus individuis eiusdem speciei infimae est ratio univoca.

Porro duplex attendi potest modus essendi: alius specialis, alius generalis. Modus essendi specialis est determinatio quaedam entis secundum quam ens invenitur in certo determinato gradu entitatis, seu est haec aut illa entitas, puta substantia, vel quantitas. Modus essendi generalis est determinatio, quae in ente reperitur ut consequens generatim ad omne ens. Ea quae addunt supra ens priori modo non possunt esse transcendentia respectu inferiorum omnium entis. Nam per speciales essendi modos accipiuntur diversa genera entis, ut decem praedicamenta et ipsae analogae rationes multiplices entitatis ut Dei et creaturae, entis realis et entis rationis. At ea, quae addunt supra ens posteriori modo, bene possunt habere transcendentiam, non secus ac ipsa generalissima ratio entis. Cum enim consequantur illi modi ad hanc ipsam entis rationem, prouti universalissime consideratur in omnibus, quae quomodocumque rationem entis participant, manifestum est, quod omnibus convenire debent, de quibus ens praedicatur formaliter: cum autem ens sit praedicatum formale omnium quae in qualibet re sunt, necessario sequitur, quod etiam rationes, quae addunt supra ens per tales modos, praedicentur formaliter de omnibus, quae in rebus sunt Hoc autem est dicere, quod sint transcendentes sicut ipsum ens.

Iamvero modus essendi generaliter consequens ad omne ens, iuxta S. Thomam *de Verit.* q. 1. a. 1. dupliciter accipi potest: uno modo secundum quod sequitur omne ens *in se;* alio modo secundum quod consequitur unumquodque ens *in ordine ad aliud.* Si accipitur primo modo, adhuc dupliciter potest sumi, nempe vel secundum quod exprimit in ente aliquid *affirmative* vel secundum quod in ente exprimit aliquid *negative.* Non autem invenitur aliquid affirmative dictum absolute, quod possit accipi in omni ente, nisi *essentia* eius, secundum quam esse dicitur; et sic imponitur hoc nomen *res,* quod in hoc differt ab *ente,* quod ens sumitur ab actu essendi (quia scil. dicit aliquid connotando *esse* ut id a quo sumitur nomen entis); sed nomen rei exprimit *quidditatem,* sive *essentiam* entis. Negative autem et absolute dictum, quod est consequens ad omne ens, est *indivisio* in se: et hanc exprimit hoc nomen *unum;* nihil enim est aliud *unum* quam *ens indivisum.* Si autem modus essendi accipitur secundo

modo, scil. secundum ordinem unius ad aliud, hoc potest esse dupliciter. Uno modo secundum *divisionem* unius ab altero: et hoc exprimit hoc nomen *aliquid:* dicitur enim aliquid quasi aliud quid: unde sicut ens dicitur unum, in quantum est indivisum in se; ita dicitur aliquid, in quantum est ab aliis divisum. Alio modo secundum *convenientiam* unius entis ad aliud. Hoc autem esse non potest nisi accipiatur aliquid, quod natum sit convenire cum omni ente: et hoc est anima, quae habet ut sit quodammodo omnia sicut dicitur in 3.º *de anima* (text. 37). In anima autem est vis cognitiva et appetitiva. Porro convenientiam cuiusvis entis ad animam secundum vim appetitivam exprimit hoc nomen *bonum;* dicitur enim bonum ens in quantum est appetibile: convenientiam autem cuiusvis entis ad animam secundum vim intellectivam exprimit hoc nomen *verum* (prouti sumitur ut unum de transcendentibus); nihil enim est aliud verum transcedentale, quam ens secundum quod est adaequatum intellectui cognoscenti. (cf. S. Th. *De Ver.* q. 1.ª a. 1).

Quinque igitur sunt rationes transcendentales, quae consequuntur ad ens, eique addunt modum generalem essendi, qui nomine ipsius entis non exprimitur: scilicet res, unum, aliquid, verum, bonum. Et istae rationes dicuntur converti cum ente: quia omne quod suscipit rationem entis, tamquam formale praedicatum, necessario debet cum illo suscipere has quoque rationes, quae accipiuntur in ente tamquam exprimentes modos ipsius essendi generales. Disponi autem debent istae rationes sequenti ordine: *res, unum, aliquid, verum, bonum.* Prius enim esse debet quod respicit ens in ordine ad se, quam in ordine ad aliud. Unde *res* et *unum,* quae respiciunt ens in ordine ad se, praecedere debent *aliquid, verum,* et *unum,* quae respiciunt ens in ordine ad aliud. Inter *res* autem et *bonum,* prius debet esse id quod dicit absolute quid *positive* scil. *res* et postea id quod dicit absolute quid *negative* scil. *unum.* Post *unum* pariter *aliquid* quia importat ordinem divisionis unius ab alio sub ipsa ratione prima entis. Deinde venit *verum* quod antecedit *bonum,* quia intellectus cuius obiectum est verum, ordine potentiae praecedit voluntatem, cuius obiectum est bonum.

THESIS II.ª — Ex quinque transcendentibus, quae entis

rationem consequuntur, tria habenda sunt tamquam ipsius entis proprietates; scilicet: unum, verum et bonum.

214. Praenotandum. — Proprietates dupliciter distinguuntur: aliae enim sunt *reales,* quae consistunt in aliqua reali ratione, ab essentia veluti profluente: aliae autem sunt *notionales,* quae sunt nobis rationes cognoscendi aliquam essentiam nec tamen ab ea dimanant. Proprietates autem reales adhuc dupliciter sunt distinctae: nam quaedam dimanant ab essentia formaliter, et realiter distinguuntur ab ipsa essentia: quaedam vero dimanant ab essentia solum virtualiter, et tantum ratione ab essentia distinguuntur: quia scilicet, quamvis realiter identificentur cum essentia, secundum proprias rationes, tamen ita comparantur ad essentiam, ut si causam habere postularent, non aliam quam talem essentiam habere possent sui causam.

215. Probatur. — Ens in quantum est ens, necessario involvit rationem fundamenti huius negationis, quae est *indivisio in se,* seu *unitas;* quod namque non est indivisum in seipso, non potest dici *ens,* sed est *entia plura.* Item ens in quantum ens necessario connexam habet habitudinem ad intellectum, ut conformabile ipsi, et habitudinem ad voluntatem ut appetibile ab ipsa, in quibus consistunt rationes *veri et boni:* verum enim est ens in quantum conformabile intellectui; et bonum ut ens in quantum appetibile a voluntate. Et haec omnia, quamvis realiter non distinguantur ab ente, quia ens est transcendens omnia quae sunt; tamen ratione ab eo distinguuntur; quia singula addunt modum, qui ab ipso ente non exprimitur, sicut dictum est The. praec. et sunt rationes quaedam non notionales tantum, sed reales realitate ipsius entis; quia etiam nemine cogitante, ens habet quod sit indivisum in se, et conformabile intellectui, et appetibile voluntati: et licet ab ente non dimanent formaliter scilicet per formalem proprie dictam dimanationem, quia realiter identificantur cum ente, tamen ab ente dimanant virtualiter; quia scilicet ipsa ratio entis est in quolibet quod dicitur ens, ratio constituens indivisionem, et conformabilitatem atque appetibilitatem; seu est talis, ut non ab alia causa, quam ab ipsa profluerent unitas, veritas, ac bonitas transcendentales si ab ente distinguerentur realiter, et postularent causam a se

distinctam. Ergo ex quinque transcendentalibus, quae consequuntur ad ens, unum, verum et bonum haberi debent tamquam *reales proprietates* entis ipsius, ab eo *virtualiter* dimanantes, et *sola ratione* ab eodem distincta.

216. Nota. — Quod autem spectat *rem,* haec non potest considerari ut proprietas entis, etratio est, quia proprietas debet esse distincta ab essentia eius, cuius dicitur proprietas; et etiam quando solum virtualiter ab eo dimanare intelligitur, non debet re et ratione identificari cum essentia ipsius. At *res* non dicit aliquid, quod possit intelligi distinctum ab essentia entis; sed imo significat ipsam *quidditatem,* seu *essentiam* entis, ut The. praec. dictum est: et addit supra ens modum, qui ab ipso ente non exprimitur, in quantum determinatiori significatione exhibet ipsam entis essentiam, seu rem illam, quae propter ordinem ad esse vocatur *ens;* non vero quasi exhibeat aliquid quod videatur quodammodo procedere seu dimanare ab eo quod est essentia in ente. Quare nomen res neque significat per modum *adiacentis* ad *ens,* sicut ex. gr. bonum, verum; quo pacto significant nomina proprietatum; sed significat ad modum *per se stantis,* seu *substantivi,* cum sit nomen non adiectivum, sed substantivum ut patet. *Res* itaque haberi non potest ut proprietas entis.

Quantum vero ad *aliquid,* quod significat ens, secundum quod est *divisum a quolibet alio,* sunt qui asserunt esse quidem proprietatem entis, sed non esse distinctam ab uno, quia scilicet dicunt per *unum* importari primario indivisionem in se, et secundario divisionem a quolibet alio. Melius tamen videtur dicendum, quod aliquid, non sit proprietas entis, nisi in quantum consequitur ad unum. Oportet enim prius sumere ens indivisum in se, antequam statuatur divisio eius a quolibet alio ente. Unde non connumeratur cum proprietatibus, quae primo intelliguntur profluere ex essentia entis, scilicet, uno, vero ac bono.

QUAESTIO SECUNDA

De re seu de essentia secundum seipsam.

THESIS I.ª — Essentia seu res, convenienter dicitur esse: id secundum quod alicui competit esse.

217. Declaratur. — Nomine entis et rei conveniunt quantum ad illud, quod formaliter est significatum per ipsa: et hoc est *essentia,* seu *quidditas* illius quod est. Differunt autem per hoc, quod ens dicit quidditatem secundum ordinem, quem habet ad esse; secundum quem modum res primo cadunt in nostra apprehensione. *Res* autem dicit eandem quidditatem cum praecisione ab ordine, quem possidet ad esse, et in se absolute sumptam. Unde nomen *ens* licet non significet formaliter esse, sed quidditatem seu essentiam; connotat tamen *esse;* et quidditatem exhibet per ordinem ad esse. At nomen *res,* nullam involvit connotationem huius, quod est *esse,* et quidditatem importat ut id, quod in ente est absolute et positive dictum, non respectu alicuius alterius, sed in se ipso. Ad hoc igitur ut convenienter dicatur quid sit *res* seu *essentia;* oportet exhibere illud ipsum, quod est formaliter significatum per *ens;* ita tamen ut connotatio, quae est ab esse, cadat super aliud. Porro quando res seu essentia dicitur *id secundum quod alicui competit esse,* essentia ipsa non exhibetur ut connotans *esse,* quemadmodum fit cum dicitur *id cui competit esse,* sed tamquam illud quo absolute in se constituitur aliquid, cui ratione essentiae, aut secundum illam, competit esse. Convenienter igitur essentia seu res [1]) dicitur *id secundum quod alicui competit esse.*

---

[1]) "Nomen rei a quidditate imponitur, sicut nomen entis ab esse„. S. Thom. 1.° C. G. c. 25.

Hinc S. Th. *De Verit.* q. 1. a. 1. ait: " Non invenitur aliquid affirmative dictum absolute, quod possit accipi in omni ente, nisi *essentia* eius, *secundum quam esse dicitur:* et sic imponitur hoc nomen *res,* quod in hoc differt ab *ente,* secundum Avicennam in principio *Metaphys.,* quod *ens* sumitur ab actu essendi; sed nomen *rei* exprimit quidditatem sive essentiam entis „. Et op. *de Ente et Essentia* cap. 1. ait quod " essentia dicitur secundum quod per eam et in ea res habet esse „ et cap. 2° " essentia autem est secundum quam res dicitur esse „.

218. Nota. — Advertendum autem quod pluribus etiam aliis modis exhiberi potest essentia. Dicitur enim *id quo aliquid in proprio genere vel specie constituitur:* ens enim dividitur per decem genera seu praedicamenta prouti importat essentiam. Et quia illud, per quod res constituitur in proprio genere, vel specie, est quod significamus per definitionem, ideo essentia vocari etiam consuevit *definitio.* Quoniam vero definitio indicat quid est res (unde Aristoteles saepe illam dicit *quod quid erat esse,* idest ut explicat S. Th. de Ente et essentia cap. 1., *hoc per quod aliquid habet esse quid*), nomen essentiae a philosophis saepe mutatur in nomen *quidditatis.* Dicitur etiam forma in quantum nomine formae significatur generatim perfectio propria cuiuscumque rei. Vocatur insuper *ratio rei,* quia essentia est ratio ob quam res est id quod est, ac intellectui obiicitur. Tandem dici consuevit natura, quo tamen nomine essentia rei significatur secundum quod habet ordinem ad propriam operationem. Cum vero dicitur *id secundum quod alicui competit esse,* essentia generalius quodammodo et absolutius in se exhibetur.

219. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Essentia est proprium subiectum in quo recipitur esse ut actus ipsius. Atqui quod tale est, dici debet *id cui competit esse,* aut *id cuius actus est esse.* Ergo essentia non dicitur convenienter: *id secundum quod alicui competit esse.*

Resp. *D. M.* et tamen non ipsa essentia est cui esse competit ut *ei quod* proprie est, sed suppositum quod in ea essentia et secundum eam essentiam esse dicitur *C. M.:* secus *N. M.* — *Cdm* — *N. C.* — " Esse pertinet ad naturam et ad hypostasim: ad hypostasim quidem, sicut ad id *quod* habet esse: ad natu-

ram autem sicut ad id *quo* aliquid habet esse. Natura enim significatur per modum formae, quae dicitur ens ex eo quod ea aliquid est: sicut albedine est aliquid album, et humanitate est aliquid homo „ (III p. q. 17. a 2. c.) — et iterum ad 1m " esse consequitur naturam, non sicut habentem esse, sed sicut qua aliquid est: personam autem sive hypostasim consequitur sicut habentem esse „. Quare si essentia significatur concrete, ut quando exhibetur per hoc nomen *ens,* dici posset *id cui competit esse;* sed quando significatur abstracte, sicut fit per ipsum nomen *essentiae,* oportet quod dicatur *id quo alicui competit esse,* seu *id secundum quod alicui competit esse.*

Ob. 2a. Id secundum quod alicui competit esse est actus existentiae. Ergo non ipsa essentia.

Resp. *D. M.* Actus existentiae est id *quo* vel *per quod* aliquid est *C. A;* id *secundum quod N. A.* — *N. C.* Cum enim aliquid possidet actum existentiae, iam non est tantum aliquid cui esse competit, sed aliquid quod actu est. Essentia autem propria uniuscuiusque vere est illud, ratione cuius competit unicuique actus existentiae. Ex hoc enim quod aliquid habet determinatam essentiam est potens existere secundum illam.

THESIS II.a — Essentia alio modo invenitur in Deo, quam in creaturis, alio invenitur in substantiis quam in accidentibus, et alio in substantiis simplicibus quam in compositis.

220. **Probatur.** — Diversimode oportet in entibus inveniri essentiam, secundum quod diversimode est ipsis ratio secundum quam competit eis esse: dicitur enim essentia id secundum quod alicui competit esse. Porro est quoddam ens, in quo non aliud est id, secundum quod competit ei esse, quam ipsum suum esse: et hoc est Deus. Habet enim Deus, ut sit per esse quod est ipsa eius essentia: seu essentia Dei non aliter habet ut secundum illam Deus sit, quam quia ipsa est esse. At entia creata huiusmodi sunt, ut aliud sit in ipsis id, secundum quod competit eis esse, et aliud sit hoc quod est esse eorum. Cum enim nulla essentia creata sit ipsum esse, (secus non esset actus finitus) oportet, quod habeat esse ut actum participatum ac receptum; unde respectu illius debet se habere tamquam potentia in qua recipitur esse. Igitur essentia invenitur in Deo tamquam esse Dei;

in creaturis vero ut potentia ad esse. In creaturis autem quaedam inveniuntur, in quibus id secundum quod ipsis competit esse, est sui et non alterius: et tales sunt substantiae, quae aptae sunt per se esse, ita ut id quod sunt non sint alterius: quare essentia in eis invenitur ut id secundum quod aliquid habet esse simpliciter. Quaedam autem inveniuntur, in quibus id secundum quod ipsis competit esse, est alterius et non proprie sui; unde etiam esse quod eis competit est *inesse* et non per se esse. Et huiusmodi sunt accidentia, quae apta sunt esse in alio, ita ut quod sunt non sint sui, sed substantiae, sicut ex. gr. quantitas est substantiae quantitas, et qualitas est substantiae qualitas, et sapientia creata est alicuius intelligentis sapientia: quare essentia in eis invenitur, ut id secundum quod aliquid habet esse *secundum quid* et non simpliciter: nam esse sapientem ex. gr. non est esse simpliciter Socratis, sed secundum quid. Alio itaque et alio modo invenitur essentia in substantiis et accidentibus. Sed etiam inter ipsas creatas substantias diversitas adest. Nam substantiae aliae sunt simplices seu intellectivae, aliae vero compositae seu corporeae. Iamvero in substantiis intellectivis simplicibus id secundum quod competit eis esse, est ipsa forma earum; at in substantiis corporalibus non est sola forma, sicut neque est sola materia, sed est solum compositum ex forma et materia. Unde in spiritualibus substantiis essentia invenitur tamquam purus actus; in corporalibus vero tamquam compositum ex potentia et actu. Patet itaque quomodo aliter sit essentia in Deo et in creaturis, in substantiis atque in accidentibus; et in spiritualibus substantiis, quam in corporeis. (Cf. S. Th. opusc. *de Ente et Ess.* per totum).

THESIS III.[a] — **Nullum competere potest essentiis esse ab aeterno quod sit distinctum ab existentia et a Deo.**

221. Probatur. — Inter essentias, una est, quae est *ipsum esse,* reliquae vero non sunt ipsum esse. Essentia, quae est ipsum esse, nullo modo potest distingui secundum rem a sua existentia, seu a proprio esse, sicut de se est manifestum, et haec est Deus. Essentia autem omnis, quae non est ipsum esse, cuiusmodi est omnis essentia creaturarum, non potest esse nisi ab alio, scilicet ab eo quod est ipsum esse. Porro omne quod est ab alio

vel consideratur extra causam, vel consideratur in sua causa. Si consideratur extra causam, iam habet esse existentiae realis: illud enim quo aliquid sistitur extra causam vocatur existentia: Si consideratur in causa, repugnat quod habeat aliud esse ab esse causae: per hoc enim quod aliquid habet esse distinctum ab esse causae, sub influxu causali eius quod est causa, intelligitur iam esse extra causam. Nulla ergo essentia creata potuit antequam haberet esse existentiae realis, habere aliquod aliud esse ab aeterno distinctum realiter ab esse causae. Neque dicendum, quod non potuit habere aliud esse existentiae distinctae ab esse causae increatae, sed potuit habere *esse quoddam essentiae* distinctum ab essentia Dei. Nam etiam loquendo de *hoc esse essentiae,* posito quod non sit ipsum esse, sed aliquid ab alio tamquam a sua causa; si est distinctum a causa, dici debet quod iam existit; nam per realem distinctionem a causa ostenditur quod est extra causam; esse autem extra causam est ipsum existere. Hinc S. Thomas q. 3. *de Pot.* art. 5 ad 2. " hoc ipso quod quidditati esse tribuitur, non solum esse, sed *ipsa quidditas* creari dicitur: quia antequam habeat esse, *nihil est,* nisi forte in intellectu creantis ubi non est creatura sed ipsa creatrix essentia „.

222. Dices 1°. — Repugnat quod ponatur in esse realis existentiae aliquid, quod sit ipsum nihil; aut quod sit ens rationis: secus dicendum foret, quod ipsum nihil potest existere realiter, aut quod id quod non potest esse nisi obiective in intellectu, potest esse etiam extra intellectum; quae absurda sunt. Ergo essentiae, quae aliquando obtinent esse existentiae, numquam potuerunt esse nihil, aut ens solum rationis. Sed id quod numquam fuit nihil, aut ens rationis, dici debet semper fuisse aliquod ens reale, seu habuisse ab aeterno quamdam realem actualitatem. Ergo essentiae habuerunt ab aeterno realem quamdam actualitatem, seu esse essentiae. Porro haec actualitas neque fuit actualitas existentiae, secus habuisset esse existentiae ab aeterno; neque fuit actualitas essentiae divinae; secus dicendum esset quod divina actualitas acquisivit in tempore existentiam creatam. Ergo fuit quaedam actualitas seu esse solius essentiae distincta ab essentia et a Deo.

R. Aliud est producere aliquid cuius prius nihil erat; et

aliud producere ipsum nihilum. Itemque aliud est tribuere realem existentiam ei, quod prius erat solum in intellectu ; et aliud tribuere realem existentiam ei, quod non potest esse, nisi tantum in intellectu, scil. enti rationis. Iamvero essentiae, quae aliquando obtinent esse realis existentiae, certe numquam fuerunt entia rationis, seu huiusmodi, ut eis repugnaret esse nisi in intellectu tantum obiective : sed semper verum fuit de ipsis, quod possent esse extra intellectum, licet nondum essent. Neque unquam fuerunt *nihil producibile,* sed semper fuerunt *aliquid producibile.* Attamen tota actualitas eorum, in quantum erant *aliquid producibile extra intellectum,* non potuit esse distincta ab actualitate causae in cuius intellectu et potestate erant. Nam esse producibile et ponibile extra intellectum non est aliquod esse ipsius rei ponendae seu producendae, sed est perfectio causae intellectae cum quadam comparatione ad rem producibilem per ipsam.

Sic ergo habetur quod essentiae antequam existerent, nullam habuerunt actualitatem ab aeterno, quae esset distincta ab essentia divina, in qua solum dici possunt fuisse tamquam in causa.

Dices 2°. — Essentiae omnes fuerunt ab aeterno cognitae a Deo. Sed hoc quod est esse cognitum a Deo est certe quoddam esse. Ergo essentiae habuerunt ab aeterno quoddam esse, sl. esse cognitum a Deo. — At tale esse non est esse existentiae, ut patet, neque est *esse Dei,* nam tribuitur ipsis essentiis finitis, quia ipsae dicuntur cognitae. Ergo essentiae habuerunt quoddam esse ab aeterno distinctum a Deo et ab existentia.

R. Illud esse cognitum a Deo, quod dicuntur habuisse ab aeterno creaturae, non est aliquid esse actuale rerum, sed est solum quoddam esse obiectivum in intellectu divino. Porro quodlibet esse obiectivum in intellectu divino, non est realiter distinctum ab entitate intellectus et essentiae Dei. Non enim Deus habet aliquid in se ut intellectum, quod secundum esse intellecti in actu sit accidens Deo: sed ipsa essentia divina, in qua cognoscit Deus omnia, identificat sibi rationem omnium intelligibilium a Deo secundum eorum esse intellectorum in

actu ab ipso. Quare illa obiectivitas rerum respectu intellectus divini, quae fuit ab aeterno, nullam actualitatem importat extra Deum; sed dicit ipsam divinam entitatem prouti est sua intellecta in *actu intellectorum* a Deo.

THESIS IV.ª — **Essentiae rerum habent absolutam possibilitatem ab intrinseco, ex habitudine terminorum: habent autem extrinsecam possibilitatem per respectum ad omnipotentiam Dei.**

223. Probatur. — Possibilitas dupliciter dici potest, scil. primo per respectum ad existentiam; illud enim dicitur possibile quod aptum est existere: secundo per respectum ad causam essendi: unde possibile dicitur quod habet a quo fiat. Possibilitas autem quae dicitur per respectum ad causam, praesupponit eam quae dicitur per respectum ad existentiam. Non enim habere potest a quo fiat, id quod existere non potest. Quare possibilitas per respectum ad existentiam vocatur possibilitas *absoluta* ac *primaria;* possibilitas vero per respectum ad causam vocatur possibilitas *relativa* ac *secundaria.* Porro bene esse potest quod aliquid habeat aptitudinem ad hoc quod est *fieri ab aliquo sibi extrinseco;* et ideo habeat possibilitatem secundariam per respectum ad aliquod extrinsecum. Sed repugnat quod aliquid habeat aptitudinem ad hoc quod est *esse aptum subiectum existentiae per aliquod extrinsecum sibi ipsi;* nam oportet, quod ens sit id quod maxime intrinsecum est ei quod est. Et ideo possibilitas per respectum ad existentiam, seu absoluta, non potest respicere aliquid extrinsecum enti, quod sic possibile dicitur, sed debet respicere aliquid eidem intrinsecum. Iamvero quando aliquid nondum est, nihil est accipere *positive* de eo, quod rationem habeat respectus ad existentiam. Sed id quo positive dicit esse aptum subiectum existentiae, dum est, intelligitur fuisse semper illud, quo erat aptum existere, dum non esset, licet haec aptitudo nihil fuerit in ordine actualitatis realis, antequam ens esset. Id autem, quo positive dicit esse aptum subiectum existentiae, invenitur esse convenientia seu aptitudo terminorum quibus constat obiectivus intellectus essentiae. Non quasi essentia creata identificet sibi suam existentiam, sed quia hoc ipso quod a parte rei datur convenientia terminorum, i. e.

aliquid quod habeat rationem entis, habetur proprium subiectum essendi, scilicet id quod aptum est suscipere actum existentiae. Et huius ratio est, quia illud tantum opponitur huic quod est *ens,* seu nequit dicere *ens,* quod est *non ens:* nam *ens* et *non ens* medium non admittunt; *ens* autem nequit non dicere esse. Ut ergo aliquid opponatur huic quod est *ens,* oportet ut involvat *non ens,* et si hoc non involvit, iam de se dicit ens. At non *ens* dici non potest nisi per contradictorios terminos positivos, quorum alter tollat id quod alter ponit: nam entis negatio, non intelligitur nisi ut defectus entitatis; entitas autem non tollitur nisi enti. Ergo illud solum opponitur huic quod est *ens,* quod involvit terminos contradictorios, puta *homo irrationalis;* seu illud in quo non est convenientia terminorum: omne autem in quo accipitur habitudo convenientiae terminorum, non opponitur enti, sed dicit ens. Ergo ipsa convenientia terminorum quibus exurgit intellectus obiectivus essentiae, seu entis, est id quo positive dicit esse id quod est. Et consequenter eadem terminorum habitudo semper fuit id quo essentia antequam realiter existeret, apta fuit existere, seu possibilis fuit absolute per respectum ad existentiam. Patet igitur quod possibilitatem absolutam habent essentiae ab intrinseco, scilicet ex habitudine terminorum. Quod asseruit S. Thomas 1. p. q. 25. a. 3. " Dicitur aliquid possibile vel impossibile absolute *ex habitudine terminorum.* Possibile quidem absolute, quia praedicatum non repugnat subiecto..... Impossibile vero absolute, quia praedicatum repugnat subiecto „. Et posteà. " Hoc repugnat rationi possibilis absoluti..... quod implicat in se esse et non esse simul..... quaecumque igitur contradictionem non implicant, sub (absolute) possibilibus continentur.... Ea vero quae contradictionem implicant..... non possunt habere possibilium rationem „.

Quod vero attinet possibilitatem secundariam seu relativam, manifestum est, omnes essentias, quae sunt possibiles intrinsece seu absolute, illam habere oportere per respectum ad divinam omnipotentiam. Cum enim Deus sit per essentiam *ipsum esse*, causalitatem suam extendere potest ad omnia, quae quoquomodo participare possunt de ratione essendi, seu quae

non involvunt intrinsece repugnantiam ad esse, per contradictionem terminorum. Nam omne quod non est ipsum esse, necesse est quod in suo esse, totaliter pendeat ab alio, quod sit ipsum esse, quod solum est *a se,* vi scilicet formae suae, quae non est aliud quam esse. Id autem quod est ipsum esse in nullo deficit ab absoluta perfectione essendi, et praehabet in se omnem possibilem perfectionem: unde respicere potest, causalitate sua, omne quod possibile est esse secundum aliquem gradum perfectionis. Hinc S. Thomas 1.ª p. q. 25. a. 3. bene ait: " Cum unumquodque agens agat sibi simile, unicuique potentiae activae correspondet possibile, ut obiectum proprium, secundum rationem illius actus, in quo fundatur potentia activa; sicut potentia calefactiva refertur, ut ad proprium obiectum, ad omne calefactibile. Esse autem divinum, super quod ratio divinae potentiae fundatur, est esse infinitum, non limitatum ad aliquod genus entis, sed praehabens in se totius esse perfectionem. Unde quidquid habet, vel potest habere rationem entis, continetur sub possibilibus absolutis (omnibus scil. quae contradictionem non implicant), respectu quorum Deus dicitur omnipotens „.

224. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Ab illo habent res absolutam possibilitatem, quo sublato, tollitur ab eis omnis possibilitas ad essendum. Atqui, sublata potentia activa Dei, nulla manet in rebus possibilitas ad essendum. Ergo essentiae rerum habent absolutam possibilitatem a divina potentia.

Resp. *D.M.:* quo sublato, tollitur possibilitas intrinseca *C.M.* possibilitas extrinseca *N.M.* — *Cdm.* (loquendo de potentia *formaliter* ut potentia). — *N.C.* — Sublata scilicet activa potentia Dei, nulla maneret in essentiis creaturarum possibilitas respectiva seu extrinseca; quia scilicet non possent habere sufficientem causam, a qua possent fieri; cum hoc quod est esse sit proprius effectus Dei, et nulla alia causa potens sit agere sine causa prima, quae est ipse Deus. At adhuc intelligeretur in ipsis possibilitas absoluta seu intrinseca, quae non dicitur secundum aliquam activam potentiam, aut aliquam causam, sed ex sola habitudine terminorum, qui sibi non repugnant.

Ob. 2ª. Ens ab alio non potest esse ex se. Atqui quod

habet absolutam possibilitatem ab intrinseco, potest esse ex se. Ergo quod habet ab intrinseco absolutam possibilitatem non potest esse ens ab alio.

Resp. *D.M.:* nequit esse a se sive formaliter (quasi sit ipsum esse), sive efficienter *C.M.;* non habet ex se ut sit absolute possibile, seu quod non involvat repugnantiam ad esse, *N.M.* — *Cdm.* — *N.C.* Quare licet ens creatum non dicat essentialiter *esse,* dicit tamen essentialiter *posse esse.* Et haec est diversitas quae invenitur inter essentiam divinam et essentiam creaturae, quod essentia Dei est *ipsum esse,* essentia vero creata est tantum *potentia ad esse.*

Ob. 3ª Omnis perfectio est a Deo. Sed possibilitas rerum est quaedam perfectio. Ergo oportet quod sit a Deo, et non ab intrinseco essentiae creatae.

Resp. *D.M.* Omnis perfectio existens *C.M.* possibilis *Sbd* in Deo habet ultimam rationem sui *C.M.* pendet a Deo tanquam a causa *N.M.* — *Cdm.* — *D.C.* in Deo habet ultimam rationem *C.C.* proprie causam *N.C.* — Omnis perfectio existens certe oportet quod sit a Deo tamquam a causa effectiva: sed perfectio possibilis, seu possibilitas intrinseca rerum, non est a Deo tamquam a causa, cum non sit aliquid positum extra causas: sed solum dici potest esse a Deo hoc sensu, quod possibilitas rerum ita connexa est cum essentia divina, ut, si per absurdum poneretur Deus non esse, tolleretur omnis possibilitas essentiarum. Nam haec consistit in *non repugnantia ad esse.* At, sublato eo quod est esse, omnis ordo seu proportionalitas ad esse cessare intelligitur, quocumque modo sit conceptibilis talis ordo, scil. etiam ad esse, quod sit solum per quamdam analogiam ad illud quod est ipsum esse. Quare possibilitas rerum intrinseca, seu convenientia ipsa terminorum, dici potest, pendere a Deo tamquam a principio verificante omnem proportionalitatem seu ordinem ad esse, non autem tamquam a causa.

Ob. 4ª Quidquid Deus vult esse, possibile est esse: et quidquid Deus non vult esse, non est possibile esse. Ergo absoluta rerum possibilitas pendet a divina voluntate.

Resp. D. 1. p. A. Quidquid Deus vult esse, possibile est possibilitate estrinseca *C.A.* possibilitate intrinseca *Sbd* non ta-

men formaliter *quia* Deus vult ea esse *C.A.* formaliter quia Deus vult esse *N.A.* — *D. 2. p. A.* Quod Deus non vult, non est possibile possibilitate intrinseca. *N.A.* possibilitate extrinseca *Sbd.* quae reducenda sit in actum *C.M.* simpliciter sumpta *N.A.* — *N.C.* — Quidquid Deus vult esse, dici debet certe *possibile esse:* quia Deus non potest velle, nisi quae sunt intrinsece possibilia: et quidquid Deus esse non vult, dici debet non possibile esse, quantum ad possibilitatem extrinsecam reductam in actu: quia si Deus non vult aliquid esse, non potest esse quod sit de facto causatum a Deo, cum Deus agat per voluntatem. Sed falsum est, quod quidquid Deus esse non vult, sit intrinsece impossibile, aut etiam impossibile quantum ad possibilitatem extrinsecam simpliciter sumptam. Et item falsum est, quod quidquid Deus vult, sit possibile esse, formaliter propter hoc, quod Deus vult. Actus enim divinae voluntatis praesupponit scientiam divinam de eo quod est voluntatis obiectum. Et ideo nequit voluntas velle aliquid ut possibile, nisi hoc cognoscatur ab intellectu tamquam possibile. Si autem aliquid est in intellectu divino ut possibile pro priori ad divinam voluntatem, non potest habere ut sit possibile ab actu divinae voluntatis formaliter. Ergo falsum est quod quidquid Deus vult, sit possibile esse formaliter propter hoc quod Deus vult. Et similiter ostendi potest falsum, quod sit impossibile intrinsece quidquid Deus non vult esse. Si enim hoc esset, dicendum foret, vel quod Deus vult esse omnia quae sunt possibilia; vel quod ideo aliquid non est possibile, quia Deus non vult illud esse. At primum repugnat: nam inter possibilia plura sunt quae non possunt esse simul, licet possint esse disiunctim ex. gr. *Socratem nunc sedere,* et *Socratem nunc ambulare.* Alterum autem falso diceretur; nam si in tantum esset aliquid impossibile quia illud Deus nollet, id quod est possibile esset tale formaliter per hoc quod Deus illud vult: sed hoc iam refutatum est praecedenter, ex eo quod actus voluntatis divinae praesupponit actum scientiae circa eius obiectum. Ergo falsum est quod sit impossibile intrinsece quidquid Deus non vult esse. Tandem dici non debet esse impossibile, quantum ad possibilitatem extrinsecam simpliciter sumptam, quidquid Deus non vult esse.

Si enim potest esse intrinsece possibile, quamvis Deus nolit illud esse, sicut ostensum est; potest etiam esse obiectum divinae omnipotentiae, (quae se extendit ad omnia intrinsece possibilia); licet non possit esse quantum ad extrinsecam possibilitatem reductam ad actum. Excluditur ergo quod possibilitas absoluta rerum pendeat a divina voluntate.

225. Nota. Quod attribuitur potentiae divinae secundum se consideratae, dicitur Deum posse secundum *potentiam absolutam:* et huiusmodi est omne illud in quo salvari potest ratio entis: quod autem attribuitur potentiae divinae secundum quod exsequitur imperium voluntatis iustae, hoc dicitur Deus posse facere *de potentia ordinaria.* Ubi vide quam falso et insipienter statuatur a quibusdam, potentiam Dei absolutam respicere posse absurda vel peccata. (Cf. S. Th. 1. q. 25. a. 5. ad 1^{m}).

THESIS V.^{a} — Essentiales rationes creaturarum fundamentaliter pendent a divina essentia secundum quod in seipsa est: formaliter vero a divina essentia secundum quod est intellecta ab intellectu divino ut imitabilis ad extra.

226. Probatur. — Quotiescumque datur aliqua forma subsistens secundum plenitudinem propriae suae rationis, impossibile est quod repugnet aliquid ex illis, quae sunt aliquo modo intelligibilia sub illa ratione. In tali siquidem ratione iam perfectissime continetur quidquid potest intelligi esse quomodocumque in eo ordine, in quo ipsa dicitur subsistens forma. Impossibile est autem, quod repugnantiam involvat in seipso, id quod perfectissime debet esse in aliqua forma subsistenti. Unde, posito quod existat aliqua natura, quae sit *ipsum esse* subsistens, dici debet impossibile, quod repugnet aliquid ex illis, quae quomodocumque concipi possunt habere actum in ordine essendi, seu quae aliqua ratione spectare possunt hoc quod est esse. Et ideo hoc ipso quod ponitur exstare ipsum Esse subsistens, poni debet possibilitas intrinseca, seu non repugnantia cuiuslibet, quod venire potest sub ratione entis, scilicet alicuius cui competit esse. Quare possibilitas entis creati apparet necessario connexa cum actualitate entis increati, quod est ipsum subsistens Esse. Porro omnia, quae possibilia sunt esse, in tantum

sunt talia, in quantum aliquo modo imitantur illud quod est ipsum Esse. Per hoc enim intelliguntur rationes diversae, quae spectent ordinem, in quo datur forma subsistens, quod illa forma diversimode sit imitabilis a pluribus: sicut ex. gr. si daretur *albedo* subsistens, eatenus intelligerentur plura spectantia ipsum ordinem albedinis, quatenus haec illam imitarentur, quin tamen esse possint plures subsistentes albedines. Illud autem quod alia imitantur, seu ad cuius similitudinem alia possunt esse, spectatum in seipso, bene vocari potest, id a quo haec plura fundamentaliter pendent. Omne siquidem, quod est ad imitationem alterius, praesupponit illud, ad cuius imitationem fit, tamquam fundamentalem rationem propriae specificae quidditatis. Quare dicere oportet, quod diversae essentiales rationes omnium possibilium creaturarum, utpote diversae imitationes eius quod est ipsum Esse, scilicet essentiae divinae, fundamentaliter pendent ab ipsa essentia divina spectata in seipsa, seu in quantum est Esse subsistens.

At divina essentia, si solum attenditur secundum seipsam, nequit esse id, a quo rationes rerum essentiales pendent etiam formaliter. Neque enim in essentia divina, secundum se considerata, inveniuntur actu et formaliter diversae rerum rationes, puta essentia hominis, et leonis, et equi: neque aliqua creata essentia esse potest, quae formaliter repraesentet ipsam essentiam divinam sicuti in se est, per speciem propriam. Sed bene invenitur, quod rerum essentiae formaliter pendent a divina essentia, si haec sumitur prouti est intellecta in ipso divino intellectu. Haec namque cum debeat perfectissime cognosci ab intellectu divino, qui cum ea realiter identificatur, oportet quod ab eo cognoscatur secundum omnem modum, quo cognoscibilis est. Potest autem divina essentia cognosci, non solum secundum quod in se est, sed etiam secundum quod est participabilis secundum aliquem modum similitudinis a creaturis. Unaquaeque autem creatura habet propriam speciem, seu constituitur formaliter in sua propria essentiali ratione, secundum quod aliquo modo participat divinae essentiae similitudinem. Unde intellectus divinus cognoscendo suam essentiam ut diversimode imitabilem a creaturis, cognoscit eam ut propriam rationem diversarum

creaturarum. Et consequenter essentia ipsa divina, quatenus sumitur ut intellecta a Deo sicut imitabilis ad extra per creaturas, dici debet ratio, a qua formaliter pendent omnes rationes essentiales diversarum creaturarum. (Cfr. S. Th. 1. p. q. 15. a. 2. et q. 14. a. 5 et 6).

227. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Essentia cuiusque rei optime intelligi potest, quin Deus intelligatur. Sed si ipsae rationes essentiales penderent a Deo, nulla essentia creaturae posset intelligi, Deo non intellecto. Ergo.

Resp. *C.M.* — *N.m.* — Id quod pendet ab alio secundum propriam entitatem non semper necesse est quod pendeat in sua cognitione a cognitione illius, cum potius saepe ex cognitione alicuius veniamus in cognitionem eius, a quo hoc pendet secundum entitatem, quemadmodum ex cognitione creaturarum venimus in cognitionem essentiae Dei. Et ratio est, quia saepe ea quae entitatem habent cum dependentia ab alio, in se possident rationem propriam distinctam secundum se a ratione alterius, neque in proprio conceptu involvunt ordinem seu habitudinem ac relationem ad illud aliud. Unde secundum talem rationem habere possunt distinctam ac propriam conceptibilitatem independenter a conceptu alterius. Licet autem rationes essentiales rerum pendeant a Deo, sicut explicatum est, sunt tamen rationes distinctae a ratione ipsa divinae essentiae, neque in proprio conceptu involvunt ordinem ad illam. Quare bene possunt ipsae a nobis intelligi, non intellecta essentia divina, a qua pendent.

Ob. 2ª. Homo numquam potuit non esse *animal rationale,* et posito etiam quod Deus non existeret, non aliter determinaretur in sua ratione essentiali quam per *animal rationale.* Ergo ratio essentialis hominis est independens a Deo; et sic de aliis.

Resp. *C. 1 p. A — N. 2 p. A — Homo* determinatur in sua ratione essentiali per *animal rationale,* quia hic est certus modus imitabilitatis essentiae divinae. Et quia numquam talis imitabilitas fuit, aut poterit esse separabilis a necessitate naturae divinae, ideo repugnat quod *homo* potuerit, aut possit habere unquam aliam determinationem essentialem, quam per *animal*

rationale. Si quis autem hypothesim statueret non existentiae Dei (licet absurdam); in tantum posset adhuc concipere, essentiam hominis determinari per animal rationale, in quantum intelligeret hunc esse modum quemdam habendi esse. At si bene attenditur, dicere oportet, quod sublato eo, quod est *Esse:* redditur impossibilis omnis ordo ad esse: omnis autem modus habendi esse importat ordinem ad esse, tamquam ad aliquid participabile sub aliqua analoga ratione. Unde si Deus, quod est ipsum *Esse,* non existeret, nihil inveniri posset, quod esset aptum participare analogice de esse. Et ideo neque determinatio *hominis* per *animal rationale,* neque alia determinatio essentialis cuiusvis rei stare posset.

QUAESTIO TERTIA.

De essentia per comparationem ad esse seu existentiam.

THESIS I.ª — In ente increato idem est essentia quod esse.

228. Probatur. — I° Ens increatum, quod scilicet non est ab alio, sed est a se, non aliud potest esse quam ipsum esse. Si enim est *ens a se,* aut dici debet esse a se *formaliter,* aut esse a se *effective.* Sed nihil potest esse a se, effective, scilicet ita, ut sit causa et effectus sui ipsius secundum totum: cum hoc manifeste repugnet. Ergo ens a se oportet quod dicatur esse a se formaliter. Sed id quod est a se formaliter, seu quod est vi formae suae tantum, non aliud invenitur, quam ipsum esse. Non enim alia forma dicit formaliter esse, quam haec sola forma, quae est esse. Ens itaque increatum oportet, quod sit ipsum esse. At si essentia entis increati non est omnino idem quod esse, ens increatum non potest dici quod sit ipsum esse. Forma enim entis, quod est a se, intelligitur ipsa eius essentia. Unde si talis entis essentia non est esse, illud non est ens a se, seu existens vi solius formae suae. Dicendum ergo quod in ente increato idem est essentia quod esse.

II° Praeterea si *esse* invenitur in aliquo ente, ut aliud ab essentia illius, comparari debet ad essentiam, tamquam actus ad propriam potentiam: quia per *esse* intelligitur actualitas essentiae, seu formae ac naturae. Quare si in ente increato est aliud esse ab essentia, invenitur in eo aliquid potentiale, scilicet ipsa essentia. Et sic ens increatum non esset actus purus, sed admixtam haberet potentiam. Atqui ens increatum non potest esse nisi purus actus: quod enim est compositum quomodocumque ex actu et potentia, causam habet: nam quae secundum se sunt diversa, non conveniunt in aliquod unum, nisi per aliquam causam adunantem ipsa: quod enim determinatur ad unitatem ab intrinseco, et non a principio extrinseco, ipsum necessario est unum, et non ex diversis. Ergo in ente increato, quod est purum, actus essentiae non est aliud ab esse, sed omnino idem quod illud, ita ut esse divinum non sit *esse alicuius,* sed *subsistens,* et essentia divina non sit *habens esse,* sed hoc ipsum quod est *esse.* (Cf. S. Th. 1. p. q. 3. a. 4).

229. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Si essentia divina non est aliud ab esse Dei, esse divinum dici debet esse sine additione. Sed esse cui nihil additur est esse commune, quod praedicatur de omnibus. Ergo Deus esset esse commune — quod est absurdum.

Resp. *D.M.* per exclusionem positivam ulterioris actualitatis *C.M.:* per exclusionem negativam *N.M.* — *Cdm.* — *N.C.* Esse divinum est esse sine additione, per *exclusionem positivam* cuiuscumque ulterioris actualitatis, ita scilicet ut *ei repugnet* quaelibet additio. Sed esse commune est esse sine additione per *exclusionem negativam* additionis; quia scil. *non exigit* aliquam additionem, licet neque illam respuat, sed *indifferenter* se habeat ad utrumque, propter ipsam suam indeterminationem. Unde Deus est sine additione propter maximam suam determinationem et actualitatem: ens vero commune est sine additione propter maximam suam indeterminationem et potentialitatem. Audiatur S. Th. 1ª p. q. 3. a. 4. ad 1m. "Dicendum quod aliquid cui non fit additio potest intelligi dupliciter. Uno modo, ut *de ratione eius sit quod non fiat ei additio:* sicut de ratione animalis irrationalis est ut sit sine ratione. Alio modo intelli-

gitur aliquid cui non fit additio quia *non est de ratione eius quod sibi fiat additio:* sicut animal commune est sine ratione, quia non est de ratione animalis communis, ut habeat rationem; sed nec de ratione eius est ut careat ratione. Primo igitur modo esse sine additione est esse divinum; secundo modo esse sine additione est esse commune „.

Ob. 2ª. Cognoscimus *quod Deus sit,* seu existentiam Dei, et non cognoscimus *quid Deus sit,* seu essentiam Dei. Atqui hoc esset impossibile si essentia Dei identificaretur cum esse. Ergo.

Resp. *D.M.* Cognoscimus Deum *esse,* in quantum esse significat compositionem propositionis *C.M.* ipsum actum essendi *N.M.* — *Cdm.* — *N.C.* " Esse, ait S. Th. loc. cit. ad 2m, dupliciter dicitur: uno modo significat *actum essendi:* alio modo significat *compositionem propositionis* quam anima adinvenit coniungens praedicatum subiecto. Primo igitur modo accipiendo esse, non possumus scire esse Dei, nec eius essentiam; sed solum secundo modo. Scimus enim quod haec propositio, quam formamus de Deo cum dicimus, *Deus est,* vera est; et hoc scimus ex eius effectibus „.

THESIS II.ª — **Omnino tenendum est quod in omnibus rebus creatis, essentia realiter distinguitur ab existentia.**

230. Monitum generale. — Cum doctrina ista de distinctione reali inter essentiam et esse, non sit nisi corollarium principiorum S. Thomae *de actu et potentia,* omnino necesse est, ut antequam quis ad praesentem quaestionem accedat, ea quae diximus in tractatu de actu et potentia, iterum iterumque consideret: desperamus enim, sine tali iterata meditatione, aliquid veri in hac re, cuique probare nos posse.

231. Praenotanda. — Iº Ut diximus in tractatu de actu et potentia, hoc nomine quod est *esse* vel *existentia* intelligitur actualitas illa, qua aliquid datur de facto in seipso in ordine rerum; seu rei actualitas, quae est ipsum dari de facto aliquid in seipso in ordine rerum. Si enim aliquid concipitur solum ut possibile esse, vel ut praecontentum aliquo modo in suis causis, et non in seipso, et extra causas positum, non intelligitur esse existens, nec habere suam propriam actualitatem, sed solum

esse per actualitatem alterius nempe suae causae. Et quo magis causa disponitur ad productionem effectus, intelligitur quodammodo effectus magis ac magis appropinquare ad esse, sed semper per actualitatem non propriam, sed causae. Quando vero effectus in seipso sistitur ex causa, tunc vero intelligitur esse per propriam actualitatem, ita ut nequeat ulterius intelligi magis esse in seipso. Unde actualitas, qua effectus in seipso sistitur extra causas, sicut dicitur rei *propria,* ita etiam dicitur rei actualitas *ultima.*

IIº Quaestio autem fit utrum haec actualitas, quae est *ipsum dari de facto rem in ordine rerum,* sit ipsa essentia rei.

Et quidem de Deo, iam vidimus supra, existentiam, seu esse, idem prorsus esse ac eius essentiam; ut nempe divina essentia dici potius debeat *ipsa actualitas,* quam *res actualis,* ipsum *esse,* quam *res existens.*

De creaturis vero duplex est celebris sententia.

Prima tenet existentiam distingui ab essentia independenter ab intellectu: et haec est Aristotelis, S. Thomae, Alberti M., Aegidii Rom., Capreoli, Caietani, Ferrariensis, Soncinatis, Iavellii, Soti, et, ut ait Suarez (*Disp. Met.* 31. lect. 1.ª n. 3.), fere omnium antiquorum Thomistarum: quibus, praeter Bannez, Alvarez, Nazarium, Zumel, Aravium, Ioannem a S. Thoma, aliosque plures, adnumerari debent Fonseca, in 4. Met. c. 2. q. 4; Molina, in 1am p. q. 3. a. 4.; Pallavicinus, assert. theol. l. 8. c. 3.; Albertinus, t. 2. coroll. disp. 2. q. 1.; Palumbus, Exam. sch. in q. 3. 1ae p.; Gillius, l. 2. tr. 4. c. 6. n. 2.; Maurus Sylvester, q. 9. phil. l. 2. q. 6.; Alamanni continuator, in Summa phil. p. 4. q. 23. a. 3., et inter modernos Liberatore, Cornoldi, De-San, De-Maria, Schiffini, Zigliara, Sanseverino, Remer, De-Mandato etc.

Ex his plerique hanc distinctionem vocant *simpliciter realem;* aliqui vero *realem modulem* (ut Soto, Molina). Sed conveniunt in hoc quod existentia est actus qui, independenter ab intellectu, differt ab essentia. Quod nobis, cum S. Thoma, sufficit ad veram distinctionem realem.

Secunda sententia tenet existentiam distingui ab essentia *formaliter ex natura rei* independenter ab intellectu: et haec est Scoti, et tribuitur etiam S. Bonaventurae.

Tertia sententia tenet existentiam ab essentia distingui tantum ratione; ita Alexander Halensis, Aureolus, Durandus, Gabriel cum Nominalibus, Suarez, Valentia, Vasquez et alii plures.

Quod attinet secundam sententiam, sufficiat hic advertere, dari non posse distinctionem, quae vere sit media inter realem et rationis, ut alibi ostensum est. Ideoque de hac sententia, qua parte ponit distinctionem existentiae ab essentia in creaturis esse independentem ab operatione intellectus, idem iudicium ferri debet, quod de prima: qua parte vero dicit, eam distinctionem non esse realem, iudicium erit idem quod de tertia sententia.

Statuimus ergo tanquam unice veram sententiam, quae tenet distinctionem realem, ut sequentibus argumentis probabitur.

232. Probatur. — **Arg. 1.**m Manifestum est enim quod omnia creata ad ordinem essendi pertinere debent [91]; quod ad ordinem essendi, ut *purus actus,* non nisi unum pertinere potest, quod est ipsum Esse subsistens [104]. Inde statim sequitur quod cetera *omnia* pertinere debeant ad ordinem essendi ut composita ex actu et potentia in hoc eodem ordine [nn. 78, 106, 108]. Sed actus et potentia in ordine reali realiter distinguuntur [68, 69]. Ergo essentia et existentia, utpote actus et potentia in ordine reali, realiter distinguuntur.

Declaratur Maior. Nota, quod ordo essendi non est specialis, seu particularis aliquis ordo, sed sub eo veniunt absolute omnia. Nam ens significat " id quod habet esse „ " id cuius actus est esse „ " id cui competit esse „ ; id vero quod habet aliquid, id cuius actus est, subiectum est, subiectum autem potentia, unde *ens,* attento modo significandi, nihil aliud exhibet quam id quod est potentia ad actum essendi in quantum huiusmodi, seu id quod pertinet ad ordinem essendi, ut habens esse. Unde hoc nomen *ens, quantum ad modum significandi,* non proprie de Deo dicitur, sicut nec aliud aliquod nomen a nobis impositum: competit vero omnibus creaturis, etiam quantum ad modum significandi, quippe omnes ad esse se habent ut potentia ad actum, sine quo non sunt; et ordo essendi est simplex ordo actualitatis [94, 95]. Neque per nomen ens signi-

ficatur natura vel quidditas aliqua ut talis, vel talis est, sed solum ut est potentia ad esse, quod exhibetur nomine essentiae, quod nomen ab essendo dicitur. Unde ordo entis est ordo essendi. Haec prae oculis habeas ut intelligas S. Thomam cum transit, sicut saepe facit, v. g. C. G. c. 25 in fine, a nomine " ens „ ad hoc quod est " esse „ et cum dicit quod ens significat esse etc. [1]).

233. Arg. 2.[m] Ens cuius realis essentia est sua existentia, idest ipsum suum dari de facto in ordine rerum, est ens per se necessarium, quod nunquam potuit, nec unquam posset non esse. Si enim non esset ens per se necessarium, sed haberet causam sui esse, iam essentia eius cogitari posset in statu possibilitatis sine esse. Sed tunc non esset una et eadem ratio essentiae in utroque stato realitatis et possibilitatis: siquidem nulla ex notis, quae sunt alicui essentiales in statu realitatis, deesse debet essentiae eius, in statu possibilitatis consideratae. Quare haec disiunctiva est omnino vera: ens de cuius essentia sit esse, aut est pura chimaera (quae non potest esse nisi in apprehensione intellectus, quaeque proinde non pertinet ad ordinem entis realis, neque ut actuale, neque ut possibile); aut non potest non esse.

Unde, ut dicitur ubi agitur de demonstratione existentiae Dei, si quis supponeret nobis constare independenter a ratiocinio a posteriori, notionem entis, de cuius essentia sit esse, seu entis perfectissimi, non esse chimaericam; recte deinde concluderet: ergo illud ens est, seu existit. Ideoque ad solutionem argumenti divinae existentiae, quod ducitur ex ipsa notione entis per essentiam, necesse est negare praesuppositum, quod nempe possit probari a priori, et non solum a posteriori, notionem entis perfectissimi, de cuius proinde essentia sit esse, non esse chimaericam.

---

[1]) Verum est quod P. Piccirelli (*Disquisitio met.* etc. p. 82) dicit quod nos supponimus quod debemus probare: quod nempe essentia et esse se habeant ut potentia et actus in ordine *reali*, et lepide de hoc coarguit cl.[m] P.[m] Liberatore: sed quo iure hoc faciat, patet ex his quae diximus *de actu et potentia*, et ulterius apparebit ex his quae dicemus in probatione theseos. — Hoc autem primum argumentum amplius evolvitur [n. 266].

Itaque ens, de cuius essentia sit existentia, est ens per se necessarium, quod non potest non existere. Atqui quod non potest non existere, seu quod est per se necessarium, nequit esse creatum, seu factum ab alio. Ergo nullius entis creati existentia est idem quod essentia eius. Hinc breviter et sagacissime Sanctus Thomas (1. p. q. 7. a. 2. ad 1.): " Dicendum quod hoc est contra rationem *facti,* quod essentia rei sit ipsum esse eius: quia esse subsistens non est esse creatum „.

234. Arg. 3.[m] Si rei individuae existentia, exercita in ordine rerum, esset realiter idem ac eius individua essentia realis, haberetur quod, non intellecta existentia, non solum non posset intelligi illa individua essentia, ut in statu realitatis extra causam, sed neque ut simplex ratio intelligibilis. Nam in ipsa simplici ratione intelligibili alicuius naturae individuae necesse est ut includantur tamquam cointellecta ea omnia, quae in ipsa individua essentia reali includuntur, vel cum ipsa identificantur realiter. Si enim natura in statu intentionali, aut potentiae obiectivae non includeret intentionaliter et obiective omnia, quae realiter includuntur in natura in statu realitatis et actualitatis in ordine rerum, iam non esset una eademque natura, quae acciperetur in illo duplici statu. Atqui in simplici ratione intelligibili cuiusvis individuae essentiae, nullatenus includitur, ne solum quidem ut cointellecta signate realis existentia rei in ordine rerum. Nam potest intelligi natura individua *huius hominis,* quin aliquid cointelligatur, ne signate quidem de existentia eius extra suas causas. Existentia siquidem, neque est de ratione specifica hominis, neque est intrinseca determinatio individualis, qua natura specifica determinatur in singulari. Imo hoc ipso, quod nihil de esse eius intentionaliter includitur in ipsius notione, ea intelligitur ut de se indifferens ad essendum vel non essendum in ordine rerum, et ut necessario indigens causa efficiente ad essendum. Et ita v. g. intelligi potest Petrus, nihil omnino intelligendo de existentia ipsius. Ergo existentia rei creatae non potest esse idem realiter ac eius individua essentia.

235. Arg. 4.[m] Si existentia singularis esset realiter idem ac

individua essentia eorum quae existunt, notio quoque existentiae in communi deberet includi in ratione specifica talis essentiae: puta si haec existentia, quae est Socratis identificatur cum individua natura Socratis, et haec existentia quae est Alexandri cum individua natura Alexandri, et sic de ceteris, existentia communiter accepta deberet includi in ratione specifica *hominis*.

Sicut enim praecisa singularitate naturae, remanet natura specifica; ita praecisa singularitate existentiae, remanet existentia specifica. Atqui in nulla ratione specifica naturae creatae includitur existentia communiter accepta. Nam potest intelligi quidditas leonis, et hominis, et angeli, et ceterorum, quin in ea intelligatur signate realis eius existentia. Ergo nullius singularis rei existentis existentia est idem ac essentia.

Hinc S. Thomas (*de Ente* et *Essentia* c. 5). "Nulla Essentia sine his, quae sunt partes essentiae, intelligi potest. Omnis autem essentia vel quidditas intelligi potest sine hoc, quod aliquid intelligatur de esse suo facto; possum enim intelligere quid est homo vel phoenix, et tamen ignorare an esse habeat in rerum natura. Ergo patet quod *esse est aliud ab essentia* vel quidditate, nisi forte sit aliqua res cuius quidditas sit suum esse, et haec res non potest esse nisi una et prima „[1]).

---

[1]) **Dicit** Urràburu (*Ont.* d. 4. c, 1) quod ex hoc argumento sequeretur quoque quod individuatio realiter distinguitur a natura specifica.

Resp. hoc omnino falsum esse: nam patet quod haecceitas est id quo natura specifica iam completa specifice, fit haec: unde patet quod debet esse extra notionem completam ipsius essentiae, quamvis a parte rei non sit realiter distincta ab ipsa: tota enim ratio haecceitatis in hoc absolvitur, quod est facere *hoc:* unde debet esse extra rationem rei universalem. At contra: si existentia identificatur cum essentia, non apparet cur debeat esse extra rationem essentiae specificae universaliter consideratam: id enim quod facit abstractio intellectus, nihil aliud est nisi relinquere vel separare id quod est singulare et determinatum in ipsa essentia: quidquid vero non est huiusmodi, profecto si est de essentia huius singularis et illius, debet inveniri in ipsa ratione essentiali specifica ut sic. Porro numquam *esse* est de ratione alicuius essentiae specificae; et nulla prorsus assignatur ratio ab adversariis cur non sit, licet, secundum ipsos, sit identificatum cum essentia: dicere autem quod ab ipso praescinditur in abstra-

236. Arg. 5.[m] Esse cuiuscumque creaturae est actualitas quaedam finita, ut patet. Atqui in tantum potest esse actualitas finita in quantum est actualitas alicuius subiecti; si vero ipsum esset res subsistens, deberet esse actualitas infinita, scilicet non esset hoc tale vel tale esse, sed esset absolute ipsum esse illimitatum in perfetione essendi. Nam in quolibet genere perfectionis, perfectio, quae non sit mera determinatio alicuius subiecti, sed ipsa, ut talis, sit subsistens, necesse est ut sit perfectio simpliciter illius generis; quae scilicet comprehendat totam rationem perfectionis eiusdem generis. Perfectio siquidem subsistens est in suo genere pura perfectio sine admixtione imperfectionis in eodem genere; sed quod est pura perfectio in aliquo genere non constringitur ad gradum aliquem determinatum et finitum intra illud genus; quia omnis gradus finitus habet admixtionem imperfectionis in suo genere. Ergo perfectio subsistens in aliquo genere non est finita ad aliquem gradum, sed habet totam rationem perfectionis illius generis, seu est infinita in genere suo. Sic *Sapientia* subsistens haberet totam perfectionem, quae est de

---

ctione specifica quia pertinet tantum ad haecceitatem quasi constitutivum ipsius, est dicere aliquid nimis manifeste falsum. — Unde patet quod hoc argumentum S. Thomae, quod prima fronte apparere potest debilius, et quod consequenter impugnatur ab adversariis magno cum apparatu rethorico, hoc unum postulat: ut bene, ut par est, intelligatur.

Sed instat Urràburu: "Quod dici solet respectu individuationis et essentiae specificae quod nempe individuatio sit extra essentiam hominis et ideo non ponitur in eius definitione, et *nihilominus poneretur in definitione Socratis* si *Socrates definitionem haberet*... idipsum dicitur a negantibus realem distinctionem essentiae ab existentia, sc. essentiam licet *abstracte sumptam* praescindere posse ab existentia, quia non existit ex vi suae naturae sed per alterius efficientiam, sumptam tamen prout est in statu physico et reali, in suis constitutivis essentialibus continere existentiae actum „.

Resp. ista verba includere manifeste falsitatem praedictam: haberi nempe posse tamquam constitutivum essentiae singularis aliquid (praeter haecceitatem) quod non est de ratione essentiae specificae. Ratio autem quae additur est evidenter nulla: nam *non existere vi essentiae suae* vel competit essentiae creatae ut sic, et tunc debet verificari in quocumque invenitur essentia et ideo etiam in singulari, vel non competit essentiae ut sic, et tunc nec competit essentiae abstracte sumptae.

genere sapientiae, et non esset haec vel illa limitata sapientia; et si dari posset *Albedo* subsistens, haberet totam perfectionem, quae est de genere albedinis, et non esset haec vel illa limitata albedo [1]).

Hinc perfectio, quae sit finita intra aliquod genus, non est perfectio subsistens illius generis. Si autem non est perfectio subsistens, oportet ut sit perfectio alicuius subiecti, ad quod determinetur et finiatur. Et sic sapientia haec, vel illa, finita in genere sapientiae, erit actualitas huius, vel illius subiecti, et non ipsa erit res subsistens; item albedo haec, vel illa, finita in genere albedinis, erit qualitas huius, vel illius subiecti, et non ipsa erit subsistens. Et hoc est quod dicitur actum non limitari nisi per potentiam subiectivam in qua recipiatur.

Eadem igitur ratione, si esse non esset actualitas huius vel illius subiecti, sed ipsum esset res subsistens, deberet esse actualitas infinita in genere seu ordine essendi, et non solum tale vel tale esse limitatum. Et si est tale vel tale esse limitatum, non potest esse ipsum quid subsistens; sed debet esse mera actualitas alicuius subiecti, in quo sit receptum et contractum ut sit tale vel tale esse. Cum igitur esse cuiuscumque creaturae sit finitum, non est subsistens, sed est insubsistens actualitas cuiusdam subiecti in quo recipitur et contrahitur ut sit tale vel tale esse.

Porro subiectum, in quo recipitur et contrahitur actus essendi, est id quod intelligimus nomine essentiae; haec namque est quae per esse actuatur in ordine rerum extra causas, et cuius proinde dicitur esse actus existentia. Ergo esse creaturae se habet ad essentiam sicut actus ad suum subiectum seu ad suam potentiam receptivam.

---

[1]) Contra hoc argumentum arguit P. Piccirelli (*op. cit.* p. 52) dicens quod cuicumque *essentiae* et cuicumque *esse* non repugnat limitatio (hoc ipso quod videmus ipsa esse limitata in creaturis): unde non sequitur quod essentia quae identificetur cum esse sit actus illimitatus, quia si nec essentiae nec *τῷ* esse repugnat limitatio, profecto nec repugnare debet essentiae vel *τῷ* esse *ut sic*, seu essentiae identificatae cum esse. — Hoc elementare sophisma refutatum est in tractatu *de actu et potentia*, ubi ostendimus, quod actus irreceptus et actus receptus convenire univoce non possunt: dicere ergo quod actui irrecepto repugnare non debet limitatio, hoc ipso quod non repugnat actui recepto, est peccare contra prima principia metaphysicae et logicae.

Atqui id, quod in aliquo ordine reali, cuiusmodi certe est ordo essendi, comparatur ad aliud sicut actus ad potentiam, oportet ut realiter sit distinctum ab ipso: siquidem actus et potentia in uno eodemque ordine se excludunt invicem, et quidem realiter, si ordo est realis; per rationem vero, si ordo est rationis. Ergo in creaturis, esse, sive existentia, realiter distinguitur ab essentia sicut realis actus a sua reali potentia subiectiva.

Hinc S. Thomas *Quodl.* 3. q. 8. a. 20.: „ Omnis... substantia creata est composita ex potentia et actu. Manifestum est enim quod solus Deus est suum esse quasi essentialiter existens, in quantum scilicet suum esse est eius substantia: quod de nullo alio dici potest: esse enim subsistens non potest esse nisi unum, sicut nec albedo subsistens non potest esse nisi unum. Oportet ergo quod quaelibet alia res sit ens participative; ita quod *aliud* sit in eo substantia participans esse, et *aliud* ipsum esse participatum. Omne autem participans se habet ad participatum sicut potentia ad actum. Unde substantia cuiuslibet rei creatae se habet ad suum esse, sicut potentia ad actum. Sic ergo omnis substantia creata est composita ex potentia et actu, idest ex eo quod est, et esse, ut Boetius dicit in libro *de Hebd.*, sicut album componitur ex eo quod est album et albedine „. Cf. *de Spiritualib. creaturis,* q. un. a. 1. in corp. et. q. un. *de Anima* a. 6. Et in 1ª p. q. 7. a. 1., non aliunde probat infinitam perfectionem Dei, quam ex eo quod esse eius non est receptum in aliquo, sed est subsistens. „ Cum... esse divinum non sit receptum in aliquo, sed ipse sit suum esse subsistens... manifestum est, quod ipse Deus sit infinitus et perfectus „. Et per hanc irreceptionem in potentia dicit diversificari esse divinum ab esse creaturarum. „ Ex hoc ipso, quod esse Dei est per se subsistens non receptum in aliquo, prout dicitur infinitum, distinguitur ab omnibus aliis, et alia removentur ab eo. Sicut si esset albedo subsistens, ex hoc ipso quod non esset in alio, differret ab omni albedine existente in subiecto „ (*ibid.* ad 3m). [1]).

[1]) Contra hoc argumentum S. Thomae obiicit P. Urraburu (*Ont.* disp. 4. c. 1.) in primis *retorquendo argumentum*: nam essentia angeli est actus ir-

237. Arg. 6.m Esse, quod sit subsistens, non potest esse nisi unicum; esset enim simpliciter infinitum, ut dictum est: nequit autem dari duplex ens infinitum simpliciter: ergo esse subsistens non potest esse nisi unicum. Sed esse divinum ut supra ostensum est, est subsistens. Ergo nullum aliud esse praeter divinum est subsistens: ideoque nullum est idem ac essentia rei.

Audiatur iterum S. Thomas C.G. l. 2. c. 52. n. 3.: "Impossibile est quod sit duplex esse omnino infinitum: esse enim quod omnino est infinitum, omnem perfectionem essendi comprehen-

---

receptus, nec tamen illimitatus, et confirmat his verbis S. Th: "Non omne acceptum est receptum in aliquo subiecto: alioquin non posset dici quod tota substantia rei creatae sit accepta a Deo, cum totius substantiae non sit aliquod subiectum receptivum„ (1. p. q. 27 a 2. ad 3m). Sed hoc manifeste nihil est: nam potius contra ipsum retorquendum esset argumentum, cum actus angelicus, hoc ipso quod est irreceptus, sit infinitus in propria ratione: limitatio autem quae attenditur in angelo, praecise respicit illum ordinem in quo actus non est irreceptus, nempe ordinem essendi. Ad auctoritatem autem S. Thomae, dicendum, quod est omnino praeter quaestionem: nam S. Th. hoc unum vult: quod non omne quod est acceptum ab aliquo, necessario sit receptum in aliqua potentia subiectiva: nam illud ipsum quod est acceptum potest esse actus purus, vel compositum ex potentia et actu, et patet quod in utroque casu non recipitur in aliqua potentia subiectiva: secus abeundum esset in infinitum in potentiis subiectivis; sed ex hoc, concludere quod dari possit aliquis *actus* finitus in sua ratione, qui non sit receptus in aliqua potentia, est manifeste ignorare elenchum.

Instat praedictus auctor cum Suaresio dicens; quod esse accidentium vel formae substantialis, quae recipiatur in materia, quamvis identificaretur respective cum essentia, adhuc esset receptum. Sed hoc iterum nihil est, nam hoc ipso quod esse accidentis identificetur cum essentia ipsius, essentia accidentis non esset amplius essentia accidentis; tota enim ratio essentiae accidentis est, ut sit id *quo substantia est* secundum ipsum accidens. Similiter dicatur de forma substantiali quae identificetur cum suo esse.

Ultimo dicit praedictus auctor: "Si esse ab essentia realiter distinctum, ex eo solum quod sit actus proportionatus eidem, iam variatur ac limitatur pro varietate graduque perfectionis essentiae, fatentibus adversariis, *a fortiori* varium ac limitatum foret esse quod cum ipsa essentia identificetur„. — Sed hoc ostendit praedictum patrem non considerasse propriam rationem limitationis actus essendi: non consideravit quod actus essendi receptus, limitatur non tam quia proportionatur essentiae, sed quia hoc ipso quod est receptus, est *alicuius* et *non est ipse*: quod manifeste non contingeret si esset irreceptus.

dit ; et sic si duobus talis adesset infinitas, non inveniretur quo unum ab altero differret. Esse autem subsistens oportet esse infinitum, quia non terminatur aliquo recipiente. Impossibile est igitur esse aliquod esse subsistens praeter primum „.

238. Arg. 7.[m] Esse simpliciter sive existentia est ultima actualitas uniuscuiusque : quod autem est huiusmodi non potest esse subiectum receptivum formarum accidentalium : quia secus actuaretur ulterius, et non esset ultima actualitas : solum autem potest habere aliquid adiunctum, quatenus ipsum sit in eodem subiecto, cui accidit et hoc aliud. Atqui in creaturis simul cum esse simpliciter, inveniuntur plures formae accidentales : nam ex. g. simul cum esse hominis habetur et esse album, et esse musicum, et alia plura ; et generatim facultates operativae et operationes sunt praeter essentiam et esse simpliciter rerum creatarum. Ergo in creaturis esse non est ipsa substantia rei, cuius sunt accidentia, sed est receptum in essentia sicut in subiecto a se distincto, et est simul cum accidentibus, quatenus est in eodem subiecto, licet diverso modo.

Hinc S. Thomas : Si... esse est subsistens, nihil praeter ipsum esse ei adiungitur ; quia etiam in his, quorum esse non est subsistens, quod inest existenti praeter esse eius est quidem existenti unitum, non autem est unum cum esse eius nisi per accidens ; in quantum est unum subiectum habens esse et id, quod est praeter esse. Sicut patet quod Socrati praeter suum esse substantiale, inest album, quod quidem diversum est ab eius esse substantiali : non enim est idem esse Socratem et esse album, nisi per accidens. Si igitur non sit esse in aliqua substantia, non remanebit aliquis modus, in quo possit ei uniri illud, quod est praeter esse „. [1]).

239. Arg. 8.[m] Esse quod nihil importat praeter puram rationem essendi, oportet quod sit unicum, sive esse accipiatur ad modum generis, relictis quibuscumque differentiis, sive ac-

---

[1]) Cfr. S. Th. Quaest. *De Anima* a. 6° c. et ad 2[m]. Contra hoc argumentum S. Thomae obiicit P. Urràburu, ex Suaresio (disp. 31 *Met.* S. 11. n. 22) quod existentia est ultima actualitas *metaphysice* et secundum nostrum concipiendi modum, non vero physice et secundum realitatem. — Sed hoc nihil est: nam absurdum prorsus est, id quod constituit rem in

cipiatur ut forma quaedam subsistens. Forma enim non multiplicatur nisi per subiectum : genus autem non est in pluribus nisi cum differentiis. In tantum autem accipitur tale vel tale esse diversum ab aliis, in quantum quodlibet tale esse importat secum aliquam rationem diversam a pura ratione essendi : et sic esse lapidis est aliud esse ab esse leonis, quia illud secum importat rationem lapidis, cuius ipsum sit ultima actualitas, et hoc rationem leonis. His autem diversis rationibus intelligitur *esse* coarctari et multiplicari.

Porro videndum est, quomodo per has diversas rationes intelligi debeat limitari, determinari ac multiplicari ratio essendi. Et 1° certe non sic, quod *ipsum esse subsistens* recipiatur in praedictis rationibus, tanquam in subiectis : foret enim hoc contradictorium. Neque 2° sic, quod ipsum esse subsistens accipiat intrinsece aliam et aliam determinationem specificam, nam esse subsistens, cum sit actualissimum, nequit magis determinari ; et insuper, si uno modo determinaretur, iam non posset et alio determinari : nihil enim subsistens potest in se ipso dupliciter specificari. Neque 3° hoc pacto, quod purum esse separatum a qualibet alia ratione, accipiatur ut notio quaedam generica, quae, ut sic, non subsistat a parte rei, sicut animal a parte rei non subsistit absque rationali vel irrationali ; dicatur autem subsistere prout simul involvat alias rationes, quibus diversimode determinetur intrinsece ut tale vel tale esse subsistens particulare. Nam, ut supra ostensum est, revera ipsum esse subsistens, quod sit purissimus actus, datur a parte rei et est Deus, qui certe non est aliquid ad modum generis abstracti a suis speciebus. Neque 4° res ita concipienda est, ut duplex distinguatur esse, quod dici possit purum a qualibet alia ratione determinante : et alterum sit increatum et ipsum esse subsistens a parte rei quod est Deus ; alterum vero sit esse creatum, quod in quantum separatum a determinationibus, sit aliquid ad modum ge-

---

ipso ordine realitatis, non esse nisi aliquid ratione tantum distinctum ab eo, quod *ut tale* idem omnino est sive inveniatur in ordine reali extra causas sive non. Sequeretur enim evidenter quod homo non existens et homo existens differrent tantum per actualitatem metaphysicam et secundum nostrum modum concipiendi.

neris et quidem solum analogi, subsistat autem in quantum diversimode determinatur intrinsece per diversas rationes, quibus constituitur tale vel tale esse subsistens creatum, unde quaelibet existens essentia, seu res creata, dici debeat esse realiter suum esse. Non itaque res hoc modo accipi potest. Si enim res creata existens esset ipsum suum esse, hoc utcumque dicatur intrinsece determinatum, dicendum foret actus irreceptus in potentia reali a se distincta. Si vero est actus irreceptus, aut ponitur ipse esse potentia respectu alterius actus, vel non. Si primum falsum ponitur [1]; nam esse est ultima rei actualitas, quae proinde nullatenus rationem potentiae habere potest. Est enim esse id ad quod generatio et omnis motus terminatur : omnis enim forma et actus est in potentia antequam esse acquirat (Cf. S. Th. C. G. II. 52. n. 6). Si autem secundum asseritur, iam esse rei creatae esset actus absolute purus, in quolibet ordine; cum nec ipsum se habeat respectu alicuius ut potentia, nec aliquid sit in quo ipsum tamquam in potentia recipiatur. At vero actus absolute purus non est nisi unicus, cum actus non multiplicetur nisi per subiectum; et est infinitus in perfectione; nam actus, qui de se non dicit nisi perfectionem, non coarctatur nisi per potentiam subiectivam in qua recipiatur : eatenus vero aliquid non est ipsa infinita perfectio, quatenus est vel actus alicuius potentiae, vel potentia respectu alicuius actus, vel aliquid ex potentia et actu compositum. Itaque non sic debet intelligi esse creatum determinari intrinsece ut sit tale vel tale esse limitatum, ut quaelibet res dicatur esse suum esse.

Illud igitur esse, quod praeter rationem essendi secum importat aliquam aliam rationem, puta esse lapidis, vel esse hominis, nequit esse actus absolute purus subsistens, qui necessario est ipsum pelagus infiniti esse, et non restringitur ad talem vel talem rationem. Impossibile est autem quod sit potentia ad alium actum; quia ut modo dictum est, esse est ultima actualitas. Item nequit esse compositum ex actu et potentia; nam

[1]) Et praeterea, dato etiam quod hoc modo *esse* esset potentia ad actum superiorem, non per hoc ullo modo limitaretur intrinsece: esset ergo actus purus, infinitus etc., quamvis intrinsece limitaretur actus ille qui in eo reciperetur ut in potentia.

primo, esse est ratio quaedam simplex; deinde cum esse sit ultima actualitas, in tali composito actus foret esse, potentia vero iam esset aliquid aliud ab esse. Restat ergo ut dicatur esse actus cuiusdam potentiae, nempe actualitas ultima illius rationis per quam esse intelligitur limitari: quae proinde ratio se habebit ad esse tanquam potentia, cuius esse sit actus ultimus.

Haec autem potentia realiter est distincta ab actu suo essendi: non autem ratione tantum, ac si in simplici actu quodam subsistente distingueremus per intellectum duos diversos conceptus, quorum alter se habeat ad modum formae, alter ad modum materiae. Si enim actus esset realiter irreceptus in potentia, per hoc solum quod illum intelligamus sub duplici ratione conceptus obiectivi, ita quod secundum aliquid concipiatur ut forma, et secundum aliquid ut materia, non cessaret certe esse in se ipso et a parte rei purus actus. Tunc autem non esset in perfectione finitus, ut ostensum est. Si ergo est actus finitus, cuiusmodi sit oportet omne esse creatum, necesse est quod realiter non sit purus actus, sed in potentia a se realiter distincta, sit realiter receptus. Itaque praeter unum et primum esse divinum, quod est per se subsistens, oportet ut esse cuiusvis alterius rei sit in potentia, idest in essentia receptum, et ab essentia realiter distinctum. Hinc S. Thom. *de Ente et Essentia* cap. 5: " Res, cuius quidditas sit suum esse... non potest esse nisi una et prima. Quia impossibile est ut fiat plurificatio alicuius, nisi per addictionem alicuius differentiae, sicut multiplicatur natura generis in speciebus; vel per hoc quod forma recipitur in diversis materiis, sicut multiplicatur natura speciei in diversis individuis; vel per hoc quod unum est abstractum et aliud in aliquo receptum; sicut si esset quidam color separatus, esset alius a colore non separato, ex ipsa sua separatione. Si autem ponatur aliqua res, quae sit esse tantum, ita ut ipsum esse sit subsistens, hoc esse non recipiet additionem differentiae, quia iam non esset esse tantum, sed esse et praeter hoc forma aliqua, et multo minus recipiet additionem materiae, quia iam esset esse non subsistens sed materiale. Unde relinquitur quod talis res, quae sit suum esse, non potest esse nisi una: unde oportet quod in qualibet alia re praeter eam sit *aliud* esse suum,

et *aliud* quidditas vel natura seu forma sua „. Cfr. Cajetanum in capite 5° *de Ente et essentia;* Card. Pecci *in Commentario in idem opusculum S. Thomae.*

240. Breviter itaque dicimus: esse quod sit identicum cum essentia rei, 1° est esse *per se necessarium,* non creatum ab alio; 2° est necessario inclusum in ipsa notione talis essentiae, tum individuali, tum specifica; 3° est esse *simpliciter infinitum,* non tale vel tale, limitatum; 4° est *unicum,* non multiplicabile; 5° *est incompossibile cum formis accidentalibus,* quae enti conveniant praeter esse simpliciter. Atqui tale non est esse alicuius creaturae. Ergo nullius creaturae esse est subsistens. Si vero non est subsistens, erit actus receptus in quadam potentia subiectiva, ab ipso realiter distincta. Sed id cuius est esse, est essentia. Ergo esse cuiusvis creaturae est actus non subsistens, receptus in essentia rei, sicut in potentia a se realiter distincta.

241. Notae pro pleniori intelligentia ipsius quaestionis. — I. *Esse non constituit ens nominaliter.* — Existentia seu esse, non est actualitas, quae simul cum essentia componat intrinsece *ens* nominaliter sumptum, prout est obiectum metaphysicae, neque ens creatum, quod dividitur per decem suprema genera, seu praedicamenta. Hoc enim ens non est aliud quam *id cui competit esse,* scilicet sola essentia, quae ordinem quidem habet ad esse, et illud extrinxece connotat, sed non includit intrinsece, et potest esse omnino simplex; si nempe non constat principiis essentialibus, sed sit pura forma, sive subsistens, ut creatura pure spiritualis, sive inhaerens, ut essentiae accidentales.

242. II. *Quo sensu esse potest dici accidens.* — Existentia, seu esse, dicitur esse accidens omni essentiae creatae, non quasi per accidens se habens ad illam (cum imo faciat *unum per se* cum ea ut modo dicetur); sed quasi actualitas, quae non pertinet intrinsece ad ipsam [1]). Est enim existentia, ut supra notavimus, ipsum dari de facto essentiam extra causas: quod totam quidem afficit essentiam, ut eius actualitas in ordine rerum, sed tamen non est ipsa natura rei essentialis.

---

[1]) Cf. S. Th. *Quodl.* 2. a. 3. ad 2m.

243. III. *Quomodo esse sequitur formam.* — Esse, seu existentia, necessario sequitur formam; sive haec sit pars essentiae, sive sit tota essentia. Quando enim res non existit in seipsa extra causas, sed in causis (puta in potentia materiae, vel in potentia activa causae agentis), ipsa non possidet suam formam, sed est secundum modum formae, vel potentiae suae causae. Secundum autem quod res accipit suam formam, accipit etiam esse extra causas in seipsa: impossibibile est enim formari naturam aliquam in seipsa, et eam nondum esse extra causas, sed adhuc in causis, puta in potentia passiva materiae, vel in potentia activa agentis. Et tamen haec actualitas essendi extra causas non ipsa est forma. Non enim e. g. materia prima formatur in *leonem* quatenus recipiat *actualitatem essendi* extra causas, sed quatenus recipit *animam leoninam,* etsi ad formationem materiae, per animam leonis, iam obtineat *esse* actualiter extra causas leo. Item si creatur forma aliqua angelica, puta Michäel, non creatur ipsa sola *actualitas extra causam,* sed creatur Michäel, nempe ipsa forma, licet simul cum forma in sua propria ratione, habeatur et *esse* talis formae. Et hinc est quod esse dicitur causari a *forma.* Non quod forma sit efficiens sui esse, vel esse compositi, quod est impossibile; sed quia *esse* requirit, ut causam sui materialem, ipsam formam, ita nempe ut forma vel se habeat ut proprium subiectum ex se dispositum ad esse, si est pura forma, vel compleat proprium subiectum essendi, si hoc est compositum ex materia et forma. Unde sequitur quod *esse* non tribuitur rei ab agente, nisi secundum quod res vel est forma, vel formata per formam. Et propter hoc dicitur etiam *esse* procedere *effective* ab agente, *per modum vero resultantiae* a forma. (Cfr. S. Th. *de anima* quaest. un. art. 6).

244. IV. *Quomodo esse est actus secundus.* — Quare *esse* vocatur etiam actus secundus essentiae; primus enim actus est forma, sive haec sit tota natura, ut in puris spiritibus, sive sit actus materiae ut in corporibus, esse vero est actus, qui necessario consequitur ipsam formam, ut dictum est. Dicitur autem *esse* actus secundus ipsius essentiae, in quantum talis essentia. Non enim hic actus, qui est *esse,* addit supra unam rationem

essentialem unius praedicamenti, aliquam essentialem rationem accidentalem alterius praedicamenti, vel alterius speciei in eodem praedicamento. Sed unice importat, praeter talem rationem essentialem, actualitatem solam qua talis essentia sistitur ultimo in seipsa extra causas in ordine rerum.

245. V. *An et quomodo essentia et esse dici possint existere.* — Essentia et existentia, si spectentur seorsim singulae non sunt duo *quae* existant. Cum nulla creatura sit per essentiam existens, sed per actum essendi a se distinctum, ut ostensum est; si tam essentia, quam existentia, essent seorsim duo *quae* propriae existerent, iam oporteret ponere in essentia aliam existentiam, et in ipsa existentia aliam existentiam, per quam existat, et sic in infinitum; quae omnia certe sunt absurda. Igitur neque essentia, neque existentia est seorsim ab altera aliquid existens. Verum existentia non est nisi solum ut *quo* essentia existit: essentia autem non existit nisi *per existentiam.* Et ut exemplo res illustretur: in eo quod est *currens,* attendimus compositionem ex subiecto cursus, et cursu. Subiectum autem cursus non currit sine cursu, sed solum per cursum, et cursus non currit, sed est quo currens currit. Sic ergo in creato *existente* attenditur compositio ex subiecto existentiae, scilicet essentia, et ex existentia. Essentia autem non existit seorsim ab existentia, sed per existentiam, et existentia non existit, sed est quo existens existit.

246. VI. *Non exsurgit tertium ens nec nominaliter nec participialiter.* — Per compositionem ex essentia et existentia non constituitur proprie unum tertium ens. Non unum tertium ens nominaliter sumptum pro essentia secundum ordinem ad esse. Nam essentia et existentia non sunt duo principia unius tertiae naturae, eo modo, quo ex. gr. anima et corpus constituunt hominem, qui est quid tertium ex anima et corpore, et non solum corpus, vel anima sola. Sed sola essentia est tota natura, quae per existentiam existit: existentia vero non extrahit essentiam a propria sua specifica ratione, ut illam in alia constituat, sed solum actuat illam formaliter ut sit in ordine rerum extra causas.

Neque unum ens tertium participialiter sumptum, prout

est idem ac existens. Nam per existentiam nihil aliud fit existens, quam ipsa essentia. Et sic ex. gr. dicimus, quod per existentiam *leo existit*, non dicimus, quod compositum ex esse et essentia leonis existat. Et simile est in accidentibus; nam per quantitatem ipsa sola substantia fit quanta, non compositum ex quantitate et substantia; per sapientiam homo ipse fit sapiens, non compositum ex qualitate et homine; per relationem ipsa substantia refertur, non compositum ex relatione et substantia; et item per cursum homo fit currens, non vero homo et cursus est currens.

Itaque per compositionem ex essentia et esse non fit unum tertium ens; sed solum habetur quaedam ratio composita, sicut ex. gr. *homo albus*, qui resolvitur in rationem *hominis* et rationem *albi*. Cf. S. Th. *Quod.* 2. q. 2. a. 4. ad 1[m].

247. VII. *Per istam compositionem habetur unum per se existens.* — Non tamen habetur una ratio composita ut quid unum tantum per accidens; eo modo quo ex homine et albedine fit unum per accidens. Hoc enim habetur solum quando duo ita coniunguntur, quod tamen utrumque habeat suum esse, sive utrumque habeat esse per se, ut lapides in acervo; sive unum habeat esse per se, et aliud habeat inesse alteri, sicut homo et albedo. At ubi est tantum unum esse, ibi habetur unum ens per se: unde in uno toto partes, quae comunicant in esse totius, non sunt plura entia, sed unum: et etiam in Christo, cum sit unum esse personae Verbi in utraque natura, non dicimus esse duo entia, sed unum ens per se. Iamvero in composito ex essentia et existentia, neque essentia, neque existentia seorsim consideratae habent esse: in creaturis enim essentia est pura potentia in ordine essendi; existentia autem, est actus non subsistens: si vero considerentur ut coniunctae, essentia est solum per esse quod est ipsa existentia, et existentia se habet pure ut *quo* essentia est. Et ita, licet existentia sit extra rationem essentiae, non tamen affert essentiae aliud esse, praeter primum esse simpliciter ipsius essentiae, sed imo ipsa est primum esse eius simpliciter. Quare per compositionem ex essentia et existentia non habetur solum unum per accidens, sed remanet *unum per se existens*.

248. VIII. *Per dicta componentia non resultat totum cui conveniat esse distinctum ab esse quod convenit essentiae.* — Habes igitur quod in ordine essendi, essentia et existentia sunt principia, alterum potentiale, alterum actuale, quibus habetur *unum per se existens.* Et tamen hoc unum non resultat ut quoddam totum quod sit una ratio, cui conveniat *esse totius,* praeter esse solius essentiae. Nam in illo toto etiam existentia essentiae deberet esse subiectum ulterioris esse totius: quod est absurdum, cum omnis existentia sit ultima alicuius actualitas, quae non potest esse subiectum ulterioris actus. Non ergo illud unum resultat, ut quoddam totum, quod ipsum, et non sola essentia, habere esse dicatur ut subiectum receptivum essendi, et quod per esse formetur, ut sit *quod est.* Sed habetur unum per se existens, in quo componentia non conveniunt in unam rationem, sed remanent ut duae rationes, quarum altera tantum est ratio receptiva essendi, altera vero ratio formalis, quae est esse seu existentia.

249. IX. *Essentia licet distincta ab existentia existit per ipsam.* — Sicut supra dictum, quando essentia consideratur in se seorsim ab existentia, ipsa non est ut *quod* existit (sicut neque existentia est aliquid *quod* existat). Quando vero consideratur ut actuata per existentiam, iam ipsa est quae proprie existit. Non existit ergo nisi in unione et per unionem cum existentia: licet existentia non sit essentia: sicut Petrus non est currens nisi in unione et per unionem cum cursu, licet cursus non sit Petrus. In composito itaque, essentia etiam *prout distincta ab existentia,* dummodo non sit *disiuncta ab existentia,* sed actuata per ipsam, dici debet realiter existens. Sicut dum Petrus est sedens, Petrus est distinctus a sessione, non tamen ab ea disiunctus; et ut distinctus realiter a sessione, sed non ut disiunctus ab ea, est sedens. Hinc est quod quando contrariae sententiae fautores opponunt: essentia realis etiam prout distinguitur ab existentia, est quid extra causas: sed quidquid est extra causas iam est existens: ergo essentia realis etiam prout distinguitur ab existentia est existens: ergo ipsa non existit per existentiam, ut actum superadditum, sed per existentiam, quae est ipsa realis; responderi debet: *D.M.:* Essentia realis, etiam prout realiter

distinguitur ab existentia, non tamen disiuncta ab ipsa, sed actuata per ipsam, est extra causas, *C.M.;* si esset etiam *disiuncta* ab existentia, *N.M.* — *C.m.* — *D.* 1m *C.* ut in Maiori. — *Nego ultimum Consequens.* — Simpliciter autem possunt omnia ultro concedi, praeter ult. cons. Non enim contendimus quod essentia prout distincta ab existentia, non sit existens — sed unice quod non est existens nisi per actum a se distinctum, nempe per existentiam.

THESIS III.a — Argumentum validissimum in confirmationem doctrinae de distinctione reali inter essentiam et esse confici potest ex ipsis principiis adversariorum, et ex inanitate argumentorum, quibus talis distinctio impugnatur.

250. Praenotandum. — Quamvis generatim veritas cuiusque doctrinae clarior apparere potest ex ipsa consideratione argumentorum quibus impugnatur, tamen specialissima quadam ratione hoc attendi debet in hac quaestione. Argumenta enim omnia quae in contrarium afferuntur, evidenter proveniunt ex difficultate transcendendi imaginationem; et licet sub forma vel ingeniosissima quandoque proponantur, semper eodem vitio laborant. Opportunum ergo visum est ea peculiari modo hic considerare: quod quidem praestabimus dupliciter: 1° quidem modo afferendo quaedam principia seu assertiones, quae a P. Piccirelli ut fundamenta ponuntur ad talem distinctionem negandam. Cum enim praedictus Pater, ingens opus exscripserit [1]) contra dictam distinctionem, optimum argumentum pro nostra doctrina desumere possumus, si ipsa fundamenta doctrinae talis auctoris, qui ingenium et studium suum ad hanc distinctionem negandam direxit, falsa et inania prorsus esse ostendemus: 2° vero, modo scholastico difficultates praecipuas, quae tum a laudato Patre, tum a praecipuis impugnatoribus nostrae doctrinae, allatae sunt, solvemus: in qua quidem re ampliores forsan erimus: tot enim, fere dixerim, argumenta pro nobis suppeditabunt ipsi adversarii, quot difficultates contra nos movebunt.

---

[1]) " *Disquisitio metaphysica, theologica, critica, de distinctione actuatam inter essentiam existentiamque* etc.

251. Probatur. — I. Ex quibusdam principiis seu assertionibus P. Piccirelli.

Io Et primo quidem sit *ipsa positio quaestionis* prouti a dicto Patre statuitur (*op. cit.* p. 18). Sic enim scribit: " ..... qui essentiam actualem ab existentia realiter distinguunt, *tenentur omnino fateri* ex vi essentiae actualis rem *fieri formaliter extra causas quoad essentiam,* et tantum quoad existentiam *rem fieri formaliter extra causas per existentiam*..... Itaque quaestio de distinctione inter essentiam et existentiam in hanc aliam potest resolvi: utrum nimirum in quacumque productione, *duplicem partialem distinctumque influxum ad distinctum realiter terminum ordinatum, singulae suo modo exserant causae, an vero unum influxum, unumque realem terminum respicientem.* Quod si cum Capreolo et Suaresio quis dixerit existentiam solum significare statum rei, quatenus actualitatem *exercite* habet in rerum natura, quaestio superest cum patronis distinctionis realis: Utrum ad hunc statum res adducatur eo ipso, quod essentia producitur; an vero, *praeter productionem essentiae, opus etiam sit producere actum aliquem, qui existentia dicitur,* quique statum illum in producta essentia, dixerim, consummat aut absolvit „. (*ib.* p. 19). Sufficiunt haec verba ad probandum intentum nostrum: patet enim quod qui tale iudicium habet de ipso statu quaestionis, nihil veri poterit unquam in ipsa decernere: confusio enim inter potentiam et actum, inter id *quod* producitur et *id quo* producitur, non poterat clarioribus verbis exprimi: ex his quae dicta sunt de actu et potentia et in *thesi praec.,* haec nimis sunt evidentia: responsio autem directa habetur in solutione difficultatum [1]).

---

[1]) " Illud etiam notatum volumus; quoniam sermo est de distinctione essentiae seu entitatis, non possibilis, sed physicae et actualis, ab actu existentiae; oportet agnoscere in tali essentia etiam prout est vel consideratur contradistincta ab existentia, suum proprium reale et physicum *esse essentiae*, per quod intrinsece constituatur in ratione essentiae physicae ac non iam pure possibilis „. - " Nam omnis entitas realis constituitur aliquo *esse* reali, cum ens ab esse dicatur, et ens reale ab *esse reali.* Ergo dum entitas realis desinit esse potentialis et fit actualis, necesse est, ut aliquo actuali *esse* (saltem essentiae) reali constituatur. Rursus essentia actualis realis in suo

Nota. Fatendum est quod quandoque Thomistae ipsi, in hac re, minus accurate saltem sunt loquuti, et ansam praebuerunt talibus absurdis conceptionibus. (Cf. e. g. Goudin *Phil.* t. 4. *Met.* q. 3. a. 3. ad 1^{m}, qui similes locutiones adhibet). Sed quidquid sit de mente illorum qui Thomistae dicuntur, nos, sicut in omnibus, ita et maxime in hac re, unice de doctrina S. Thomae, non Thomistarum sumus solliciti. Sapientis autem non est reiicere doctrinam aliquam, eo quod male a quibusdam exposita fuit vel vindicata.

II. *Ex notione potentiae et actus.* Actus ab ipso definitur: *ens, quod est id, quod esse potest:* potentia vero: *ens, quod non est id, quod esse potest.* Absurditas talis definitionis (ex qua sequeretur quod corpus est actus, quod materia prima dum est sub forma, non est amplius potentia etc. etc.) patet ex his omnibus quae diximus de potentia et actu. Auctor autem perpetuo confundit *potentiam obiectivam* cum *potentia subiectiva,* et talis confusio tanti est momenti in hac re, ut vel sola sufficeret ad probationem thesis nostrae [1]).

---

genere est verum et actuale ens reale, differens iam ab ente in potentia. Ergo necesse est illam formaliter constitui in tali actualitate aliquo esse (saltem essentiae) reali actuali, ei communicato per efficientiam aliquam „. " Praeterea planum est huiusmodi *esse,* quo essentia constituitur in ratione physicae non pure obiectivae essentiae, non posse ab eadem physica essentia distingui; nihil enim distinctum ab essentia constituere ipsam essentiam valet „. (Suarez) — " Et in hisce duobus nullum esse debet dissidium inter Auctores; sed solum controvertitur an actus vel *esse existentiae,* quo essentia huiusmodi physica formaliter constituitur *existens,* re distinguatur ab illo *esse essentiae* physicae, vel an essentiae reali habenti suum *esse* essentiae, per quod desinit esse pure possibilis et est aliquid actuale veraque potentia physica et subiectiva, quemadmodum loquuntur patroni distinctionis realis, necesse sit addere aliquem actum, vel aliud *esse* re distinctum, ut possit esse ac denominari *actu existens.* „ Urrăburu, *Ont.* D. 4. c. 1.

Ex quibus verbis manifeste patet quomodo adversarii distinctionis realis, eadem semper deceptione laborent, et ad ipsum statum quaestionis recte intelligendum, assurgere non valeant: quod quidem mirum esse non debet: tota enim difficultas praecise stat in ipsa intellectione positionis S. Thomae, quae si semel intelligatur, iam hoc ipso evidentissima et necessaria apparet.

[1]) Verum est quod quandoque p. P. loquitur quoque de potentia pas-

Confirmatur ex his quae adduntur circa notionem potentiae, de cuius ratione dicitur esse quod involvat aliquem actum, quod sibi vindicet aliquam actualitatem (*ibid.* p. 31). Quae omnia quam manifeste sint falsa, nemo est qui non videat. Aliud enim est quod potentia nullo modo possit dari in ordine reali sine actu (quod et nos late probavimus in tractatu de potentia et actu); et aliud est quod potentia, formaliter qua talis in oppositione ad actum, includat aliquam actualitatem. Hoc enim destruit ipsam notionem potentiae.

III. *Ex conceptu limitationis potentiae et actus,* quae limitatio nullo modo secundum p. P. potest esse intrinseca sed extrinseca et connotativa (*ib.* p. 32): ad cuius probationem dicit quod certe formae separatae, secundum S. Th. limitantur extrinsece, nempe a potentia producentis; et citat ista verba S. Doctoris: „Secundo modo invenitur essentia in substantiis creatis intellectualibus, *in quibus est aliud esse quam essentia* ipsarum, quamvis essentia sit sine materia: unde *esse earum non est absolutum sed receptum* **et ideo** *limitatum et finitum ad capacitatem naturae recipientis:* sed natura vel quidditas earum est absoluta, *non recepta in aliqua materia* **et ideo...** *sunt finitae quantum ad esse suum* quod a superiori recipiunt, *non tamen finiuntur inferius quia earum formae non limitantur ad capacitatem alicuius naturae recipientis eas*„. *(De ente et essentia):* quae verba evidenter probant contrarium illius quod contendit p. P.: ostendit nempe hic S. Th. quomodo nihil in rerum naturis sit limitatum ex pura potentia producentis, sed omnia habere debent causam intrinsecam suae limitationis [1]); unde formae separatae, quae

---

siva (ut e. g. p. 37 etc.) sed semper eo modo quo unice loqui potest qui potentiam ipsam nescit concipere nisi ad modum entis **quod**: de receptione ideo actus in potentia loquitur sicut de receptione vini in lagena (p. 39) et sic intellectus iura imaginatio perpetuo pervadit.

[1]) Quomodo limitetur actus secundum S. Th., patet ex his quae diximus de actu et potentia. Sufficiat hic speciminis gratia, haec recitare: „actus non finitur nisi *dupliciter: uno modo ex parte agentis,* sicut ex voluntate artificis recipit quantitatem et terminum pulchritudo domus: alio modo *ex parte recipientis* sicut calor in lignis terminatur et quantitatem recipit secundum dispositionem lignorum. Ipse autem divinus actus non

sunt limitatae *tantum in ordine essendi,* habent esse receptum in reali potentia, et ideo finitum; dum e contra, ipsarum essentia, *praecise quia non habet causam intrinsecam suae limitationis,* seu quia non est recepta in aliqua potentia, est infinita [1]).

IV. *Ex negatione causalitatis intrinsecae.* Sufficerent haec verba: " *pugnat prorsus ut unum, realiter aut formaliter sive adaequate sive inadaequate ab alio distinctum, limitetur aut constituatur intrinsece et formaliter hoc, ab eo quod a se distinctum realiter aut formaliter est* „. Hoc enim principium *a)* destruit ipsam rationem causalitatis intrinsecae; *b)* impossibilem reddit omnem veram compositionem ex qua resultat unum per se; *c)* penitus confundit principia entis cum ente ipso; *d)* impossibilem reddit ipsum conceptum generationis et corruptionis corporeae etc.; *e)* sufficeret ergo ad subvertendam totam metaphysicam [2]).

---

finitur ex parte agentis... nec finitur *ex alio recipiente,* quia cum nihil potentiae passivae (en quid est potentia passiva secundum S. Th.) ei admisceatur, ipse est actus purus non receptus in aliquo etc.„. Ubi vides quomodo S. Th. assignat duplicem causam limitationis, extrinsecam nempe et intrinsecam: utraque autem requiritur: non potest enim aliquid limitari nisi secundum quod limitabile est; porro nihil est limitabile nisi secundum quod incidit in potentiam, ut late ostendimus ubi de actu et potentia.

[1]) Verum quidem est quod p. P. in seq. (p. 34 etc.) magno cum apparatu scientifico contendit probare quod neque potentia passiva limitetur ab actu, neque actus subsistens limitetur a potentia, quam includit: sed primum contradicit primis ipsis conceptibus metaphysicis de potentia et actu: secundum vero manifeste includit ignorantiam elenchi: nam ut hic supra dictum est, et suo loco amplius declarabitur, secundum S. Th. et secundum rei veritatem, formae separatae non sunt limitatae in ratione essentiali, sed tantum in ordine essendi: unde disquisitio p. P. tota caret fundamento: quod autem subdit de *individuatione* animae humanae, vim faciendo in illo " *occasionaliter* „ S. Thomae, quasi agatur de mera limitatione extrinseca, non est nisi inanis lusus verborum: subdit enim *ibid.* S. D.:... " quia non acquiritur sibi (animae) esse individuatum *nisi in corpore cuius est actus* „ qui autem vel minimum cognoscit doctrinam S. D. circa individuationem, talium verborum vim percipere debet.

[2]) Ut aliquod specimen exhibeamus mentis metaphysicae p. P., sufficiat legere expositionem seu interpretationem, quam ipse facit quorumdam verborum clarissimi P. Billot; en verba huius Patris: " esse substantiae est vel subsistens ipsum, vel certe formale principium subsistendi. Dixi: vel subsistens ipsum vel principium subsistendi: nam duobus modis intel-

V. *Ex perverso conceptu distinctionis realis.* — Nam quamvis p. P. scribat: miratum se prorsus fuisse scriptorem recentissimum asserentem graves dari philosophos *qui ad habendam partium distinctionem, separabilitatem requirant,* tamen postquam ipse fassus sit Scotistas talia dicere, haec habet: " Quod si Suaresius ex inseparabilitate etiam de potentia absoluta indistinctionem infert, id nullibi facit ex eo quod separabilitas saltem de potentia absoluta sit de ratione distinctionis: sed ex eo quod *si unam duorum conceptuum realem identitatem mittas, nullum aliud conditionis, causalitatis aut dependentiae genus posset impedire, quominus de potentia saltem absoluta binae illae suppositae res aut realiter aut modaliter distinctae; inter sese separentur* „. Falsitas talis assertionis et per se patet, et in secunda parte ulterius declarabitur.

VI. *Ex confusione inter principia distinctionis realis et di-*

---

ligi potest substantiam existere in se, hoc est subsistere: vel quatenus *est* per identitatem sua existendi actualitas, vel quatenus *habet* suum actum essendi receptum in seipsa. Si primum, esse est subsistens, est purum, est absolutum seu liberum ab omni comprincipio realiter distincto, cuius sit actualitas. Si secundum, esse non est subsistens, sed formale principium subsistendi, et non est purum, sed receptum in essentia individua ut in quadam reali essendi potentia: denique non est id *quod est*, sed tantum id *quo est* „. Patet quod doctissimus pater non poterat clarioribus verbis proponere statum quaestionis. Nunc autem p. P. post relata talia verba haec scribere non veretur: " Verum enimvero, si quis sit vel leviter in metaphysicis versatus... intelliget facillime auctorem in *singulis fere periodis aut incisis, ut minimum dicam, aequivocatione laborare:* qua posita, in probatione thesis illa eadem urget *prodigialia* argumenta, quae Em. etiam Cardinali Zigliara in usu sunt. Principio quidem ait esse substantiae: vel est subsistens ipsum, vel formale principium susbsistendi. Si enim intelligit: *vel est subsistens ipsum,* id est, existens in se et per se ex vi suae essentiae seu a se, vel *formale principium subsistendi,* id est non quidem existens ex vi suae essentiae, *sed existens uti productum* ab alio tamquam formale principium subsistendi aut physicum aut metaphysicum: *verum quidem dicit* et quaestionem omni ex parte attingit, sed satis obscure loquitur. Si vero intelligit: est *subsistens ipsum,* id est, id quod utrumque subsistit aut in se et per se est, sive a se sive ab alio, aut est *principium formale physicum subsistendi,* falsum omnino docet et quaestionem certe non proponit, sed suo sensu solutam supponit „. Talia legenti, mentem forsan subit illud *Eccli.:* XII. 1 1. " Verba sapientium, quasi clavi in altum defixi „.

stinctionis rationis: assimilat enim p. P. distinctionem inter essentiam et esse distinctioni quae viget inter gradus metaphysicos (p. 76) et hoc modo arguit:

Ex hoc quod essentia et esse se habent tanquam actus et potentia in ordine reali, non sequitur distinctio realis. Nam etiam animalitas et rationalitas se habent tanquam actus et potentia, et quidem in ordine reali, nam profecto sunt rationes reales, et tamen realiter non distinguuntur.

Resp. *Nego prorsus parit.* — Nam animalitas et rationalitas, quamvis se habeant ut actus et potentia, et quidam sint rationes reales, non tamen se habent *ut actus et potentia in ordine reali.* Quod quidem facili argumento patet: in tantum enim se haberent ut actus et potentia in ordine reali, in quantum in ordine reali concurrerent ad constitutionem essentialem alicuius compositi substantialis: sed hoc est impossibile: quia compositum substantiale quod exsurgit, nempe homo, est compositum tanquam ex principiis substantialibus, seu tanquam ex actu et potentia, ex anima rationali et materia prima: impossibile autem est quod unum compositum substantiale in ipso ordine essentiali inveniatur resultare ex duplici principio potentiali et duplici principio actuali. Unde illa compositio ex animalitate et rationalitate non est nisi compositio rationis. — Quod quidem probatur quoque directe ex modo quo intellectus istam compositionem adinvenit. Ex hoc enim quod forma ultimo perficiens praecontinet in se virtute omnes formas praecedentes, intellectus in una eademque forma distinguit gradum ultimae actualitatis, secundum quem praedicta forma differt ab inferioribus, et istum gradum considerat tanquam actualem et differentialem relate ad gradus praecedentes qui *ab eadem forma* constituuntur, quique consequenter se habent tanquam quid potentiale et commune. Unde patet quod distinctio ista non est nisi rationis, quamvis utique fundetur in distinctione reali inter materiam et formam [1]). — Sed prorsus alio modo res se habet ubi agitur

[1]) Noto tamen quod p. P. inter alia scribit quod metaphysica essentia *non* distinguitur realiter a suis proprietatibus. (p. 76).

Doctrina autem supra exposita est manifestissime S. Thomae. Nam, ut plura alia omittamus, haec subiicimus: S. Th. I. p. q. LXXVI art. III.

de essentia et esse. Nam esse *independenter a consideratione intellectus* est actualitas realis cuiuscumque rei et ultima rei actualitas: *independenter a consideratione intellectus* actualitas realis quae

---

ad hanc difficultatem " Philosophus dicit, in 8. *Metaph.* (text. 6) quod genus sumitur a materia, differentia vero a forma. Sed rationale, quod est differentia constitutiva hominis, sumitur ab anima intellectiva; animal vero dicitur ex hoc quod habet corpus animatum anima sensitiva. Anima ergo intellectiva comparatur ad corpus animatum anima sensitiva sicut forma ad materiam. Non ergo anima intellectiva est eadem per essentiam cum anima sensitiva in homine; sed praesupponit eam sicut materiale suppositum „ ad hanc inquam difficultatem sequenti modo respondet: " Ad quartum dicendum, quod non oportet secundum diversas rationes vel intentiones logicas, quae consequuntur modum intelligendi, diversitatem in rebus naturalibus accipere; quia ratio unum et idem secundum diversos modos apprehendere potest. Quia igitur ut dictum est (in corp. art.) anima intellectiva virtute continet id quod sensitiva habet, et adhuc amplius, potest seorsum ratio considerare quod pertinet ad virtutem sensitivae, quasi quoddam imperfectum et materiale; et quia hoc invenit commune homini et aliis animalibus, ex hoc rationem generis format; id vero in quo anima intellectiva sensitivam excedit, accipit quasi formale et completivum; et ex eo format differentiam hominis „.

Et in opus. *de Ente et Essentia* c. III.: " Et ex hoc patet ratio quare genus et species et differentia se habeant proportionaliter ad materiam, formam et compositum in natura; quamvis non sint idem cum illis; quia neque genus est materia, sed sumitur a materia ut significans totum; nec differentia est forma, sed sumitur a forma ut significans totum. Unde dicimus hominem *esse animal rationale,* et *non ex animali et rationali,* sicut dicimus eum esse *ex anima et corpore.* Ex corpore enim et anima dicitur esse homo sicut ex duabus rebus quaedam tertia res constituta, quae neutra illarum est. Homo enim nec est anima neque corpus. Sed, si homo aliquo modo ex animali et rationali dicatur esse, non erit sicut res tertia ex duabus rebus, sed sicut intellectus tertius ex duobus intellectibus „. Et paulo inferius in eodem opusculo dicit: " Quamvis autem genus significet totam essentiam speciei, non tamen oportet ut diversarum specierum quarum est idem genus, sit una essentia; quia unitas generis ex ipsa indeterminatione vel indifferentia procedit: non autem ita quod id quod significatur per genus sit una natura numero in diversis speciebus, cui superveniat res alia quae sit differentia determinans ipsum, *sicut forma determinat materiam quae est una numero:* sed quia genus significat quamdam formam, tamen non determinate hanc vel illam quam determinate differentia exprimit, quae non est alia quam illa quae indeterminate significabatur per genus „.

sit mere actualitas et non sit alicuius actualitas, est et debet esse infinita in propria ratione reali. Si non est ergo infinita, *independenter a consideratione intellectus* debet esse alicuius, seu debet esse recepta in aliqua potentia: haec autem potentia, *independenter a consideratione intellectus,* debet opponi tali actualitati, sicut opponitur esse receptivum et non esse receptivum, scilicet sicut *esse et non esse* in ordine reali, *quod est realiter distingui.*

VII. *Ex impossibili conceptu ipsius entis ab alio.* Fatetur enim p. P. quod esse non sit praedicatum essentiale entibus creatis quia habent esse ab alio: " utrum vero ab alio habeant esse realiter identicum cum essentia, quatenus habere esse ab alio nihil sit aliud quam produci ipsam essentiam in rerum natura: an vero realiter distinctum, quatenus habere esse ab alio sit *produci essentiam* et *in ipsa et cum ipsa entitatulam* aliam ab ipsa, hoc demum ex illa responsione non definitur „ — quod est dicere: utrum creaturae habeant esse *receptum sine esse recepto,* an *esse vere receptum* in ipsa essentia, non satis constat: (et nihil dicimus hic circa illam puerilem imaginationem *entitatulae* superadditae *essentiae iam productae,* quod semper in mentem revocat *Adamum et Evam* Dominum adeuntes ut creentur ab Ipso). Sed meliora sunt quae adduntur: " Certe entia creata non solum *το' esse,* sed ipsam essentiam habent ab alio. Non habent autem ab alio essentiam, quasi vero simul cum essentia debeat in ipsis poni alia entitatula in ratione essentiae ab ipsa realiter distincta. Ergo neque necessario debet poni *esse,* tanquam aliquid realiter distinctum „. Ex quibus patet quomodo *esse ab alio* concipiatur a p. P. tanquam vinum quod recipitur in lagena; et iure quidem miretur quomodo qui donavit vinum non donaverit et lagenam; vel si lagena dici potest donata sine aliqua entitatula distincta ab ipsa, cur non idem dici debeat de vino? — Sed mirum non est si tam absurda cogitet de hoc quod est *esse ab alio,* ille qui definivit actum: *ens, quod est id, quod esse potest,* potentiam vero: *ens, quod non est id, quod esse potest.*

VIII. *Ex oppositione ordinis metaphysici ordini physico seu reali.* Perpetuo p. P. opponit ista duo: quasi ordo metaphysicus

idem sit ac ordo logicus. Si quando Thomistae abusive hoc modo locuti sunt, hoc certe est prorsus novum in doctrina S. Thomae, pro quo ordo metaphysicus est ordo summae realitatis: ordo physicus autem est ordo respiciens ens mobile: etc.

IX. *Denique* plurimae aliae assertiones, primis principiis metaphysicae repugnantes, tum apud p. P. tum apud reliquos osores distinctionis realis, passim inveniuntur: ita ut impossibile prorsus sit eas singillatim enumerare [1]); sed ea quae hic dicta sunt, et quae deinceps in solutione difficultatum etc. dicemus, sufficiunt ut appareat cuius ponderis sint argumenta quae contra doctrinam S. Thomae proferuntur.

252. II. **Iterum probatur thesis, solutione ipsa omnium praecipuarum difficultatum.**

Ob. 1ª. Essentiae actuali conveniunt eadem, praedicata, quae tribui solent existentiae (ut esse extra causas, esse contingens, etc). Ergo est idem quod illa.

Resp. *N.A.*, vel *D.A.:* omnia *N.A.;* quaedam *Sbd.:* et haec diverso modo *C.A.;* eodem modo *N.A.*

Essentia est extra causas *ut quod,* existentia *ut quo;* scil. est illud ipsum quo essentia singularis seu suppositum, et ratione eius quidquid in eo designari potest, est extra causam, universalia enim designantur per intellectum in singularibus et in eis sunt.

Ob. 2ª. Essentia realis et non possibilis, etiam distincta ab existentia, est aliquid extra causas. Sed quod est extra causas existit. Ergo essentia realis etiam distincta ab existentia existit.

Resp.: *C.º totum,* hoc enim defendimus, quod essentia realis existat per existentiam, tamquam per principium *quo existit,* et a quo realiter distinguitur. Deberet ergo poni in obiectione *separata* ab existentia, vel *independenter ab existentia,* vel *quin existentia seu actus essendi exerceat suum effectum formalem in*

---

[1]) Praesertim cum opus *criticum* hic non intendamus: quod quidem opus ceterum inutile prorsus reputamus. Nam cum errare contingat infinities, ut dicit Philosophus, mirum esse non debet eos qui a linea recta declinant plura falsa et invicem contradictoria proferre quorum sollicitum esse, sapientis non est. — Ceterum quae de natura erroris in Logica diximus, [653.5] hic quam maxime revocanda sunt.

ipsam. Tunc vero negatur maior, quae idem sonat ac si diceretur: *essentia realis etiam quin existat, existit.*

NB. Quando dicimus essentiam in creaturis realiter distingui ab existentia, nomine essentiae intelligimus naturam etiam singularem cuiuscumque individui in ultima sua designatione substantiali, quo tantum modo potest esse subiectum actus essendi, ut enim diximus cum S. Th. in princ. de actu et potentia: " Impossibile est aliquid esse in actu nisi omnibus existentibus (seu concurrentibus) quibus esse substantiale designatur „.

Ob. 3ª. Contradictio est essentia realis, et *per se* non existens. Ergo essentia realis existit per se, et *non per actum aliquem essendi superadditum.*

Resp.: *N.° Antec.*

Prob. Antec. Essentia realis sua realitate est extra nihil. Ergo sua realitate existit. Ergo *per se,* et non per actum essendi existit.

Resp.: *N.M.* — Sed per actum essendi a se distinctum. Sic enim intelligi debet maior propositio in subiecta materia, quod scil. essentia sit realis et extra causas *non per aliquem actum a se distinctum.*

Nota tamen quod etiam possibilia pertinent ad ordinem entis *realis* — in obiectione autem illud " reale „ accipitur ad significandum " existens „ et sic propositio aequivalet huic: Essentia existens, ipsa sua existentia est existens, quod commode sic distingui potest: *sua* existentia, nempe quam habet *C.M.;* quae ipsa est *N.M.* — Paries etiam ipsa *sua* albedine est albus, scil. *sua,* quam habet, non autem est ipsa sua albedo propter hoc. — Sed si bene perpendis ipsa maior syllogismi non est nisi gratuita affirmatio contradictoriae theseos — quod autem gratis asseritur, gratis negatur.

Ob. 4ª. " Non potest aliquid constitui ens simpliciter.... re quapiam a se distincta. Atqui existentia est id quo essentia constituitur ens simpliciter..... Ergo essentia non est res distincta ab existentia „.

Resp. *D.M.* Non potest aliquid constitui ens simpliciter re quapiam a se distincta, quae non se habeat ad ipsum ut actus

ad potentiam *C.M.;* quae se habeat ad ipsum ut actus ad potiam *N.M.* — Potest enim aliquid constitui ens simpliciter et de facto constituitur per actum essendi, qui se habet ad rem, quae est sicut actus ad potentiam; unde probavimus quod actus et potentia sunt principia entis, et constituunt primo ens, et faciunt unum simpliciter.

Vel dic: Non potest aliquid v. gr. hic homo, constitui ens simpliciter..... re quapiam a se distincta, quae sit omnino alia res, id est alia substantia, v. gr. non potest hic homo constitui ens simpliciter illo ansere vel mure ab ipso distincto et separato *C.M.* Non potest hic homo constitui ens simpliciter per animam realiter distinctam a materia eius quam informat, et per actum essendi realiter distinctum ab essentia eius completa, secundum quam competit ei esse *N.M.* — *C.m.* — *D.C.* Distincta ut una substantia ab alia, v. gr. homo a lapide *C.C.;* ut actus a subiecto quod actuat *N.C.* — Qui non distinguit, seu non agnoscit distinctionem nisi qua res a re distinguitur, nil mirum si neget distingui, quae non distinguuntur nisi *ut quo* est et *quod est,* quorum alterum se habet mere ut principium actuale realiter distinctum ad subiectum cui inest et quod actuat.

Ob. 5ª. " Illud quo res est extra nihil, adeoque extra causas ponitur, est, diciturque existentia. Atqui res extra nihil, adeoque extra causas ponitur actuali sua essentia. Ergo existentia et actualis essentia reipsa unum sunt „ [1]).

---

[1]) Actuali essentiae, dicit P. Urràburu (loc. cit.) ob suam formalem rationem essentiae physicae et realis, conveniunt illae proprietates, quae tribui solent existentiae: ut e. g. secundum entitatem suam *non est aeterna,* non inest creaturae nisi *propter efficientiam* Creatoris, et quidem *contingenter* etc. Ergo ex sua formali ratione actualis, essentia existit, ideoque re non differt ab actu existentiae.

Responsio, ut patet, semper desumenda est ex trito exemplo Adami et Evae postulantium a Domino ut creentur. Talia enim praedicata praecise competunt essentiae creatae (adde, si vis, *ob suam formalem rationem physicam* etc.) praecise quia est essentia non identificata realiter cum suo esse. Si enim esset identificata cum suo esse, ob suam formalem rationem physicam etc. et esset aeterna et necessaria etc.

Insistit Urràburu asserendo quod essentia A sine ullo actu B exi-

Resp. *C.M.* — *D.m.* Quae est actualis per actum essendi, qui ab ea distinguitur, quamvis intime eam afficiat *C.m.* actuali sua essentia, quae sit actualis independenter ab actu essendi, qui intime eam afficiat *N.m.* — Nullus actus, et nullum compositum est in actu nisi in quantum est, ut diximus in principiis de actu et potentia, unde esse ad omnia comparatur ut actus, etiam ad ipsas formas secundum omnes gradus perfectionis, quos tribuunt subiecto, et intantum aliquid significatur in actu in quantum esse significatur. (Confr. quae ibi habentur). Nihil enim est in actu nisi in quantum participat de primo actu.

Ob. 6ª. Si essentia esset distincta ab existentia, Deus duo crearet et coniungeret etc.

Resp. *D. assertum:* Si esset distincta eo modo, quo lignum et lapis, homo et canis sunt distincta *C. Ass.* — Si sunt distincta ut actus et potentia *N. Ass.* — Illud enim creatur, quod est, et illud est, quod habet esse, quod autem habet aliquid, subiectum est, subiectum autem potentia, quae ab actu in ordine reali realiter distinguitur.

Ob. 7ª. Esse dicitur recipi in essentia: sed non posset in ea recipi nisi essentia esset. Ergo hic actus, qui est esse, supponeret essentiam iam existentem ac proinde frustra ponitur.

Resp. *D. Ant.:* Quatenus sequitur ad actum seu formam, qua essentia constituitur. *C.A.* quasi possit dari essentia constituta per formam substantialem, et adhuc non existens, sed expectans actum essendi, qui in ea recipiatur *N.A.* — (Non enim fingimus Adamum adeuntem Dominum et exorantem ut creet). — *N.C.*

---

stit, quia essentia A "cum non sit pure possibilis, iam est aliquid in se et extra nihilum et extra causas etc„; cui respondet aliquis Thomista quod essentiae competit esse viale et imperfectum..... — Sed melius est dicendum, ut supra, arguentem iam Adamum creatum dipinxisse; et ideo nonnisi ridicule quaerere actum creantem.

Sed insistit U.: "Si sufficit ut res sit producta ad hoc ut eo ipso dicatur existere, iam essentia seipsa existit, nam seipsa est terminus creationis„.

Responsio patet ex dictis: certe ut res sit (nisi sit ipsum Esse) nihil aliud requiritur nisi ut sit producta, seu ut recipiat esse, per quod habet ut et ipsa sit, et ipsa terminus sit creationis etc.

Ad unamquamque formam sequitur esse: acquirere formam, est acquirere esse, non enim forma aut compositum sunt in actu, nisi in quantum sunt vel eis aliquid est. Essentia primo fit in actu per hoc quod esse incipit. Ecce habes vinum, quod in acetum convertitur per actionem naturalium agentium: non faciunt naturalia agentia prius essentiam aliquam, quae non habeat esse, et dein esse aliquod existentiae, quod ipsi essentiae apponant eique coniungant; puerilis huiusmodi est imaginatio. Naturalia agentia circa vinum ipsum operando, perducunt materiam, quae erat sub forma vini, ad hoc quod transeat ad formam aceti; acquirere autem formam aceti, est acquirere esse aceti: ad unamquamque enim formam sequitur de necessitate esse secundum illam formam. Et intantum incipit esse aceti, et desinit esse vini, in quantum formae vini succedit forma aceti, constituens novum compositum pro cuius diversitate diversificatur actus essendi in eo receptus. Cfr. ob. 17[m] et adhibe etiam hic solutionem, quae ibi habetur.

Ob. 8[a]. Si essentia realitas quaedam est distincta ab existentia realiter, poterit virtute divina esse altera sine altera. — Atqui hoc repugnat. Ergo non distinguuntur realiter.

Resp. *D.M.* Si est realitas quaedam eo modo quo hic lapis est realitas quaedam, et distincta realiter ab existentia, ut ille felis distinctus est ab hoc lapide, poterit virtute divina etc. *C.M.* si sit realitas distincta, quo modo sunt realitates distinctae actus et potentia. *N. prorsus M.* — Quam proinde etiam simpliciter negare potes. — Sic anima bruti, realiter distinguitur a materia prima, nec tamen virtute divina conservari potest sine illa — et materia prima pariter conservari non potest sine ulla forma, haec enim implicant esse et non esse.

Ob. 9[a]. Existentia distincta ab essentia est realitas aliqua. *Hoc posito sic arguitur.* Ipsa existentia profecto existit. Ergo aut existit per se, aut per aliquid superadditum. Si per aliquid superadditum eundum esset in infinitum, nam etiam illa existentia, qua haec existentia existit, et ipsa existere debebit per aliam existentiam etc. Si autem existit per se, habetur intentum quod aliquid creatum sit suum esse.

Resp. *C. assertum* vel *D. ass.* Est realitas aliqua, h. e. actus

aliquis, qui est unice, *quo aliquid existit C. ass.* est realitas aliqua, h. e. substantia aliqua, vel accidens aliquod *N. ass.*

Ad argumentum *D.A.* Existit ut quo, seu est quo existit id quod existit *C.A.* existit ut quod existit *N.A.* — *N.C.* — Existere enim per se, vel per aliud, est eius *quod existit*, existentia autem est solum *quo* aliquid existit. Et sic neque existit per se, ut quod, neque eundum est in infinitum, quasi aliquo alio sit, quod se habet solum, ut *quo* aliquid est (Cfr. quae dicuntur de relatione etc.).

Ob. 10ª. " Essentiae actuali, ut ab existentia distinctae, competit actu illud praedicatum, per quod ab existentia distinguitur. Sed actu rei competere praedicatum, est actu rem esse: a categorica enim de inesse, et de tertio adiacente, cuius praedicatum nec distrahit, nec diminuit, tenet universim ad categoricam de secundo; ergo essentia actualis, ut distincta ab existentia, per se ipsam est „.

Resp. Nego absolute quod teneat consequentia a praedicato essentiali ad existentiam subiecti. Ut enim diximus in quaestione de universalibus, ubi egimus de triplici consideratione naturae, esssentia ut praescindit ab hoc quod est esse in re, vel in intellectu, suscipit praedicata essentialia. Et sic non valet: Circulus (I) est (II) incommensurabilis (III) lateri. Ergo (I) est (II) seu existit. (Quarum I.ª est de 3.º adiacente, altera de 2.º)

Ob. 11ª. Essentia abstracta (separata) ab existentia ad nihilum reducitur: Ergo idem est quod illa.

Resp. *C.A.* — *N.C.*

Ob. 12ª. Essentia ut distincta ab existentia non potest dici esse. Ergo nihil est.

Resp. *N.A.* ipsa enim dicitur esse per existentiam, quam habet, quamvis distinguatur ab ea.

Ob. 13ª. Si essentiae entitas esset alia ab entitate existentiae, qui conciperet ens, necessario deberet concipere compositum ex duobus. Atqui hoc falsum est. Ergo essentiae entitas non est alia ab entitate existentiae.

Resp. *D.M.* Implicite *C. seq. M.* explicite *N. seq. M.* — *Cdm.* — *N.C.* — Revera qui concipit de aliquo " ens „ concipit quod sit

aliquid cui competit esse, hoc autem importat et id quod habet esse, seu subiectum actus essendi, et ipsum essendi actum: unde secundum modum significandi, nomen ens, sicut et quodlibet aliud a nobis impositum, non competit Deo.

Ob. 14ª. S. Th. probat in IVº *Metaph.* " Quod substantia rei sit una, *et ens per seipsam,* et non per aliquid additum „.

Resp. *D.A. per seipsam scil. est aliquid cui competit esse C.A.* est esse *N.A.* — Nomen entis significat essentiam, et solum connotat esse, ut illud per ordinem ad quod nomen essentiae et nomen entis imponitur. Cfr. dicta de ente in initio Metaph.

Ob. 15ª. Existentia essentiae realis non est aliquid abstractum, sed concretum. Ergo haec ipsa existentia est id quod existit. Sed id quod existit est ipsa essentia, ut tu concedis. Ergo essentia est ipsa existentia.

Resp. *D.A.* h. e. non est existentia subsistens extra subiectum, sed inhaerens subiecto, seu supposito, ut actus quo illud est *C.A.* — Non est aliquid abstractum, sed concretum prout abstractum et concretum sunt differentiae nominum *N.A.* — (Imo existentia est nomen abstractum non concretum, concretum enim esset existens. Sed prorsus inutiliter recurritur hic ad concreta et abstracta). *N.C.* — *Dist. min. subs:* id quod existit est essentia seu hoc individuum singulare (sic enim accipimus hic essentiam) quae tamen existit per existentiam, qua actuatur *C.m.s.* quae per seipsam existat et non per actum essendi in ea receptum *N.m.s.* — *N.C.* — Argumentum valet sicuti hoc: Albedo realis quae est in hac charta non est aliquid abstractum sed concretum. Ergo ipsa est id quod est album. Sed id quod est album est haec charta. Ergo albedo est ipsa haec charta. — Habes putidum sophisma, in quo incurritur fallacia accidentis. Albedo huius chartae est, qua haec charta est alba, haec vero charta est id quod est album per illam; et cum hoc, stat optime quod albedo, qua haec charta est alba, realiter distinguatur ab ipsa charta ut actus a subiecto (secus probabis etiam ex concretis quod hic homo quia concrete dicitur vestitus sit ipsa vestis).

Ob. 16ª. Quod est reale et non mere possibile existit, sed essentia de qua hic, etiam ut distincta ab existentia, est realis

et non mere possibilis. Ergo, etiam ut distincta ab existentia, existit. Ergo, vel existit sine existentia, vel illa existentia, de qua est sermo, non est ea, qua primo essentia existit, sed superveniret essentiae existenti.

Resp. *D.M.* Vel ut quo, vel ut quod *C.M.* solum ut quod *N.M.* — *C.m.* — *D.C.* existit per actum essendi, *quo* existit *C.C.* per seipsam et sine tali actu *N.C.* (Per hoc quod dicitur, *ut distincta,* non excluditur quod existentia realiter ab ipsa distincta, ut actus a potentia, exerceat in ipsam suum effectum formalem. — Sed qui sic arguunt pro eodem habere videntur " *distincta* „ et " *separata* „. Substantia, quae realiter distinguitur ab albedine, ipsa tamen est alba albedine realiter distincta eique inhaerente ad modum actus accidentalis ; separata autem ab albedine, profecto non est alba; sic est in casu.

Solum prae oculis habeas actum essendi non esse accidentalem sed sui generis actum, qui necessario consequitur formam. (Cfr. pro hoc ea, quae dicuntur de actu essendi in principiis de actu et potentia) *N. ultimam conseq.* — Hoc singulare in genere substantiae est id quod simpliciter existit, actus autem essendi est principium actuale, quo existit. — Si essentia consideratur ut abstracta a notis individuantibus, potius quam id quod existit, vel id quo existit aliquid, dici debet id secundum quod alicui competit esse ; Petro enim secundum essentiam suam competit esse hominem.

Ob. 17[a]. Effectus formalis supponit subiectum in quo fiat. Sed effectus formalis existentiae, si haec ad essentiam se haberet ut actus, esset hoc ipsum quod essentia primo daretur. Ergo deberet existentia simul supponere et non supponere subiectum idest essentiam.

Resp. *D.M.* Effectus formalis supponit subiectum tempore prius in quo fiat *N.M.* natura prius *Sbd.* in genere causae materialis *C.M.* in alio genere causae *N.M.* — *C.m.* — *D.C.* deberet simul supponere et non supponere subiectum idest essentiam prius tempore *N.C.* prius natura *Sbd.* in genere causae materialis *C.C.* in genere causae formalis vel cuiuscumque alterius causae *N.C.*. In prima creatione v. gr. alicuius creaturae, simul tempore fuit essentia eius et existentia, sed essentia fuit

causa existentiae in genere causae materialis, et existentia essentiae in genere causae formalis, causa enim materialis et formalis sunt sibi invicem causae: et causa quaelibet natura est prius effectu, etiamsi tempore cum eo simul existat, et sic in diverso genere essentia supponit existentiam et existentia essentiam. Cfr. quae notavimus de actu et potentia sub [n. 156] praes. *dices* 2°.

Idem dicendum etiam quando per naturalem generationem aliquid primo acquirit esse substantiale, non enim prius tempore materia habet formam aceti quam esse aceti, sed simul tempore seu in eodem instanti utrumque consequitur, sed in genere causae materialis prius natura est acetum constitutum per formam quam esse aceti. Teneas generatim non solum pro praesenti difficultate sed pro omnibus, quod ultima dispositio materiae ad formam secundum quam materia *appropriatur* formae, seu est *propria* materia, seu *proprium* subiectum talis formae (seu universalius potentia propria talis actus) semper est simul tempore cum forma (posita enim causa habetur effectus); et est simul effectus et causa formae in diverso genere causalitatis et sic prior et posterior secundum diversos respectus. Posterius autem supponit id quod est prius, unde nullum inconveniens est, imo necessario poni debet quod essentia constituta et supponitur seu praesupponitur existentiae et simul existentiam praesupponit ut sit.

Ob. 18ª. Existentia creata est et ipsa aliqua entitas, seu essentia. Sed non potest realiter distingui a sua existentia. Ergo non est de ratione essentiae creatae quod distinguatur realiter ab existentia.

Resp. *D. 1ªm p. M.* Est aliqua entitas prout ens analogatur ad *ens quo* et *ens quod C. 1ªm p. M.;* est aliqua entitas seu ens aliquod *quod est N. 1ªm p. M.* — *D. 2ªm p. M.:* Est aliqua essentia prout nomen essentiae analogatur quodammodo ad omnia *Trans. 2ª p. M.;* est aliqua essentia ut nunc loquimur de essentia in oppositione ad existentiam *N. 2ªm p. M.* — *C.m.* — *D.C.* Non est de ratione essentiae, si ita vocare liceat, quae est existentia creaturae, quod realiter distinguatur ab existentia *C.C.* essentiae, prout hic sumitur in oppositione ad existentiam *N.C.*

— Si adversarius concedit quod existentia sit aliqua alia essentia ab ea essentia cuius dicitur existentia, plus habemus quam volumus, et existentia erit non modo distincta ab essentia ut actus a potentia sed ut alia et alia essentia, alia et alia res in re completa. — Respondeas ergo breviter adversario : cum loquimur de distinctione reali inter essentiam et existentiam, nomine essentiae intelligimus naturam particularem creatam non quodcumque cui quomodocumque nomen essentiae aptari possit. — Existentiam autem non dicimus existere ut quod existit, sed mere ut quo existit id quod existit.

Brevius : D. existentia est aliqua essentia *quodammodo C.* vel *Trans. maior. Simpliciter N. M. — C.m. — D.C.* essentiae quomodocumque acceptae *C.C.* — simpliciter dictae ut nunc loquimur de essentia *N.C.* — et explica ut supra.

Ob. 19ª. Essentia realis considerata in praecisione ab existentia, vel est extra causas, vel non. Si extra causas, iam existit, ideoque ad existendum non eget existentia aliqua a se distincta. Si non est extra causas, iam non est essentia realis, sed solum possibilis. Ergo essentia realis non est realiter distincta a sua existentia (*P. Palmieri*).

Resp. *C. disiunctionem Mˢ* (Est extra causas quatenus tamen actus essendi ab ea realiter distinctus exercet in eam suum formalem effectum. — *D. 1ᵃᵐ p. minoris :* iam existit per actum essendi, distinctum quidem (sic intellige illam *praecisionem*), sed non separatum et qui exercet suum effectum formalem in ipsam *C. 1ᵃᵐ p. min. ;* iam existit quin actus essendi ab ea realiter distinctus exerceat suum formalem effectum in ipsam *N. 1ᵃᵐ p. min.* et consequenter nego illud quod additur " ideoque etc. „ — *C. 2ᵃᵐ p. min. — N.C.*

Si quis interrogat : Essentia haec huius rei existentis estne realis, extra causas etc. ? respondeo *affirmative.* Cum autem ipse concludit : ergo non est opus aliquo actu in ea recepto, ad hoc ut existat, ridicule concludit. In tantum enim respondeo essentiam hanc esse realem et extra causas, quatenus eam in hoc existente accipio, seu in quantum actus essendi exercet in eam suum effectum formalem, quod nisi foret, responderem nihil esse, nihil dari. Sic arguebat quidam vespere cum in cubiculo esset apud

magistrum. Interrogabat iste an liber realiter esset illuminatus ipse in se? et cum ille iterum et tertio respondisset esse profecto realiter in se illuminatum, — ergo lumine opus non est — dixit magister, et lumen extinxit, et in tenebris finita est quaestio. Sicut sub lumine realiter illuminatur haec charta, ita sub actu essendi, essentia, quamvis realiter distincta ab ipso actu essendi, est realis et extra causas existit [1]).

Ob. 20ª. In tantum essentia dicitur egere existentiae a se distincta, ad existendum, in quantum essentia secundum se considerata est indifferens ad existendum vel non existendum. Sed etiam quaelibet existentia creata est indifferens ad essendum vel non essendum, cum nihil creatum necesse sit existere. Ergo propter eandem rationem adstrui deberet processus in infinitum in existentiis, quod repugnat.

Resp. *D.M.* Indifferens non solum ea indifferentia, quae pertinet ad potentiam obiectivam, sed etiam ea, quae propria est potentiae subiectivae *C.M.* indifferens solum ea indifferentia, quae propria est potentiae obiectivae *N.M.* — *D.m.;* ea indifferentia, quae pertinet ad potentiam obiectivam *C.m.* ea indifferentia, quae propria est potentiae subiectivae *N.m.*

Actus enim essendi ad nullum comparatur ut potentia et ut recipiens cum sit ultima rei actualitas. Nihilominis tota haec res, quae nunc existit cum omni sua actualitate, etiam ultima qua nunc est, fuit in statu possibilitatis, qui venit nomine potentiae obiectivae, non autem potentiae subiectivae — *C. rationem additam,* quae probat existentiam ipsam creaturae esse aliquo modo in potentia obiectiva, seu in statu possibilitatis, ut principium quo, possibile existere *ut quo,* non autem *ut quod* — *D.C.* adstrui deberet processus in infinitum in existentiis si existentia

---

[1]) " **Quaero** ab adversariis num creatura participet vel recipiat a Deo essentiam suam, prout ab existentia distinctam, necne. Si affirmes: ergo, inferam, creatura debet re distingui ab essentia sua: si neges: ergo creatura habebit essentiam realem non a Deo sed a se „. (Urràburu *Ont.* d. 4. c. 1).

Resp. Quaero ab adversario, num paries participet, vel recipiat a sole esse illuminatum, prout a luce distinctum, necne. Si affirmes: ergo, inferam, esse illuminatum debet re distingui a seipso: si neges: ergo paries habebit esse illuminatum non a sole sed a seipso.

existere *ut quod* existit per actum essendi in ea receptum tanquam in potentiam subiectivam, seu si esset indifferens ad essendum ea indifferentia, quae pertinet ad potentiam subiectivam *C.C.* si est indifferens *tantum* ea indifferentia, quae pertinet ad potentiam obiectivam quae potius dicitur possibilitas *N.C.*

Ob. 21ª. Essentia realis, quae esset realiter distincta ab existentia foret aliquid medium inter ens possibile et existens. Sed inter ens possibile et existens non datur medium. Ergo essentia realis non est realiter distincta ab existentia.

Resp. *N.M.* Esset ens existens per existentiam in ipsa receptam, quo modo actus est in subiecto seu potentia. Patet ex praecedenti solutione. Tum essentia, tum existentia huius existentis non sunt in statu possibilitatis, seu potentiae *obiectivae,* et nihilominus essentia eius ad existentiam se habet, ut potentia *subiectiva.*

Ob. 22ª. Dicere essentiam realem esse realiter distinctam ab existentia, idem est ac dicere: id quo aliquid est physice haec res differt ab eo, quo est physice hoc ens. Sed hoc est absonum. Ergo.

Resp. *N.M.* — Quandoquidem per illud *" physicum „* intelligunt adversarii actu existens. - Secus profecto tenemus quod haec natura per aliud constituatur in sua specie, praesertim si sermo sit de natura aliqua corporea, et per aliud constituatur actu existens, quamvis hoc quod est esse, seu existere, sequatur ad formam, ut dictum est in principiis de actu et potentia.

Ob. 23ª. Omnia quae afferuntur ad probandum quod entitas essentiae physicae (realis) sit potentia quaedam ad actum existentiae, si quid probant, hoc unum probant, essentiam creaturae *intelligibilem* non continere in suis notis constituvis notam existentiae, sed potius indifferentiam ad existendum. Sed hoc probat solum quod essentia existens et essentia *idealis* distinguuntur realiter, ut ens in potentia et ens in actu, non vero quod essentia *realis* distinguatur ab existentia. Ergo quod entitas essentiae sit potentia ad existendum non probatur, sed gratis asseritur.

Resp. *N.M.* — Probant enim essentiam creaturae actu existentis realiter distingui ab existentia, qua actu existit. — Repete argumentum quo thesim probas. Tamen etiam in statu intelligibili,

si recte intelligis, res eodem prosus modo se habere debent sicut de facto se habent. — Quando autem obiiciens subsumit " hoc probat solum quod essentia existeńs et essentia idealis distinguuntur realiter, ut ens in potentia et ens in actu „ nomine potentiae intelligit potentiam *obiectivam,* seu possibilitatem. — Hoc attende. — Aliud autem probavimus. Et esse in potentia hoc modo, competit non solum potentiae subiectivae, sed etiam actui, qui non sit purissimus, et compositis ipsis ex potentia et actu. Unumquodque enim tunc proprie est in actu, quando est, cum esse sit actualitas omnium actuum et sic ultima cuiusque actualitas, quae ad omnia comparatur ut actus — Etiam occasione conclusionis affer iterum probationem ut appareat nos gratis non asserere quod asserimus.

Ob. 24ª. *Essentia* realis nihil aliud est, quam ipsa essentia producta a sua causa. Sed etiam *existentia* realis nihil aliud est, quam ipsa essentia producta a sua causa. Ergo essentia realis idem est ac existentia.

Resp. *D.M.* Producta i. e. habens existentiam a sua causa per actionem eius *C.M.* producta quin per hoc habeat esse seu existentiam *N.M.* — *D.m.* existentia realis cum essentia *reali* (non enim sumus in imaginariis) facit ens unum per se *C.m.* proprie loquendo nihil aliud est quam ipsa essentia producta *N.m.* — *N.C.* — Ceterum sufficit declarare iterum verbum illud *reale.* Reale enim dicimus quod non est quid fictum unice a ratione. Porro in re aliqua producta et realiter existente distinguimus duo principia realia quorum alterum se habet, ut actus, et alterum, ut potentia.

Quo posito, dico : *C.M.* - *N.m.* - Non enim existentia est ipsa essentia sed est, *quo* essentia de facto existit. - *N.C.* - Et explico per ea, quae supra diximus : *Essentia producta* est essentia cum existentia, et sic non est idem cum existentia et luditur in verbis.

Ob. 25ª. Ex hoc quod essentia creata sit ipsum suum esse non sequitur quod sit ei essentiale ut actu sit, sed solum quod si est producta, nequit non esse. Ergo falso asseritur distinctionem realem essentiae et existentiae necessariam esse ad salvandam contingentiam rei creatae.

Resp. *N.A.* Si enim est suum esse, esse eius non est receptum in subiecto ; si non est receptum in subiecto seu in potentia subiectiva non est limitatum, et est actus purus ; sed actus purus in ordine essendi est actus purus in ordine ultimo actualitatis et perfectionis (quae omnia probavimus in principiis de actu et potentia) et est infinita perfectio et primum ens, prima causa, ens necessarium, *existens vi formae suae* etc. etc. et *sic est ei essentiale quod actu sit.*

Ob. 26ª. Plane non intelligitur quid sit ista realis potentia quae in distinctione ab existentia non sit iam per seipsam existens hoc ipso quod non est in causa sed extra causas. Ergo admitti non potest etc.

Resp. *N. Antec.* Plane enim intelligitur quod est ipsa haec res seu essentia quae existit quatenus subest actui a quo habet quod de facto detur ut id quod existit, et quidem quod existit non per seipsam, independenter scilicet ab actu *quo* existit — *N.C.*

Ob. 27ª. Entitas realis essentiae quae dicitur in composito dari ut realis potentia existentiae, etiam spectata in *distinctione* ab existentia, non est nihil, non est quid mere possibile, non est solum in causa, sed est aliquid reale physicum extra causas ; sed profecto si huiusmodi est, dici iam debet existens etiam *in praecisione* ab existentia quae dicitur cum eo componere. Ergo.

Resp. Solvimus iam supra, extinguendo lumen. Si nomine praecisionis intelligit adversarius *separationem,* scis quid debeas respondere. — Si vult solum quod *in distinctione* sit realis, quatenus actus essendi exercet in ipsum suum formalem effectum, et nos hoc volumus. — Sed per te responde.

Ob. 28ª. Non repugnat quod actualis entitas producta a Deo, licet finita, sit entitas simplex.

Resp. *N. ass.* (Cfr. dicta de actu et pot.) Vel : *D.A.* Simplicitate excludente pluralitatem entium *C. ass.* ; excludente pluralitatem principiorum *N. ass.* (Intelligendo nunc nomine *entitatis actualis,* rem aliquam productam a Deo — quia secus v. g. actus vel forma quaelibet potest aliquo modo vocari entitas actualis, et est simplex ; sed non illud quod ex actu et potentia componitur, seu ens creatum).

Ob. 29ª. Existentia debet esse intima ipsi existenti. Sed si

realiter distinguitur ab ipsa essentia reali, non esset ei intima. Ergo nec esset eius existentia.

Resp. *D.M.* Hoc est, debet esse ipsi existenti intima *ut actus eius C.M.; ut idem ipsi N.M.* - *Cdm.* Si etc. non esset ei intima *ut idem ipsi C.m.; ut actus eius N.m.* - *N.C.* - Existentia, utpote actus, exercet suum effectum in essentiam, et sic eam intime pervadit; non enim veluti situaliter distinguuntur actus et potentia; sed ut perfectio et perfectionis subiectum quod ipsum perficitur per actum. Si autem existentia conferatur cum ipso supposito, adverte quod suppositum definitur subsistens distinctum. Sed quandoque hoc quod dico *subsistens* accipitur *formaliter* a subsistendo, quandoque *denominative* tantum. Et primo modo esse actualis existentiae, intimum est supposito ut constituens in ratione subsistentis formaliter et actualiter; secundo modo eidem intimum est solum ut exercens suum effectum formalem in ipsum. — Sed haec alibi declarantur et hic omitti possunt, non enim hic quaerimus de supposito ut sic, quo modo se habeat ad hoc quod est esse, an scilicet includat vel non includat in suo conceptu existentiam, sed quaestio est unice an in rebus creatis essentia particularis realiter distinguatur ab existentia.

Potes optime etiam hoc modo distinguere:

D.M. Existentia debet esse intima ei quod existit (quod proinde est unum per se) *C.M.; essentiae eius Sbd.:* scilicet immediate essentiae unitae et intime eam afficiens *C.M.;* eidem identificatae *N.M.* - *Cdm.* Non esset intima ei quod existit *N.m.;* essentiae eius *Sbd.:* h. e. non esset ei idem seu identificata cum ipsa *C.m.;* non esset ei unita immediate, intime eam afficiens, faciens unum simpliciter cum ipsa *N.m.* — *N.C.*

Ob. 30ª. Non potest res aliqua intrinsece et formaliter constitui in ratione entis actualis et realis per aliquid aliud distinctum ab ipsa. Sed si essentia realiter distingueretur ab existentia, ipsa constitueretur intrinsece et formaliter in ratione entis realis et actualis per aliquid a se distinctum. Ergo essentia non distinguitur realiter ab existentia.

Resp. *D.M.* (ut supra ob. 4) nempe distinctum ut lepus a cane *C.M.;* ut actus a potentia *N.M.* - *Cdm.* - *N.C.* Et tamen hoc est Achilles adversariorum.

Ob. 31ª. Hoc ipso quod unum distinguitur ab alio realiter ut ens ab ente, utrumque habet quod sit ens ut condistinctum ab alio. Sed quod habet quod sit ens ut condistinctum ab alio nequit per illud constitui ens. Ergo hoc ipso quod realis entitas essentiae est realiter distincta ab existentia nequit constitui per existentiam.

Resp. *D.M.* Ut ens *quod* ab ente *quod C.M.;* ut ens *quo* ab ente *quo* vel ut quod est per aliud, ab eo quo vel per quod est *N.M.* — *D.m.* Quod habet quod sit ens quod, ut condistinctum ab alio et independenter ab ipso et ab effectu eius formali, nequit etc. *C.m.;* quod habet quod sit ens etc. dependenter ab alio et per effectum eius formalem... *N.m.* — *N.C.*

Ob. 32ª. Quod est possibile, ipsum potest poni extra causas. Sed essentia cuiuslibet rei antequam produceretur erat possibilis. Sed per hoc iam esset existens, quin opus esset ei addere actum existentiae. Ergo inutiliter ponitur actus existentiae ab essentia distinctus, qui constituat essentiam formaliter ut existentem.

Resp. *C.M.* - *D.m.* Scilicet possibilia erant ipsa supposita singularia creata quae nunc sunt et sicuti sunt *C.m.;* essentia ipsa erat possibilis *Sbd.:* se habens in ordine possibilium ad esse suum, ad suppositum etc. sicuti realiter se habet ad ea dum existit *C.m.;* aliter *N.m.* — Universalia enim accipimus per intellectum in singularibus et in ipsis deprehendimus reales quasdam compositiones ut ex materia et forma ex essentia et esse — et quas habent compositiones res existentes, easdem concipimus in possibilibus, et etiam ipsa existentia, ut supra diximus, considerari potest in statu possibilitatis seu potentiae obiectivae, quamvis nullo modo considerari potest proprie ut potentia subiectiva. — *D.C.* Ipsa essentia potest poni extra causas in supposito existente *C.C.;* seorsim et sine actu quo sit in se extra causas *N.C.*

Vel dic: D.M. Quod est possibile, ipsum potest poni extra causas eo modo quo est possibile *C.M.;* alio *N.M.* — *D.m.* Includens respectum ad existentiam qua possit actualiter dari extra causas *C.m.;* aliter *N.m.* — *D.C.* Per actum quo habeat esse extra causam *C.C.;* sine tali actu *N.C.* Et per haec patet quid dicendum ad *min. subs.* et *Negatur ultima conseq.*

Nota. Esse existentiae non recipitur in ipsis possibilibus tamquam in potentia subiectiva — ut somniare videntur qui sic obiiciunt. Omnino alia est consideratio potentiae subiectivae et obiectivae quae dicitur possibilitas. Sic esse scamni, quando scamnum fit ab artifice, non recipitur in aliquo scamno possibili, vel scamno aliquo existente in intellectu artificis, quod artifex proferat in medium ex proprio intellectu ad hoc quod existentia aliqua commode ibi sedeat et sic faciat existere ipsum scamnum possibile vel mente conceptum. Sed lignum accipiens, securi et dolabra format in scamni formam ad quam consequitur esse scamni. — Sic qui acetum vult habere actualiter existentem, non accipit acetum aliquod possibile cui esse existentiae, emptum aliunde, apponat. Sed vino existenti adhibet naturales causas quae alterando vinum perducunt ad formam aceti, quam consequitur esse aceti — et acetum ipsum antequam sit in actu, fuit in potentia quatenus praeexistebat materia ex qua postea factum est acetum. — Et etiam in creatione rerum, non accipiunt esse existentiae possibilia ut sunt in divino intellectu et habent esse divinum, sed primo ex nihilo producuntur res aliquae, quae antequam producerentur, nullo modo existebant; et in Deo non erant aliud, creaturae possibiles, quam ipsa creatrix essentia.

Ob. 33ª. Omnis entitas realis constituitur aliquo esse reali — quia ens ab esse dicitur et ens reale ab esse reali. — Ergo etiam ipsa essentia realis constituitur aliquo esse reali ipsa in se intrinsece.

Resp. *D.A.;* Entitas realis eius quod est solum ut quo constituitur aliquo esse reali *N.A.;* eius quod est quod *Sbd.:* aliquo esse quod intrinsece illud afficiat *C.A.;* quod *idem* cum illo existat *N.A.* — *C. rat. add.,* quae valet de ente quod, non de eo *quo* ens est, nisi quadantenus. — *D.C.* Constituitur realis per esse reale quod ipsi inest, intrinsece eam afficiens *C.C.;* per esse reale quod sit ipsamet essentia *N.C.*

Ob. 34ª. Essentia in statu possibilitatis est quoddam per se possibile independenter ab unione cum altero. Ergo sola produci potuit quin componeret cum alio.

Resp. *N.A.* Possibilis fuit leo cum sua existentia — et nunc

est ipse per eam. — Non enim alio modo res fuerunt possibiles esse, quam eo quo sunt. Sunt autem per hoc quod realiter componuntur ex actu et potentia in ordine essendi; sic ergo fuerunt possibiles esse. — Et quod sic sint, demonstravimus, et argumenta haec adversariorum vim demonstrationis nullo modo infringunt.

Ob. 35ª. Essentia actualis differt a seipsa potentiali immediate per suam entitatem.

Resp. *N. assertum* — ut sonant verba. — Essentia existens habet actum quo existat, ut demonstravimus. — Si urgeat adversarius, pete explicationem ambiguorum verborum, et solutio erit evidens.

Ob. 36ª. Si essentia actualis ex natura rei (realiter) distinguitur ab existentia, etiam esse (existere) essentiae actualis erit distinctum ab esse (existentiae) ipsius existentiae actualis. Et sic oporteret abire in infinitum.

Respondendum ut supra — sequeretur si existentia *existeret ut quod* et non esset mere *quo* existit id *quod* existit. " Exsiccat miseros crambe repetita magistros „. — Ipsa existentia actualis concipitur ab eo qui sic arguit, distincta ab essentia ut lapis ab arbore, si debeat dici distincta realiter. Nos autem dicimus eam distingui ut actum a potentia.

Nota 1ª. Quando inculcant adversarii: essentiae huic productae, reali, physicae nihil opus est addere ut sit existens. — Responde: nihil, si per hoc quod dicitur producta, realis, physica importatur etiam id quo extra causas est, et in se realiter existens et ad ordinem physicum seu naturarum existentium est pertinens *C. Ass.;* secus *N. Assertum.* Sed tunc in sensu quo id concedimus, hoc tantum asseritur quod essentiae habenti actum quo existit, non est opus addere insuper aliam existentiam. — Sic etiam concedimus quod essentia ut distincta ab existentia sit realis, ut pluries diximus, quatenus tamen substat actui essendi a quo habet quod sit extra causas et in se existens.

Idem respondeas cum inculcant: " Essentia producta, posita in ordine reali, per se solam sumpta (praescindendo scilicet a quovis elemento superaddito) iam est aliquod ens, seu entitas actuata in suo esse reali. Ergo est per se solam existens nec distin-

guitur a sua propria existentia ita ut per aliquid superadditum constituatur existens.

Nota 2ª. Argumentum quod supra posuimus ex adversariis habes praeoccupatum a S. Th. I. *Sent. Dist.* VIII. q. I. a 2. ad 2m. " Nulla creatura est per se, sed per aliud. Esse autem non est per aliud, quia si esset per aliud esse, iterum eadem quaestio esset de illo, et sic in infinitum procederet etc. „,

Et respondet: " Ad secundum dicendum quod esse creatum non est per aliquid aliud, si ly *per* dicat causam formalem intrinsecam; imo *ipso formaliter est creatura;* si autem dicat causam formalem extra rem (ideam divinam) vel causam effectivam, sic est per divinum esse et non per se „. Q. III.ª *de Potentia* a. 5º ad 2m. " Ad secundum dicendum quod ex hoc ipso quod *quidditati* esse attribuitur (per creationem) non solum esse, sed ipsa *quidditas* creari dicitur: quia antequam esse habeat, nihil est, nisi forte in intellectu creantis, ubi non est creatura, sed creatrix essentia „. Sic solvit difficultatem qua petebatur ex eo quod quidditas rei sit praeter esse eius et sic videbatur non produci ipsa sed solum eius esse. Et ib. a. 1º ad 17m sic habet " dicendum quod Deus simul dans esse, producit *id quod esse recipit:* et sic non oportet quod agat ex aliquo praeexistenti, (quod esset essentia) „.

Vide etiam quod habet S. Thomas ib. ad 2m quomodo aliquid dicatur in potentia seu possibile secundum quod non habet repugnantiam terminorum vel " propter potentiam activam agentis, *non propter aliquam potentiam passivam materiae* „.

Et *de Verit.* q. 21. a. 5 ad 8 " Esse rei dicitur ens non quia eius sit aliquid aliud esse, sed quia, *per hoc esse,* res esse dicitur „. Et sic non est nisi ut quo vel *per quod* res est.

Ex quibus habes quod cum esse sit actualitas essentiae, oportet quod essentia se habeat ut potentia, ac proinde ut in creatione utrumque producatur et creetur (quamvis non utrumque ut quod) nimirum tam esse quod recipitur, quam essentia quae recipit. Possibilia enim non sunt quaedam potentia subiectiva realis, in qua esse recipiatur tamquam in quodam, etiam solum secundum potentiam *subjectivam,* praeexistente. Si quidem possibilia in Deo nihil aliud sunt quam ipsa creatrix essentia,

et possibilia dicuntur secundum potentiam activam causae (non secundum potentiam passivam materiae) vel secundum habitudinem terminorum.

Prae oculis etiam habeas quod esse non est accidens praedicamentale, potentia enim et actus sunt in eodem genere, et sic esse non est in genere accidentis, sicuti non est in genere accidentis ipsa essentia substantiae, cuius est actus. Sicut enim ait Arist. et cum eo S. Th. saepe repetit, actus et potentia sunt in eodem genere; quod valet vel maxime de actu essendi, qui nullo modo specificat naturam trahens subiectum ad aliquam speciem sive substantialem, ut ita dicam, sive accidentalem, sed est unice quo unumquodque, quodcumque illud est, extra causas sistitur, et pro modo naturae suae est exercite.

Tamen esse non est de quidditate alicuius rei creatae et *pertinet ad quaestionem an est, non ad quaestionem quid est;* unde solum dici potest accidens praedicabile, quomodo dicitur accidens omne quod non est de quidditate et essentia rei. Sed sic accidens dicitur improprie, accidens enim proprie et stricte dictum est accidens praedicamentale.

Ob. 37ª. Etiam existentia est indifferens ad essendum. Ergo vel etiam existentia est distincta ab existentia vel ex hoc quod essentia est indifferens ad essendum, non sequitur quod sit realiter distincta ab esse. (Antonius Trombeta).

Resp. *D.A.* Indifferentia quae pertinet ad potentiam obiectivam seu possibilitatem *C.A.* (et sic etiam est possibilis tantum *ut quo*); quae est propria potentiae subiectivae *N.A.* — *N.C.*

Ob. 38ª. Si aliqua duo sunt realiter distincta et essentialiter ordinata, prius potest fieri absque posteriori.

Resp. *Nego prorsus;* actus enim et potentia distinguuntur realiter et essentialiter ordinantur, et tamen v. gr. materia prima nequit esse sine forma; et essentia nequit esse sine existentia quae tamen probavimus realiter distingui.

Ob. 39ª. Quae distinguuntur realiter, se habent ut res et res.

Resp. *D.A.* Ut res analogatur etiam ad principia entis *C.A.;* secus *N.A.*

Ob. 40ª. Nulla res componit cum sua realitate.

Resp. *C. Ass.* et dico quod non sic essentia componitur cum existentia, sed modo explicato.

Ob. 41ª. Essentia et existentia habent idem contradictorium idest nihilum. Ergo non distinguuntur realiter.

Resp. *N. Ant.* — Essentia habet contradictorium, si vis, nihilum essentiae, et existentia nihilum existentiae. Sed pone essentiam aliquam, v. gr. *homo* et videbis huic non opponi contradictorie *nihilum* sed *non homo* sicut *existenti non existens:* et relinque Scoto et Scotistis suas logicas et grammaticas subtilitates. Et ex eo quod aliquid sit non homo, non sequitur quod sit nihilum.

Bene P. De Maria: " cum nihilum opponatur omnibus entibus, sequeretur quod omnia entia sunt unum et idem, quia habent iuxta Trombeta idem contradictorium „.

Ob. 42ª. Esse existentiae non esset nec substantia nec accidens.

Resp. Reductive utrumque pro diversis.

Ob. 43ª. Si essentia et esse non sunt idem, in qualibet generatione essent duo termini formales.

Resp. *N.A.* — Generatio terminatur ad formam in actu per esse; nullus enim actus est in actu nisi per hoc quod participat de primo actu, et actus essendi non specificat etc.

Ob. 44ª. Si essentia et existentia constituerent per se unum deberet eis superaddi alia existentia per quam sit illud per se unum, sic constitutum.

Resp. *N. prorsus* vel *D.* si constituerent *naturam unam C.* secus *N. Ass.* Actus essendi, ut dictum est, non specificat vel constituit naturam, sed est solum quo est id quod in linea naturae est ultimo designatum.

Ob. 45ª. Signa realis distinctionis inter duo sunt relatio realis unius ad aliud, efficientia et separabilitas, quae omnia in casu desiderantur.

Resp. Gratuito et falso asseritur quod ad distinctionem realem requiratur *separabilitas,* item *efficientia* quae, ut puto, sic intelligitur quod utrumque distinctorum separatam et sibi propriam efficientiam terminet. Item falsum est quod ad realem distinctionem requiratur relatio realis praedicamentalis unius ad alterum: in casu tamen relatio transcendens habetur. — Omnia

ergo gratuita sunt quae asseruntur et ideo *gratis* pariter negare potes, h. e. *nulla allata* ratione tuae negationis; hic enim valet axioma : Gratis asseritur, gratis negatur.

THESIS IV^{a}. — Doctrina quae statuit realem distinctionem inter essentiam et esse, est " procul dubio S. Thomae „.[1])

253. Praenotanda. — Unicuique qui in lectione S. Thomae vel mediocriter sit versatus, inutilis prorsus videri posset haec quaestio: videtur enim quod res sit tantae evidentiae ut nisi quis totius Metaphysicae Angelici Doctoris sit prorsus ignarus nullo modo possit de hac re dubitare. Sed quia (quod sane dolendum) hisce ultimis temporibus non defuerunt qui rem sole clariorem, obscuram, saltem quod ipsis possibile fuit, reddere conati sunt, necesse est veritatem hanc vindicare. — Praemittemus ergo aliquod argumentum ex auctoritate, deinde directe aliqua loca S. Thomae considerabimus. Et quia recentissime P. I. Piccirelli in libro cui titulus " *Disquisitio metaphysica, theologica, critica de distinctione actuatam inter essentiam existentiamque* etc. etc. *ac praecipue de mente Angelici Doctoris circa eamdem quaestionem* „ omnibus nervis ingenii quo pollet, praecipuos textus S. Thomae qui pro veritate realis distinctionis communiter afferuntur, suo modo explicare atque omni vi probativa destituere conatus est, sufficiet nobis aliquos ex his textibus, cum interpretationibus praedicti patris, speciminis gratia, hic transcribere : nulla enim melior atque plenior probatio thesis nostrae haberi potest quam per ipsam simplicem expositionem talium interpretationum.

254. Probatur - I^{o}. Ex auctoritate. - Atque in primis optime apparebit ex ipsis doctrinae S. Thomae impugnatorum verbis: nam, ut a Scoto incipiamus, Doctor Subtilis (3° *Sent.*, D. 6^{a}, q. 1^{a}) eiusque discipulus Antonius Trombeta S. Thomam hac in re citant, et nominatim multisque argumentis confutare contendunt. Accedit etiam auctoritas Durandi, Pererii, Toleti et Tiphani, qui licet diversam profiteantur sententiam, ingenue tamen disertisque verbis affirmant, Doctorem Angelicum distinctionem realem essentiae et existentiae in creaturis propugnasse. Pererius v. g. haec habet : " Magna est disceptatio tam inter

[1]) P. Schiffini *Met. Gen.* Th. 20.

philosophos, quam inter theologos; an existentia cuiuslibet rei distinguatur realiter ab eius essentia et quidditate. De qua duae sunt opiniones: *una D. Thomae, qui omnibus rebus creatis existentiam vult distingui realiter ab essentia;* altera aliorum, qui id negant, qui inter essentiam et existentiam, solam rationis differentiam esse putant „ *De communibus rerum natur. princ.,* l. VI°, q. 4, 14, pag. 224). Toletus autem (*Com.* in 1m p. q. 3. a. 3) ita scribit: " Secundum S. Thomam existentia in Angelo distinguitur *realiter* ab essentia „. Tandem hoc idem tradit Tiphanus (*De Hypost.* c. 42°, n. 18), et declarat se in hac re discedere a doctrina S. Thomae. Imo mens et sententia Aquinatis tam illustris evidensque ipsi visa est ut non dubitaverit, de S. Thoma loquens, haec proferre (*ib.* c. 6°): " *Quod existentiam in creaturis re distinguat* (S. Doctor) *ab essentia, vel negare, vel in dubium revocare, est hominis impudentis, vel in eius doctrina peregrini* „. — Inter recentiores sufficiat P. Urraburu qui *Ont.* d. 4. c. 1. haec habet: " Eadem sententia tribuitur Angelico Doctori multis in locis. Et quamquam non desint auctores, qui aliter Aquinatis mentem interpretari nitantur, aut saltem non omnino certam arbitrentur, possintque non pauca loca, quae distinctionem hanc essentiae atque existentiae continent, de sola rationis distinctione commode intelligi; alia vero videntur majorem postulare. Ac nominatim id, quod non raro docet, *esse* vel existentiam *resultare* ex principiis essentiae; et formam esse principium essendi sicut diaphanum est *aeri principium lucendi*, quia facit eum proprium subiectum luminis; et illud aliud praecipue, nempe compositum humanum una simplicissima animae existentia *existere;* vix possunt satis explicari, nisi admissa suppositaque reali hac distinctione. Distinctionem etiam eamdem manifeste supponit doctrina illa, secundum quam humanitas Christi Domini non habuit existentiam creatam, sed tantum increatam; quamquam nonnulli dubitent, nunc id senserit constanter S. Thomas, propter oppositam doctrinam, quam in *Quaestionibus disputatis* scriptam reliquit „ — Et iterum (c. seq.): " Ut verum sincere profitear, piget me controversiam hanc ingredi, propterea quod sententiam, quae videtur S. Thomae, et certe Thomistica est, tueri non potero. Quamquam enim validissima manu gravissimorum

scriptorum stipatus ad pugnam accedam, quorum nomen haud minorem profecto nostrae doctrinae probabilitatem extrinsecam parit, quam suae pariat nomen adversariorum; tamen non potest non vehementer mihi displicere, quod in re tam acriter disputata, patrocinio caream Angelici Doctoris. Verum quia nec tam celebrem quaestionem omittere, nec sententiam meam dissimulare mihi licet; exponam quanta possum diligentia id, quod post maturam hinc inde allatorum argumentorum considerationem, probabilius dicendum videtur „ — Addatur P. Palmieri qui (*Ont.* c. 1. Th. 3.) dicit se ideo non admittere S. Thomam propugnasse distinctionem realem inter essentiam et esse *quia nimis manifesta est falsitas huius opinionis.*

Post tam praeclara testimonia, de mente S. Thomae in hac re ambigere omnino non possumus, nisi putemus (quod improbabile prorsus videtur) quod Scotus et Scotistae ceterique supramemorati, contra hostem ab ipsis fabricatum pugnaverint vel quod neque ipsi, dum impugnarent, neque Capreolus, Caietanus et Ferrariensis dum defenderent Angelicum Magistrum intellexerint, qui tamen ut diximus, saepissime illam distinctionem commemorat, et uno solo in loco (C. G. l. II, c. 52) septem pulcherrimis rationibus confirmat [1]).

255. II. Directe probatur. — *I. Ex comment. Boetii de Hebdomadibus* l. II. " Est ergo considerandum quod sicut *esse* et *quod est* differunt in simplicibus secundum intentionem, ita *in compositis differunt realiter,* quod quidem manifestum est ex praemissis. Dictum est enim supra, quod ipsum esse neque participat aliquid, ut eius ratio constituatur ex multis, neque habet aliquid extraneum admixtum, ut sit in eo compositio accidentis, et ideo ipsum esse non est compositum. Res ergo composita non est suum esse. Deinde cùm dicit: *omne simplex est suum et id quod est unum habet,* ostendit qualiter se habet in simplicibus in quibus necesse est quod ipsum esse et id quod est sit unum et idem realiter. Si enim esset aliud *realiter* id quod est et ipsum esse, iam non esset simplex sed compositum... *Hoc autem simplex unum et sublime est ipse Deus* „

---

[1]) Cf. De Maria, *Phil. Prim.* seu *Ont.* Tr. II.° q. 1ª a. 5. pag. 442.

Interpretatio P. Piccirelli huc reducitur: 1° *quod est* hic significat suppositum, *esse* vero significat essentiam 2° S. Thomas ergo nihil aliud vult quam quod suppositum distinguitur realiter a natura, quae distinctio tamen non est *formalis* sed *fundamentalis*. (Cf. *ib.* p. 192 etc.).

Ad haec sufficiet notare: 1° quod impossibile prorsus est ut *esse* in hoc loco significet essentiam, quia in hoc ipso loco, de hoc eodem *esse* de quo est quaestio, S. Th. dicit quod " *neque participat aliquid ut eius ratio constituatur ex multis, neque habet aliquid extraneum admixtum, ut sit in eo compositio accidentis* „ quae quidem omnia nonnisi absurdissime intelligi possent de *essentia:* non ergo *esse* hic accipitur pro essentia.

2° Semper quando S. Th. adhibet illam locutionem — *quod est* et *esse* — de simplicibus, pro — *quod est* — intelligit ipsam *essentiam* simplicis, quae utique in ipso identificatur re cum supposito denominative sumpto: pro *esse* autem intelligit existentiam: hoc constat ex infinitis locis [1]): sit e. g. 1. p. q. 50 a. 2. ad 2[m]. " Subtracta materia et posito quod ipsa forma subsistat non in materia, adhuc remanet comparatio formae ad ipsum esse ut potentiae ad actum. Et talis compositio intelligenda est in Angelis, et hoc est quod a quibusdam dicitur quod Angelus est compositus ex *quo est* et *quod est,* vel *ex esse* et *quod est,* ut Boëtius dicit. Nam **quod est, est ipsa forma subsistens:** ipsum autem **esse, est quo substantia est,** sicut cursus est quo currens currit. Sed in Deo non est aliud *esse* et *quod est,* etc. „.... " quidditas Angeli est quo subsistit etiam ipsum suum esse, quod est praeter suam quidditatem, et **est id quod est.** Et sic Angelus compositus est ex *esse* et *quod est,* vel ex *quo est* et *quod est.* Et propter hoc in *lib. de causis* dicitur quod intelligentia non est *esse* tantum, sicut causa prima; sed est in ea *esse* et *forma,*

---

[1]) Hoc est tam evidens quod *alibi* non potuerit negari ab ipso P. Piccirelli: sed *alibi,* quia S. Th. non dicit explicite *quod est* differre *realiter* ab *esse* (quamvis illud *realiter,* implicite evidentissime ponatur) tunc praelaudatus Pater concedit quod *quod est* significat *essentiam, esse vero existentiam,* sed dicit distinctionem non esse nisi *rationis:* hic autem, cum S. Th. posuerit etiam explicite illud *realiter,* negat quod *esse* significet existentiam, *quod est* vero essentiam.

quae est quidditas sua. Et *quia omne quod non habet aliquid ex se, sed recipit illud ab alio, est possibilis vel in potentia respectu ipsius, ideo ipsa quidditas est sicut potentia, et suum esse acquisitum est sicuti actus: et ita per consequens est ibi compositio ex actu et potentia:* et si ista potentia vocetur materia, erit compositio ex materia et forma, quamvis hoc sit omnino aequivoce dictum. Sapientis enim est non curare de nominibus „ (2. D. 3. q. 1. a. 1. c. [1]).

3° Certissimum est quod apud S. Doctorem, suppositum denominative sumptum non differt realiter ab essentia in angelis : ergo explicatio P. Piccirelli est *essentialiter* falsa: verum quidem est, quod ipse recurrit ad distinctionem *fundamentalem non formalem:* sed talis distinctio est omnino arbitraria, unde nec refutari indiget.

II° Affertur et alius locus S. Thomae ex 1. *Dist.* 19. q. 2. a. 2. Quaerit ibi S. Doctor *" Utrum nunc aeternitatis, sit ipsa aeternitas* „ et, praeter alia, haec habet: "... Sicut autem motus est actus ipsius mobilis, in quantum mobile est; ita *esse* est actus existentis in quantum ens est. Unde quacumque mensura mensuretur esse alicuius rei, ipsi rei existenti respondet nunc ipsius durationis quasi mensura... Unde sicut se habet quilibet actus ad id, cuius esse est actus, ita se habet quaelibet duratio ad suum nunc. Actus autem ille qui mensuratur tempore, differt ab eo, cuius est actus, *secundum rem;* quia mobile non est motus.... Actus autem, qui mensuratur aevo, scilicet ipsum esse aeviterni, differt ab eo, cuius est actus, *re quidem,* sed non secundum rationem successionis; quia utrumque sine successione est. Et sic etiam intelligenda est differentia aevi ad nunc eius. Esse autem quod mensuratur aeternitate est *idem re* cum eo, cuius est actus, sed differt tantum ratione „.

Iuxta P. P. hic non asseritur distinctio inter rem et rem,

---

[1]) Et hic nota quam evidenter S. Th. loquatur de compositione reali. Et tamen P. Piccirelli (p. 198) dicit post talem textum: " quis non videat heic sermonem non esse de rebus, sed de intentionibus?... „ et inter alia, putat quod illud *possibilis vel in potentia* (S. Doctoris) indicet essentiam in statu *possibilitatis!* Una tantum ex talibus deceptionibus ultro sufficeret ut iudicetur auctor et causa ipsius, et ideo probetur thesis nostra.

inter entitatem et entitatem ; aut saltem non potest ex verbis S. Thomae evidenter probari distinctio *formaliter realis* inter actualem essentiam et esse entis creati. Sunt hic, ei videtur, in controversia ipsi termini inter quos asseritur realis distinctio, et in controversia est sensus distinctionis.

Ad hanc conclusionem probandam, plura subtiliter inquirit quae omnia persequi non vacat eo vel magis quod ad integram confutationem, descendendum esset ad plura, quae in Cosmologia tractabimus.

Praecipua quae adducit sunt haec : 1) Sumit ut doctrinam Philosophi, quod duratio quae est mensura *τοῦ esse* rei, quae durat, ab ipso non distinguitur : mensura et mensuratum sunt idem — 2) nititur probare quod S. Thomas hic loquitur de *esse essentiae*, quod opponitur supposito, seu de esse *quidditativo* aut generalius *entitativo* — 3) Etiamsi concederetur agi de *esse existentiae* deberet accipi *concretive,* aut in reali essentia ut constituens durationem rei — 4) Aeviternum dicitur non esse *suum esse,* quia totum quod in ipso est, non est totum substantiale nec ipsum est totum esse, sed esse participat, non autem quia *esse* sit actualitas impressa omnibus entibus a primo ente. — 5) Et re vera ut motus se habet ad mobile qua mobile ; ita esse ad essentiam actualem : sed motus non est *entitatula* formaliter realiter distincta, quae subiecto imprimatur : ergo a pari neque *esse* est *formaliter realiter* distinctum ab essentia. — 6) Explicite S. Thomas a. 1° eiusdem qnaestionis dicit : *quia esse aeviternum est acquisitum ab alio, ideo aevum mensurat esse quod habet principium* „. — 7) Potentia de qua S. Doctor hic loquitur est *obiectiva,* non vero *subiectiva* et physica, quia haec deberet habere aliquam actualitatem entitativam, etc...

Sed contra 1. Realis mensura et reale mensuratum sunt realiter distincta. 2. Manifeste S. Thomas hic loquitur de *esse existentiae praecise,* cum contraponat actum essendi illi cuius est actus, dicat *esse* aeviterni differre et re quidem *ab eo cuius* est actus (essentia) etc. 3. Non potest *esse* accipi *concretive* eo ipso quod contraponitur reali essentiae. 4. Certe si aeviternum non esset ab alio seu non participaret esse, non posset eius *esse* differre ab ipso realiter ; sed hoc ipso quod est ab alio et non est

purus actus, eius esse debet recipi in potentia. — 5. Argumentum retorquetur sic: Ut motus se habet ad mobile, ita esse ad essentiam: sed motus realiter distinguitur a mobili; ergo et esse ab essentia. Minor et per se patet et declaratur in Cosmologia [1]). Si quis vero non valet concipere *entitatulas* [2]) quibus aliquid diversimode actuatur, vix potest in metaphysicis procedere. Si motus est idem ac mobile, color erit idem ac coloratum etc. quae omnia absurda sunt. 6. Patet ex dictis n. 4. 7. Falsum est quod potentia de qua S. Thomas hic loquitur sit *obiectiva:* debet esse potentia *subiectiva,* si ut ait S. Thomas adductus n. 71, *substat τῷ esse,* si *potentialis* respectu huius actus, quem tamen perfectum *accipit* etc... Ratio autem quae adducitur pro potentia obiectiva, manifestat alium auctoris errorem, qui tenet quod potentia *passiva* necessario sibi vindicet actualitatem quamdam entitativam, ita ut *pura potentia* non sit pura potentia!

Verba S. Doctoris " Ex hoc ipso quod quidditati esse tribuitur, non solum esse, sed ipsa quidditas creari dicitur, quia antequam esse habeat, nihil est „ distinctionem realem ostendunt: si quidditati esse *tribuitur,* unum non est aliud: si *non solum esse,* sed ipsa quidditas creari dicitur „ sunt duo quorum unum concreatur alteri, ut eius actus. — Antequam esse habeat, profecto essentia non est actualis: non enim potest esse actualis sine actu, non potest esse antequam habeat esse, sicuti paries non potest esse albus antequam albedine fiat albus.

---

[1]) Hic innuisse sufficiat quod, secundum S. Thomam, motus stricte acceptus, est *actus* imperfectus (III. *Phys.* l. 2.) qui re ducitur ad actum perfectum (ibid. l. 1), et est vel qualitas tertiae speciei, vel, quantitas, vel ubi (V. *Phys.* l. 3). Quae negatio realis distinctionis inter mobile et motum logice importat negationem realis distinctionis inter substantiam ab qualitatem tertiae speciei, inter substantiam et quantitatem, inter substantiam et ubi.

[2]) Saepius Piccirelli hoc nomine utitur, forte ut vel ipsa voce ostendat rem sibi invisam, i. e. *esse* creatum quod realiter distinguatur ab essentia actuali creata. Sic etiam *entitatulae* dicuntur entia *quibus* aliqua sunt, puta *motum, cursum, albedo* etc. Minus rectum tamen est vocabulum illud ad indicandum aliquid quod non ipsum est, nisi forte auctor concipiat *esse* motum, albedinem etc. ex se posse existere, vel sic aestimare eos qui metaphysicam necessitatem ponendi haec entia *quibus* et essentialiter incompleta agnoscunt.

3° p. P. discutit etiam textum S. Thomae *de Veritate* q. 27, a. 1. ad 8m qui sic dicit: " *Omne quod est in genere substantiae est compositum reali compositione* „ eo quod id, quod est in praedicamento substantiae, est in suo esse subsistens, et oportet quod *esse* suum sit *aliud* quam ipsum, alias non posset differre secundum esse ab illis, cum quibus convenit in ratione suae quidditatis, quod requiritur in omnibus, quae sunt directe in praedicamento ; et ideo omne quod est directe in praedicamento substantiae, compositum est saltem *ex esse* et *quod est*. Sunt tamen quaedam in praedicamento substantiae per reductionem, ut principia substantiae subsistentis, in quibus praedicta compositio non invenitur ; non enim subsistunt ; ideo *proprium* esse non habent. Similiter accidentia, quia non subsistunt, non est eorum *proprie esse,* sed subiectum est aliquale secundum ea ; unde proprie dicuntur *magis entis entia quam entia*. Et ideo ad hoc, quod aliquid sit in praedicamento aliquo accidentis, non requiritur quod sit compositum compositione reali, sed solummodo compositione rationis ex genere et differentia ; et talis compositio in gratia invenitur „.

Quae verba, ut sibi faventia ostendat P. Piccirelli, novem bene longas paginas insumit : concludit autem 1° hunc textum non posse adduci ut evidens pro reali distinctione, imo probari oppositum ex iis, quae dicuntur de accidentibus. — 2° Hic τὸ *esse* directe opponitur supposito, seu individuo substantiae, non vero essentiae actuali. — 3° *Entitatula* quae sit actualitas distincta realiter et individuis impressa non est necessaria, imo est inepta ad inducendam multiplicitatem subsistentium. 4.° Plures locutiones S. Thomae ostendunt eum agere de *esse* ut de proprio *logico* aut *metaphysico* resultante ex ipsa forma reali. — 5° Hoc melius confirmatur ex *Quodl.* 2. a. 3. ad 2m, ubi dicit quod *resultat* quaedam ratio composita, sicut album componitur ex eo quod est *album,* et ex *albedine*. — 6° Tandem quae in loco controverso de accidentibus dicit S. Doctor ostendunt esse falsum quod ens, id est omne et singulum ens, qua late patet per decem praedicamenta, componatur ex reali potentia et reali actu inter se realiter distinctis... etc...

Ad haec notamus : 1° Verba S. Thomae pro distinctione

reali inter esse et essentiam in subsistentibus sunt adeo manifesta, ut nulla ingeniosa confutatione obscurari possint: " oportet quod *esse* suum sit aliud; compositum est saltem *ex esse* et *quod est* „. — Certum igitur est quod essentia singularis individua, *quae est* (existere enim est singularium) habet *esse*, quod est *aliud* a se; componitur *ex esse* et *quod est*. Essentia actualis entis creati, actualis, seu, existens, non est nisi per *actum* suum. — 2° Sed ait p. P. ratio adducta a S. Thoma non valet ad probandum quod inter essentiam et esse datur distinctio formaliter actualis; nam ratio quae affertur est ista: *alias* (subsistens) *non posset differre secundum esse ab illis, cum quibus convenit in ratione suae quidditatis;* sed differentia secundum *esse;* a) *non requiritur*, quia differentia specifica et individualis sufficiunt ad hoc; b) non sufficeret, secus, contra apertissimam doctrinam S. Thomae, deberent esse possibiles plures angeli in eadem specie.

Sed respondetur: a) ad summum ex hoc posset deduci quod ratio hic allata non evincit quod S. Doctor intendit probare; minime vero liceret negare quod patentissimis verbis non semel hic asserit; b) qui non superficialiter verba praecitata considerat et attendit ex quo capite entium multiplicatio primo haberi possit, ex hoc loco habet validissimam confirmationem distinctionis inter essentiam et esse. In doctrina S. Thomae prima ratio multiplicationis entium est haec, quod plura diversimode sunt potentia ad esse, participant esse [1]). Atqui si *esse* cuiuslibet subsistentis non esset *aliud* quam ipsum subsistens, nullum esset potentia ad esse, et consequenter nulla esset distinctio et multiplicatio entium subsistentium. S. Thomas proficiscitur ex facto: plura de facto sunt subsistentia in genere supremo substantiae distincta inter se. Sed non possunt multiplicari et distingui nisi diversimode dicant ordinem ad actum essendi. Ergo actus essendi non est idem ac id quod subsistit, sed est actus ad quem subsistens dicit ordinem potentiae.

---

[1]) Sic. e. g. " Quia in intelligentiis ponitur potentia et actus, non erit difficile invenire numerum intelligentiarum; *quod esset impossibile si nulla potentia in eis esset* „ — " oportet quod ipsa forma vel quidditas, quae est in intelligentia sit in potentia respectu esse... et ita invenitur actus et potentia in intelligentiis „ (*De Ent. et Ess.*).

4. Plures locutiones S. Thomae de *esse:* v. gr. *non est rei essentiale, non est de substantia rei, rei accidit, adhaeret substantiae, non est de ratione naturae* etc; nullam difficultatem faciunt, nec aliud dicunt nisi hoc, quod *esse* creaturae non ipsum subsistit, sed essentia *eo* ut suo actu subsistit: *accidit rei,* quatenus non ingreditur essentiam, tamen reducitur ad praedicamentum essentiae cuius est actus, unde non est accidens praedicamentale; non est de ratione suppositi denominative accepti, sed ad ipsum pertinet, si suppositum accipitur formaliter. Neque verba S. Thomae: " *est sicut..., non est omnino idem*„ quidquam minuunt, sed solum significant quod *essentia* actualis singularis, et *esse* non distinguuntur, ut duo entia, quae existant, eo modo quo plures imaginantur, ac si invisa *entitatula τοῦ esse,* hac, et essentia illac pergeret.

5. Verba S. Thomae in *Quodl.* 2. a. 3. ad 1m sunt haec: " Aliquando autem ex iis, quae simul iunguntur, non resultat res tertia, sed resultat quaedam ratio composita; sicut ratio hominis albi resolvitur in rationem hominis et rationem albi; *et in talibus aliquid componitur ex se ipso* et alio, sicut album componitur ex eo quod est album et ex albedine „. Sed *album* et *albedo,* secundum p. P., non differunt nisi ratione: ergo a pari essentia et esse. — Sed, dicimus, *quod est album* et *albedo* distinguuntur *realiter,* et unum est subiectum *quod* actuatur, aliud est forma, *qua* subiectum actuatur: ergo a pari essentia et esse. Hanc minorem hic non probamus, quia nobis videtur evidens, et non possumus hic totam doctrinam philosophicam vindicare.

Ex unione duorum, *aliquando* habetur tertium *subsistens* (v. gr. ex hydrogenio et ossygenio habetur aqua); aliquando idem subsistens est tale, vel tale per formam (album per albedinem, calidum per calorem etc.): ex essentia et esse non habetur *tertium* quid, sed *essentia per esse* actuatur in ordine reali.

6. Minus iuvant Piccirelli quae in textu *De Verit.* q. 27. a. 1. ad 8m S. Thomas dicit de accidentibus. Ex iis verbis *non* " *insilit in oculos* „ attenti lectoris quod S. Doctor non admittat distinctionem realem inter essentiam et esse accidentium, sed

hoc solum quod neque ea, quae per reductionem ponuntur in praedicamento, neque accidentia proprie sunt, ut *quae sint,* sed *eis* aliquid est v. gr. quale, quantum etc. Accidentia sunt formae *quibus* substantia est talis, vel talis, et sic, praeter id *quo est simpliciter,* habet multiplicia, *quibus ipsa* est *secundum quid.* In doctrina S. Thomae, substantia omnis est composita ex *essentia* et *esse;* et etiam accidentium est esse, non quod ipsa illud habeant, sed substantia cui insunt. Et quod hoc non sit inventum nostrum, sed certissima doctrina S. Thomae, ostendi posset innumeris locis desumptis ex omnibus eius operibus.

Sic v. gr. in IV S. D. XII. a. 1. sol. 3. ad 5m. " Cum accidentia habeant *esse* et *essentias proprias,* et eorum essentia *non sit eorum esse,* constat quod *aliud* est in eis *esse* et *quod est* „. Et IV. C. G. c. 14. " In nobis relationes *habent esse* dependens, quia earum *esse* est *aliud* ab esse substantiae etc..... „ Et 3 p. q. 17. a. 2. " In Socrate ponitur *aliud esse* secundum quod est albus, et *aliud* secundum quod est homo „. Et, ne in infinitum protendamur, 3 p. q. 77 a. 1. ad 4m explicat quomodo, manente substantia panis et vini, accidentia non habebant ipsa *esse,* sicut nec alia accidentia, sed subiecta eorum habebant huiusmodi esse per ea; sed, post consecrationem, ipsa accidentia, quae remanent, *habent esse,* unde sunt composita *ex esse* et *quod est.* — Non *falsi* ergo sunt, qui distinctionem realem inter essentiam et esse tenent ut certissimam doctrinam Angelici Doctoris, nec *temeritate* quadam huc referunt illud Scripturae: " Ego sum qui sum. Qui est misit me ad vos „.

7. Quia in opusculo *de Ente et Essentia* inveniuntur plura argumenta pro distinctione reali inter essentiam et existentiam, p. P. examini subiicit etiam hoc opus S. Thomae ut eum sibi faventem proponat.

Et n. 92 concedit quidem quod S. Doctor *bina* agnoscit *essentiam* et *esse,* quae sint *aliud* et *aliud, potentiam receptivam,* et *actum receptum; quod* est, et *quo* est. Sed omni via conatur suadere quod non potest evidenter probari esse sententiam S. Thomae quod essentia et esse distinguantur *realiter;* potius, secundum ipsum, probatur distinctio *fundamentaliter realis,* ut inter partes metaphysicas et gradus metaphysicos. — Quod ipsi patet

a) ex ratione agendi Caietani qui hic interpretatur verba S. Thomae iuxta eum sensum quem *putat* habere locum Angelici Doctoris in *Summa contra Gentiles* — *b)* ex eo quod S. Thomas non semper, quando utitur vocibus *" sicut actus et potentia „*, tenet eas importare distinctionem realem — *c)* quia textus qui afferri possunt ex praesenti Opusculo non evincunt id quod vellent adversarii.

At contra nimis evidens est quod 1ª et 2ª rationes, quibus Piccirelli innititur, non valent; *non 1ª,* quia nihil vetat, imo consuetum est, in commentario alicuius auctoris, recurrere etiam ad alia opera eiusdem ad declarandam et confirmandam eius sententiam; *non 2ª,* quia non est nobis quaestio an semper quae se habent *" sicut actus et potentia „* a S. Thoma dicantur distingui realiter, sed an ponat realem distinctionem inter essentiam et esse, quae se habent ut actus et potentia in ordine reali.

Ut iudicetur de valore *tertiae rationis,* recurrendum est ad ipsa verba S. Thomae, quod facit p. P. crisi subiiciendo septem textus huius Opusculi ex quorum nullo, si ipsum audis, eruitur sententia adversariorum. Etiam nos breviter unum vel alterum observemus.

Cap. 5. n. 2. dicitur: *"* In anima intellectiva et in intelligentia nullo modo est compositio ex materia et forma, ut *hoc modo* accipiatur materia in eis, sicut in substantiis corporalibus; *sed est ibi compositio formae et esse.* Unde in commento nonae propositionis *libri de Causis* dicitur, quod intelligentia *est habens formam et esse,* et accipitur ibi forma pro ipsa quidditate vel essentia simplici „. — Hinc non potest erui, ait p. P., distinctio realis, quia S. Thomas non dicit *aperte* quod sint *binae entitates reales absolutae, vel res et realis modus:* ideo verba possunt significare duas *rationes obiectivas,* duas *intentiones* eiusdem rei. — Sed quaeritur: quibus verbis debuisset uti S. Doctor ut *clarius* assereret, distinctionem realem? nonne ad hoc comparat essentiam et esse, materiae et formae?

Non valet, ait p. P., quia comparatio est analogica, impropria, quia S. Thomas dicit: nullo modo est compositio ex materia et forma, *ut hoc modo accipiatur materia in eis, sicut in*

substantiis corporalibus. — Sed, reponimus, legantur solum verba S. Thomae sine praeiudicio ullo, et sensus apertissimus erit: in substantiis corporalibus habetur materia et forma; *talis* materia non est in anima intellectiva et in intelligentiis, tamen est *quaedam* quasi materia, quia ut materia est potentia formae, ita forma est potentia τοῦ *esse.* Quod autem dari debeat aliqua compositio realis in ente creato et saepe dictum et probatum est, et a S. Thoma passim traditur in hoc ipso opusculo.

Cap. 5, n. 3 eiusdem Opusculi habetur: " Sed essentia rei simplicis, quae est sua forma, non potest significari nisi ut *totum;* cum nihil sit ibi praeter formam, **quasi formam recipiens;** et ideo quocumque modo sumatur essentia substantiae simplicis, de ea praedicatur. Unde Avicenna dicit quod *quidditas substantiae simplicis est ipsummet simplex*; *quia non est aliquod recipiens illam* „. Clare hic habetur quod essentia simplicis significatur ut *totum* quia non datur subiectum seu potentia *formam recipiens,* quia *non est aliquod recipiens illam.* Propter hoc *in ordine essentiae* est purus actus, non sic vero *in ordine existentiae,* ut putat adversarius, timens ne *ex essentia* et *esse* distincto fiat *tertium ens,* ut ex anima et corpore. Non est sic, sed *esse* non est aliud quam id *quo* simplex essentia est.

Addit S. Thomas: " Res quae sit suum esse, non potest esse nisi una. Unde oportet quod in qualibet alia re praeter eam, sit *aliud* suum esse, et *aliud* quidditas, vel natura seu forma sua „. Et iterum: " Omne quod recipit aliquid ab aliquo est in potentia, respectu illius; et *hoc quod receptum est in eo,* est actus eius. Ergo oportet quod ipsa forma vel quidditas, quae est intelligentia, sit in potentia respectu *esse,* quod a Deo recipit: et **illud esse receptum est per modum actus; et ita invenitur actus** et potentia in intelligentiis „.

Hic p. P. instat dicendo: saltem non est evidens agi de entitatibus realibus absolutis; ad tollendam omnimodam simplicitatem non requiritur realis distinctio; potentia de qua hic est sermo est *obiectiva* etc.....

Sed, praeter superius notata circa multiplicationem rerum, dicimus: 1° quod *recipit* non potest esse mera potentia obiectiva

seu possibile — 2° τό " *quod receptum est in eo* „, indicat quod *simul* sunt receptum et recipiens: *possibile* autem non est cum *actuali* — 3° si vera esset interpretatio adversarii, non deberet dici quod " *invenitur actus et potentia in intelligentiis* „, sed potius quod intelligentiae prius sunt *in potentia* et postea *in actu.*

Quod S. Thomas agat de *duobus* distinctis realiter apparet etiam ex sequentibus: " Et quia, ut dictum est, intelligentiae quidditas est ipsamet intelligentia, ideo quidditas vel essentia eius est ipsum quod est ipsa, *et esse suum* receptum a Deo est id *quo* subsistit in rerum natura „. Et adhuc: " Et quia in intelligentiis ponitur potentia et actus, non erit difficile invenire multitudinem intelligentiarum; quod esset impossibile, si nulla potentia *in eis* esset „. Etiam hic duo opponuntur: *unum quod est, aliud quo* 1m est: *in eis* est actus et potentia: quod non potest dici de possibili. Tamen p. P. non recedit, et quia legit in S. Thoma: " materia prima tenet ultimum gradum *in esse sensibili* „ concludit quod secundum S. Doctorem materia prima *secundum se spectata* habet actum essendi, seu pura potentia non est pura potentia. Et exinde sollicitus est de modo quo dari possunt *gradus* in *esse* quod " patronorum suorum de sententia, esset *universalissimum, simplicissimum, unum etiam et idem* „. — Sed confusio cessat si advertatur quod S. Thomas ponit materiam primam ultimam *in ordine entis* sensibilis, i. e. non purum nihil; quomodo autem dentur gradus in *esse,* iam dictum est; scilicet quatenus *realiter* recipitur in hac aut illa potentia subiectiva; quod non convenit materiae primae *primo* et *per se,* sed solum ratione compositi ut in Cosmologia dicetur.

Evidentius adhuc realis distinctio traditur cap. 6. n. 2. 3, ubi, praeter alia, legitur: " Secundo modo invenitur essentia in substantiis creatis intellectualibus, in quibus est *aliud* esse, quam essentia ipsarum, quamvis essentia sit sine materia: unde *esse* earum **non est absolutum, sed receptum,** et ideo limitatum et finitum ad capacitatem *naturae recipientis;* sed natura vel quidditas earum est absoluta, non recepta in aliqua materia „.

Quid ad haec Piccirelli? Si verba acciperentur de distinc-

tione reali inter essentiam et existentiam, S. Thomas errasset: nam docuisset quod receptio realis in aliquo ut in potentia, est absolute necessaria ad hoc ut aliquid sit simpliciter finitum. Atqui hoc non est verum, quia substantia spiritualis est simpliciter finita, et tamen in nulla potentia recipitur. Ergo, si S. Thomas docuisset, textu adducto, realem distinctionem inter essentiam et existentiam, errasset. Sed absit ut errorem tribuamus S. Doctori. Ergo dicemus quod erraverunt ii qui Angelico Doctori suam de *Aegidiana entitatula* doctrinam tribuunt; dum S. Thomae sententia est quod aliquid limitatur receptione *metaphysica,* non vero *physica* et reali. Et hoc confirmatur, quia: 1° S. Doctor dixit quod *quidditas* substantiarum compositarum *" recepta est in materia signata „* et ideo sunt finitae. Atqui hic agitur de receptione mere metaphysica. Ergo a pari ubi de spiritualibus. 2° Eo vel magis quod hic non datur verbum aliquod exprimens receptionem *physicam.* 3° Insuper receptio *metaphysica* sufficit ad limitationem τοῦ esse; receptio vero *physica* non posset limitare nisi *extrinsece,* ideoque relinqueret intelligentias *intrinsece* illimitatas. 4° Si *esse* realiter distingueretur ab intelligentiis, ipsae manentes infinitae, non possent finire *esse infinitum.* 5° Sequitur quod hic locus, conveniat cum praecedentibus in asserenda distinctione *fundamentaliter reali.*

Sed facile respondetur ad praecipuum argumentum. *N. Ass.* Ad probationem *C.M. — N.m. Dist. rat. add.:* substantia spiritualis est simpliciter finita, i. e. est finita in *ratione essendi c. rat. add.;* est finita in ratione suae *essentiae N. rat. add. Nego* reliqua. Substantia pure spiritualis est in sua essentia infinita, et ideo unica in specie; non tamen est undequaque infinita, quia non est actus purus in omni ordine, et signate in supremo ordine essendi. Non solemus autem dicere simpliciter infinitum, quod tale non est in omni ordine, sed solum Illum qui est purissimus actus in supremo ordine essendi.

Ad reliqua quae congeruntur respondemus. 1m Si quis vel modicum in lectione S. Th. et Aristotelis sit versatus, sciet quod saepissime apud utrumque, forma rei corporalis, *quidditas* dicitur, quia est id quo formaliter constituitur quidditas ipsa: nulla ergo difficultas in hoc quod dicitur quidditas ipsa (idest

forma) recipi in materia signata. Cf. inter infinita alia VII. *Met.* l. 17.

2m apparet falsum vel ex hoc quod S. Thomas contraponit hic *" esse..... non absolutum, sed receptum..... „ naturae* quae est *" absoluta, non recepta „* in aliqua materia. Atqui receptio formae in materia est realis: ergo etiam receptio *τοῦ esse* in essentia.

3m iam refutatum est supra. Praeterea receptio physica *τοῦ esse* non limitat essentiam *intrinsece,* i. e. non coarctat essentiam intra suum ordinem *C.* et *Nego suppositum,* quod substantia spiritualis sit limitata in sua ratione essentiali; non limitat *ipsum esse " ad capacitatem naturae recipientis „ N.*

Ad 4m Essentiae manentes infinitae non possent limitare *esse,* si essent infinitae in omni ordine *C. et N. suppositum* quod tunc reciperent *esse;* si infinitae quidem sunt in sua ratione essentiali, sed sunt purae potentiae in ordine essendi, ut de facto sunt, *N.*

5m est conclusio quae corruit cum suis probationibus.

Conclusio. — Plura addi possunt; sed quia opus nostrum non criticum sed didacticum est, hic sistimus. Hoc unum tamen concludendo dicimus: melius prorsus est in hac re sicut in ceteris omnibus, sincere fateri doctrinam S. Thomae esse nimis difficilem, imo si id dicere fas est, absurdam et evidenter falsam, quam illam corrumpere, et in sensum contrarium pertrahere. Hoc enim odibilem reddit Metaphysicam ipsam, et viam aperit omnibus erroribus modernis, qui in dubio de rebus ipsis apprime evidentibus, omnes quam maxime nituntur. Ceterum si talis libertas seu potius libido interpretandi pro lubito et pervertendi textus evidentissimos, a re philosophica transferatur in rem theologicam, ad documenta sl. Ecclesiae et ad ipsam Scripturam Sacram, quot damna sequentur, nemo est qui non videat. Quapropter talis methodus interpretandi tota abhorrenda atque detestanda est.

THESIS V.a — **Ex doctrina praedicta, S. Thomas " repetit solutionem plurium aliarum quaestionum magni momenti in re non solum philosophica, verum etiam theologica „** (S. Schiffini *Met. Gen.* n. 588).

256. Praenota. — Haec thesis statuitur contra aliquot recentiores qui putant hanc quaestionem esse minoris momenti, ideo facile permitti posse ut unusquisque abundet in sensu suo; clamant autem contra eos S. Doctoris discipulos et commentatores qui tenent hanc quaestionem *fundamentalem* et in ea *certam* esse doctrinam Angelici [1]).

257. Probatur. — Ad hoc ut thesis probetur, sufficit breviter percurrere praecipuas quaestiones quas S. Thomas sibi proponit in re metaphysica.

I. Et *de Deo* quidem, postquam dixit:

a) (1. p. q. 2ª a. 1°) quod Deum esse est per se notum quoad se, quia " esse est de eius essentia; „ q. 3ª, a. 4 statuit:

b) quod in Deo idem est essentia et esse quia " illud quod *habet* esse, et non est esse, est ens per participationem „. Et hoc confirmat *de Pot.* q. 7ª a. 2, maxime ad 5ᵐ, ubi ait: " Ipsum esse Dei distinguitur et individuatur a quolibet alio esse, per hoc ipsum quod est esse per se subsistens, et non adveniens alicui naturae, *quae sit aliud* ab ipso esse. Omne autem aliud esse, quod non est subsistens, oportet quod individuetur per naturam, et substantiam, quae in tali esse subsistit. Et in eis verum est quod esse huius, est aliud ab esse illius, per hoc quod est alterius naturae; sicut si esset unus calor per se existens sine materia, vel subiecto, ex hoc ipso ab omni alio calore distingueretur; licet calores in subiecto existentes non distinguantur nisi per subiecta „ [2]).

c) Deus non est in genere quia " quidditas Dei est ipsum suum esse „ C. G. libr. 1. cap. 25. Cfr. 1. p. q. 3. a. 5; *Comp. Theol.* c. 12.

d) In Deo non est aliquod accidens " quia est suum esse.....

---

[1]) Quod hic docemus apertissime inter alios plures docuerunt Silvester Maurus. *Quaest. phil.* vol. 2°, q. 7; Card. Pallavicinius *De Deo* cap. 3°, et recentius P. De Maria *Philos. I. Ontol.* tract. 11. q. 1. a. 5. — M. Liberatore *Institu. Phil.* I. *Ontol.* cap. 1. a. 3. n. 20; — S. Schiffini. *Principia Phil.* n. 587; — V. Remer. *Summa. Prael. Phil. Schol. Metaphy. Gen.* n. 53; — P. De Mandato. *Insti. Phil. Ontol.* n. 92.

[2]) Cfr. etiam *De Pot.* q. 7. a. 3, ad 4ᵐ; a. 4. c.; *Comp. Theol.* cap. 11; C. G. l. I. cap. 22; l. II. cap. 15. 4; cap. 52, 1. p. q. 7. a. 1. ad 3ᵐ.

et licet id *quod est,* aliquid possit habere adiunctum, tamen ipsum esse nihil aliud adiunctum habere potest „ (q. 3. a. 6).

e) Deus est perfectissimus quia " cum Deus sit ipsum esse subsistens, nihil de perfectione essendi potest ei deesse „ (q. 4. a. 2.).

f) Est bonus per essentiam " cuius *Solius* essentia est suum esse „ (q. 6. a. 3, et ad 2m) " essentia rei creatae non est ipsum esse „.

g) Deus est infinitus: " Cum..... esse divinum non sit esse receptum in aliquo, sed ipse sit suum esse subsistens... manifestum est quod ipse Deus sit infinitus et perfectus „ (q. 7. a. 1. c.).

h) Quaest. 12. a. 4. probatur quod nulla creatura per sua naturalia potest videre essentiam Dei quia " *solius* Dei proprius modus essendi est ut sit suum esse subsistens..... Relinquitur ergo quod cognoscere ipsum esse subsistens sit connaturale soli intellectui divino, et quod sit supra facultatem naturae cuiuslibet intellectus creati, quia *nulla creatura est suum esse,* sed habet esse participatum „.

i) Nomen " *Qui est* „ est maxime proprium Dei: " non enim significat formam aliquam, sed ipsum esse. Unde cum esse Dei sit ipsa eius essentia, et hoc *nulli alii conveniat.....* manifestum est quod inter alia nomina, hoc maxime proprie nominat Deum „ (q. 13. a. 2. c.). — Et hoc modo procedi posset videndo quod S. Thomas *passim* hac *certa* doctrina utitur ad declaranda omnia divina attributa: quae rationes nullius momenti essent, si etiam creaturae essent suum esse et solum ratione ab eo distinguerentur.

II. Tamen adhuc magis explicite asserit realem distinctionem inter essentiam et esse creaturarum multis locis cum agit *de creaturis,* sic v. gr.:

a) 1. p. q. 44. a. 1o c. dicit quod omnia sunt *creata* a Deo, cum " omnia alia a Deo non sint suum esse, sed participent esse „;

b) q. 104, a. 1 docet quod omnia *conservantur* a Deo, nam " *solus* Deus est ens per essentiam suam, quia eius essentia est suum esse; omnis autem creatura est ens per participationem, non quod eius essentia sit eius esse „.

c) De Pot. q. 3a, a. 13 ad 4m contraponit Verbum divinum

creaturae, quia alio modo habent esse: " Illud, quod habet esse ab alio, in se consideratum est non ens, si ipsum sit *aliud* quam ipsum esse, quod ab alio accipit; si autem sit ipsum esse quod ab alio accipit, sic non potest, in se consideratum, esse non ens; non enim potest in *esse* considerari non ens, licet in eo *quod est aliud* quam esse, considerari possit. Quod enim est, potest aliquid habere permixtum, non autem Esse „.

d) 1. p. q. 7. a. 2 quaerit an aliquid, praeter Deum, possit esse infinitum, et responsio est negativa, et res est evidens si loquamur de infinito, secundum quod competit materiae, quae determinatur per formam. " Si autem loquamur de infinito, secundum quod convenit formae, sic manifestum est quod illa, quorum formae sunt in materia, sunt simpliciter finita, et nullo modo infinita. Si autem sint aliquae formae creatae non receptae in materia, sed per se subsistentes...; erunt quidem infinitae secundum quid, in quantum huiusmodi formae non terminantur, neque contrahuntur per aliquam materiam. Sed quia forma creata sic subsistens *habet esse,* et non est suum esse, necesse est quod ipsum eius esse sit *receptum*, et contractum ad determinatam naturam „. Et ad 1^{m}: " Hoc est contra rationem facti quod essentia rei sit ipsum esse eius, quia esse subsistens non est esse creatum „.

e) Et q. 50. a. 2, negata in Angelo compositione ex materia et forma, ad quam sequitur etiam compositio ex essentia et esse, affirmat tamen in eo compositionem. " Subtracta ergo materia, et posito quod ipsa forma subsistat non in materia, adhuc remanet comparatio formae ad ipsum esse, ut potentiae ad actum. Et talis compositio intelligenda est in angelis, et hoc est quod a quibusdam dicitur, quod Angelus est compositus ex *quo* est, et *quod* est, vel ex esse et quod est, ut Boëtius dicit. Nam quod est, est ipsa forma subsistens; ipsum autem esse est *quo* substantia est; sicut cursus est quo currens currit „.

f) Eodem principio probatur quod intelligere Angeli non est eius substantia (q. 54. a. 1.); quod potentia intellectiva Angeli non est eius essentia (a. 3); quod Angelus habet causam sui esse: " solus enim Deus est suum esse; in omnibus autem aliis, differt essentia rei et esse eius „ (q. 60. a. 1.).

g) Generatim, si essentia et existentia in creatis non distinguerentur *realiter,* neque materia prima posset dici mera potentia, cui repugnet existere sine forma; neque potentiae animae distinguerentur *realiter* ab essentia. Atqui S. Thomas utrumque docet apertissimis verbis: *primum,* v. gr. 1. p. q. 66. a. 1; *De Pot.* q. 4. a. 1; *Quodl.* 3. a. 1, etc.: *secundum, De spirit. creat.;* 1. p. q. 77. a. 1°, etc. Ergo est *fundamentalis* et certissima S. Thomae doctrina, quod essentia et esse in creaturis *realiter* distinguuntur.

III. Alii plures dantur textus, in quibus S. Thomas *clarissime* docet compositionem realem ex essentia et esse in Angelis (a fortiori in materialibus uti haec sequitur ad 1m ex materia et forma), inde arguens eorum limitationem. Sufficiat unum et alterum depromere ex *Quodl.* 9. quaest. IV a. 6:.... „ Sed quia substantia Angeli non est suum esse (hoc enim soli Deo competit, cui esse debetur ex se ipso et non ab alio) invenimus in Angelo et *substantiam,* sive quidditatem eius, *quae* subsistit, et *esse* eius, *quo* subsistit; quo scilicet actu essendi dicitur esse, sicut actu currendi dicimur currere. Et sic dicimus Angelum esse compositum ex *quo est* et *quod est,* vel, secundum verbum Boëtii, ex *esse* et *quod est.* Et quia ipsa substantia Angeli in se considerata est in potentia ad *esse,* cum habet *esse* ab alio, et ipsum *esse* sit actus; ideo est in eo compositio actus et potentiae; et sic posset in eo concedi materia et forma, si omnis actus debeat dici forma, et omnis potentia materia „.

Et *Quodl.* 12. quaest. 5. a. 5..... „ Esse substantiale rei non est accidens, sed actualitas cuiuslibet formae existentis, sive sine materia, sive cum materia. Et quia esse est complementum omnium, inde est quod proprius effectus Dei est esse, et nulla causa dat esse, nisi in quantum participat operationem divinam, et sic, proprie loquendo, non est accidens. Et, quod Hilarius dicit, dico quod accidens dicitur large omne quod non est pars essentiae; et sic est esse in rebus creatis, quia in solo Deo esse est eius essentia [1]) „.

---

[1]) Cfr. etiam in Comm. ad libr. Boëtii *de Hebdom.* lect. 2.; in 1. Sent. Dist. 19. q. 2. a. 2; De Verit. q. 27. a. 1 ad 8m; Quodl. 2. a. 3 C. G. l. 2. cap. 54, etc.

THESIS VI.ª — 1° Non recte dicitur quod actus limitetur in quantum est potentia ad esse; 2° sed dicendum quod actus puri, nempe essentiae angelicae, nullo modo limitantur in ordine essentiae; 3° ratio autem limitationis et multiplicabilitatis rerum omnium in ordine essendi est compositio realis ex essentia et esse, seu receptio actus essendi in diversis essentiis.

258. Praenotanda. — I. Cum argumentum praecipuum, quo apodictice probatur distinctio realis inter essentiam et esse, sit distinctio realis inter actum et potentiam in ordine reali, qua fit quod *esse* in omnibus creatis se habet ad essentiam ut actus realis ad potentiam realem, quod quidem evincitur ex infinitate, quae competeret *τῷ esse* creato si in potentia subiectiva a se distincta non reciperetur, adversarii distinctionis realis, ut vim huius argumenti eludant, ipsum principium, nempe necessariam illimitationem actus in potentia irrecepti, omnibus viribus infringere, ut vidimus, conantur. Adstruunt enim quod actus, aliter quam per receptionem in potentia limitatur aut limitari potest, et in medium proferunt essentias angelicas etc. — Porro talibus argumentis iam singillatim responsum est in thesibus praecedentibus. Sed ut unitas et cohaerentia doctrinae S. Thomae magis appareat, opportunum visum est in unica thesi, sub unico veluti intuitu, menti obiicere causam intrinsecam distinctionis et limitationis rerum, eo vel magis quod aliqua confusio apud Thomistas in hac re invenitur. — Hoc modo ea, quae dicta sunt in thesibus praecedentibus, ampliorem recipient confirmationem, et ea, quae circa hoc iam dicta sunt in tractatu de actu et potentia, in unum colligentur.

II. Advertimus quod hic non agimus nisi de causa *intrinseca* distinctionis, limitationis et specificationis rerum: causa enim *extrinseca* est unice divina sapientia, ut pulcherrime expendit S. Thomas 1. p. q. 47. a. 1-2. — C. G. II 45; et notavimus [n. 162].

III. Et in primis notandum quod in explicatione huius rei, Thomistae ipsi in aliqua inconvenientia, ut videtur, incurrunt. Nam quamvis omnes fateantur actum non limitari nisi secun-

dum quod *recipitur* in potentia, et consequenter formas separatas esse actus *puros*, tamen ex alia parte ut aliquam rationem assignent cur unus angelus diversificetur ab alio et non habeat perfectionem alterius, recurrunt ad diversam potentialitatem ad esse, et consequenter statuunt angelos *limitari ad certum ordinem* propter diversam potentialitatem ad esse. Qui tamen modus dicendi, plura exhibet inconvenientia.

259. Probatur 1ª pars. — *Non recte dicitur quod actus limitetur in quantum est potentia ad esse.* Nam 1º iste modus dicendi statuit novum quamdam modum limitationis actus, praeter illum unicum qui assignatus est secundum principia metaphysica S. Thomae, qui est *per receptionem in potentia,* et sic aperitur via adversariis ut asserant actum non unice saltem limitari per receptionem in potentia. 2º inconveniens prorsus est assignare tanquam rationem limitationis actus (quamvis ad certum ordinem) hoc ipsum quod est *esse potentiam* in ordine essendi: nam potentia per actum non limitatur nisi in ratione potentiae, et ideo perficitur: non ergo videtur conveniens assignare tanquam rationem limitationis (quamvis ad certum ordinem) quae quomodocumque accipitur ex parte *ipsius actus*, hoc ipsum quod est perfici vel posse perfici ab actu superiori [1]).

---

[1]) Quod si dicatur quod *limitari ad certum ordinem* nihil aliud est quam *limitari in ordine essendi*, quod quidem contingit ex hoc quod essentia angelica non est ipsum Esse, sed habet esse receptum, seu est *potentia ad esse,* dicimus quod locutio non haberet per se sensum falsum. Tamen, cum limitari in ordine essendi non pertineat ad essentiam ipsam, ut per se patet, et in sequentibus ulterius declaratur, non recte dicitur quod *essentia* seu *actus angelicus* limitetur ad certum ordinem *quia* est potentia ad esse, quia hoc videtur innuere quod limitatio cadat super ipsam essentiam seu actum angelicum, quod est apprime falsum: sed dicendum cum S. Thoma quod Angelus, *ut existens,* est creatura finita simpliciter quia composita ex actu et potentia seu ex *quod est* et *quo est,* vel quod *esse* angeli est finitum quia recipitur in potentia: et hoc modo dicendi, clarius apparet quomodo limitatio in actu, *unice* habetur per receptionem in potentia subiectiva.

Sed ulterius considerandum est quod *limitari ad certum ordinem,* videtur importare non solum *limitationem in ordine essendi* seu negationem infinitatis in ordine essendi, sed praeterea *constitutionem huius vel illius ordinis essentialis,* ita ut, dicere quod essentia angelica limitatur ad cer-

3° omnes essentiae angelicae conveniunt in hoc quod sunt potentiae ad esse, et *ideo* esse est diversum quia essentia est diversa, non autem e contra, ut dictum est [nn. 100-102]; non ergo potest accipi potentialitas ad esse tanquam ratio limitationis *ad certum ordinem*. 4° denique nunquam S. Th. dicit quod angeli limitantur quia sunt potentiae ad esse.

Unde patet quod in hac re aliqua confusio orta est ex hoc quod pro eodem habitum est *limitari* in ratione essentiali et habere certam essentiam *diversam* ab alia: quae duo tamen prorsus differunt, et ita quidem ut *secundum* concedendum sit in angelis, *primum* vero prorsus sit negandum.

Probatur 2ª pars. — *Actus puri, nempe essentiae angelicae nullo modo limitantur in ordine essentiae.* Neganda scilicet omnino est in angelis omnis limitatio quae quomodocumque respiciat *essentiam* ipsam angelicam: nam cum sint actus irrecepti, sunt omnino infiniti in ratione essentiali; unde *in hac linea,* nempe in linea essentiali, petere quomodo angeli limitantur, est implicare in terminis. — Fatendum est tamen quod unus angelus differt ab alio, et ita differt ut unus ne aequivalenter quidem habeat perfectionem alterius. Porro hoc importat duo: et *primo* quidem aliquam *limitationem* quae concipitur esse non *intra* sed saltem *ad* certum ordinem ex eo quod nempe unus non sit alius: et *secundo* aliquam *certam rationem essentialem,* nempe

---

tum ordinem quia est potentia ad esse, videatur insinuare quod potentialitas ad esse sit ratio constitutiva seu determinativa cuiuslibet essentiae angelicae in proprio ordine essentiali. Tunc autem locutio haberet sensum falsum: quamvis enim, ut in thesi declaratur, receptio τοῦ esse in potentia, sit prima ratio multiplicabilitatis in ordine essendi (esse enim subsistens est necessario unicum), tamen diversitas naturarum praeintelligitur diversitati actus essendi, et ideo non est dicendum quod angeli constituantur in diversis ordinibus essentialibus *quia diversimode sunt potentiae ad esse,* sed sunt diversae potentiae ad esse *quia* sunt diversi ordines essentiales seu diversae essentiae: essentiae rerum autem *seipsis differunt,* ut in thesi declaratur, et non per ordinem ad aliquid extrinsecum.

Unde patet quod praedictus modus dicendi — *limitari nempe essentias angelicas ad certum ordinem quia sunt potentiae ad esse* — quamvis a Thomistis passim adhibeatur, consultius est relinquendus, tum quia non est S. Thomae, tum quia aliquem sensum falsum inducere potest.

ipsam perfectionem propriam talis speciei angelicae. Sed si bene attendatur, primum, idest limitatio quae dicitur *ad certum ordinem,* non est limitatio *in ordine essentiae,* sed est mera limitatio *in ordine essendi:* hoc enim quod est non habere perfectionem alterius essentiae, quamvis tota habeatur perfectio propriae essentiae, aliud non est nisi habere esse non infinitum, sed limitatum: tantum enim esse infinitum continet in se perfectionem omnium essentiarum, quae quomodocumque pertinere possunt ad ordinem essendi. Unde tandem haec non est nisi limitatio in ordine essendi, non vero limitatio in ordine essentiae. Audiatur S. Thomas: " Omnis creatura est *finita simpliciter,* in quantum *esse* eius non est absolute subsistens, sed *limitatur ad* naturam aliquam cui advenit: (limitatio ergo in ordine entis, est *limitatio simpliciter,* qua omnes creaturae constituuntur *finitae simpliciter*). Sed nihil prohibet aliquam creaturam esse secundum quid infinitam. Creaturae autem materiales habent infinitatem ex parte materiae, sed finitatem ex parte formae, quae limitatur per materiam in qua recipitur. Substantiae autem immateriales creatae sunt *finitae secundum esse,* sed *infinitae* secundum quod earum formae non sunt receptae in alio: (non dicit S. Thomas quod forma ipsa per esse finiatur seu limitetur quomodocumque, sed imo dicit quod formae sunt infinitae, *esse* autem, et *esse tantum* est finitum): sicut si diceremus albedinem separatam existentem esse infinitam quantum ad rationem albedinis, quia non contrahitur ad aliquod subiectum: *esse* tamen eius esse finitum, quia determinatur ad aliquam naturam specialem „ (nempe ad ipsam naturam albedinis, et ideo est esse receptum, non autem ipsum esse ut sic). (1. p. q. 50 a. 2. ad 3m). Stet ergo quod naturae angelicae nullo modo sunt limitatae in linea essentiae: limitatio vero ipsarum est tantum in linea essendi, quod est dicere: *esse* ipsarum est limitatum.

Probatur 3a pars. — *Ratio limitationis et multiplicabilitatis rerum omnium in ordine essendi, est compositio realis ex essentia et esse.*

Hoc manifeste sequitur ex his quae diximus de actu et potentia. Nam actus purus est unicus in sua ratione [n. 78]: ergo in tantum dari possunt plura *in ordine essendi* in quantum

esse deficit a puritate, seu recipitur in potentia. Ergo compositio ex essentia et esse est prima ratio cur sit possibilis distinctio et multiplicatio rerum in ordine essendi. — Patet autem quod eadem est etiam ratio limitationis rerum in hoc ipso ordine: in tantum enim entia sunt limitata in ordine entis seu essendi, in quantum esse recipitur in potentia [n. 79]. Unde sapienter S. Th.: " Plura dicitur aliquid ex hoc quod est divisibile vel divisum (ut enim videbimus in seq. divisio vel distinctio opponitur *unitati*). Unde omne illud quod est causa divisionis, oportet ponere causam pluralitatis. Causa autem divisionis, aliter accipienda est in posterioribus et compositis, et in primis et simplicibus. In posterioribus namque et compositis causa divisionis quasi formalis, idest ratione cuius fit divisio, est diversitas *simplicium* et *primorum:* quod patet in divisione quantitatis: dividitur enim una pars lineae ab alia, per hoc quod diversum habent situm, quod est *quasi formalis differentia* quantitatis continuae positionis habentis. Patet etiam in divisione substantiarum; dividitur enim homo ab asino per hoc quod *habet diversas differentias constitutivas.* Sed *diversitas* qua dividuntur posteriora composita secundum priora et simpliciora, praesupponit *pluralitatem* primorum et simplicium: ex hoc enim homo et asinus habent diversas differentias, quod rationale et irrationale non sunt una sed *plures* differentiae. Nec potest semper dici quod illius pluralitatis sit alia *diversitas* aliqua prior et simplicior causa: quia sic esset abire in infinitum. Et ideo pluralitatis et divisionis priorum et simplicium oportet alio modo causam assignare. Sunt enim huiusmodi *secundum seipsa divisa.* Non potest autem esse quod ens dividatur ab ente in quantum est ens: nihil autem dividitur ab ente nisi *non ens.* Similiter etiam ab *hoc* ente non dividitur hoc ens, nisi per hoc quod in hoc ente includitur negatio illius entis..... Unde primum causatum, in hoc facit *pluralitatem* cum causa quod *non attingit* ad -eam..... (cum autem) unum aliquid possit primum in aliquo imitari in quo alterum deficit ab eo, et deficere in quo alterum imitatur..... sic possunt inveniri plures primi effectus in quorum quolibet est et *negatio causae,* et *negatio alterius effectus* secundum idem, vel *secundum remotiorem distantiam* in

uno et eodem. Sic igitur patet quod pluralitatis vel divisionis *ratio prima* sive principium est *ex affirmatione et negatione,* ut talis ordo originis pluralitatis intelligatur quod *primo sint intelligenda ens* et *non ens,* ex quibus ipsa prima divisa constituuntur, ac per hoc sunt plura „. Cum autem oppositio inter ens et non ens, secundum S. Th. sit ex permixtione potentiae et actus manifeste sequitur quod prima ratio divisionis et pluralitatis sit compositio ex essentia et esse, ex qua accipi possunt diversae imitationes ipsius Esse secundum accessum et recessum ad ipsum. " Unde sicut primum ens in quantum indivisum est, statim invenitur unum: ita post divisionem entis et non entis, statim invenitur pluralitas primorum simplicium. Hanc autem *pluralitatem* sequitur ratio *diversitatis* „. (In *Boet. de Trin.* q. 4. a. 1. c.).

Et adhuc explicite: " Quia in intelligentiis ponitur potentia et actus non erit difficile invenire numerum intelligentiarum, *quod esset impossibile* si nulla potentia in eis esset „. *De Ente et essentia.* Et iterum: " Omne quod est in genere substantiae, est compositum *reali* compositione: eo quod id quod est in praedicamento substantiae, est in suo esse subsistens, et oportet quod *esse* suum sit *aliud* quam ipsum, *alias non posset differre secundum esse ab illis cum quibus convenit in ratione suae quidditatis* „. Unde patet quod ratio diversitatis secundum esse in his quae conveniunt *in ratione suae quidditatis,* idest in genere substantiae, est compositio ex essentia et esse: non quod *esse* sit secundum se ratio diversitatis, cum e contra esse diversificetur secundum diversitatem naturarum [cf. n. 98 etc], sed quia in tantum concipi potest multiplicatio in ratione essendi, in quantum esse non est purum sed est receptum in potentia: cum enim recipiatur in potentia, multiplex et diversum esse potest, secundum multiplicitatem et diversitatem ipsarum potentiarum, quarum ratio diversitatis, ut supra audivimus a S. Doctore, est diversa imitabilitas divinae Essentiae secundum accessum et recessum ad ipsam. — " Ipsa enim similitudo primi actus, in quacumque materia existens est forma eius „. (*in Boet. ib.* a. 2).

259. Nota 1ª. Patet quod praeter rationem diversae imitabilitatis Ipsius Esse secundum diversum accessum et recessum

ab Ipso, non potest assignari ulterior ratio diversitatis seu potius taleitatis specificae rerum. Essentiae enim *seipsis differunt* et sunt sicut numeri: ratio enim cur Michaël est Michaël est quia est Michaël et ratio cur album sit album, est quia est album: et ratio cur homo sit homo est quia est homo. Unde Phil. et S. Th. dicunt quod " quaerere propter quid homo est homo, est nihil quaerere „ (VII *Met.* l. 17). Tamen in essentiis compositis possumus quaerere ulterius causas intrinsecas constitutionis talis essentiae, et hoc facimus assignando causam formalem et materialem: quod non est possibile ubi agatur de ipsis formis: compositio autem ista ex materia et forma est deinde, ut vidimus, ratio multiplicabilitatis rerum in ordine essentiae: quaerere ergo possum cur Petrus non est tota ratio humanitatis, sicut cur ternarius boum non sit ipsa ratio ternarii, et respondetur assignando potentiam seu subiectum in ipsa ratione essentiali: ratio autem diversitatis in ratione subiecti in ordine essentiali, est ultimo, ut vidimus, materia signata.

260. Nota 2ª. Analogia quaedam posset institui inter modum *diversitatis* specificae et diversitatis, seu potius distinctionis numericae. Utraque enim, ut dictum est, provenit *tantum* ex parte *potentiae;* ita tamen quod diversitas specifica proveniat ex parte ipsius essentiae quatenus sive simplex sit sive composita, comparatur ut potentia relate ad esse: diversitas numerica ex parte materiae signatae quae comparatur ut potentia relate ad formam. Sicut autem essentiae diversae, quae sunt potentiae ad esse, *seipsis* sunt intrinsece diversae (quamvis si sint compositae, adhuc in ipsis sit assignabilis intrinseca ratio diversae constitutionis specificae) ita partes materiae, quae sunt potentiae ad formam, *seipsis* sunt diversae, seu potius distinctae: materia enim sub quantitate, ex seipsa habet quod individuetur. Et sic utrobique ratio diversitatis se tenet ex parte potentiae, et quidem non solum quia nisi actus reciperetur in potentia, esset prorsus immultiplicabilis, sed quia diversitas seu distinctio potentiae non est repetenda nisi ex parte ipsius potentiae secundum se. Unde simpliciter et in quocumque ordine *ratio diversitatis et distinctionis non est nisi potentia*, cuius diversitatis ratio ultimo, ut vidimus cum S. Th. repetenda est ex *divisione*

inter ens et non ens. Et sic omnia, in doctrina S. Th. ad miram reducuntur unitatem.

261. Obiectiones. — **Ob. 1**[a]. Quod ita est tale quod non est aliud, est finitum in ipsa ratione essentiali. Atqui Michaël ita est Michaël quod non est Gabriel. Ergo est finitum in ipsa ratione essentiali.

Resp. *D.M.* Quod ita est tale quod non sit aliud et habet causam materialem taleitatis suae, est finitum in ratione essentiali *C.M.* si non habet causam materialem taleitatis suae *Sbd* est finitum in propria ratione essentiali *N.M.* est finitum in ratione essentiali ut sic *Sbd.* quae finitas pertinet ad ordinem essendi *C.M.* pertinet proprie ad ordinem ipsius essentiae *N.M.* — *Cdm.* — *D.C.* est finitum in propria ratione essentiali *N.C.* in ratione essentiae ut sic *Sbd. ut in M.*

Si quid ergo habet causam intrinsecam materialem suae rationis specificae, certe est compositum ex potentia et actu in ipso ordine essentiali, et ideo est finitum in hoc ipso ordine essentiali : sed si quid non habet causam materialem suae rationis specificae et non est nisi pura forma, seu purus actus, est infinitum in sua ratione essentiali: quod si non est omnis actus, hoc non pertinet ad limitationem ipsius essentiae, sed potius est limitatio in ordine essendi, hoc ipso quod provenit unice ex hoc quod non est ipsum esse. — Noto tamen quod posset dici quod formae separatae habeant ut causam quasi materialem propriae rationis specificae ipsam potentialitatem ad esse, non quod potentialitas ad esse concurrat revera ut causa materialis ad constitutionem rationis specificae ipsarum, sed quia nisi esset talis potentialitas, non esset possibilis ratio unius quidditatis ut distinctae ab alia: potentialitas enim ad esse est ex parte creaturae unica ratio cur sit possibilis multiplicatio in ordine entis, quamvis haec ipsa multiplicatio de facto non haberetur nisi ipsae naturae essent secundum se diversae: ut enim saepe dictum est, actus non multiplicaretur nisi deficeret a puritate per receptionem in potentia, et quidem in potentia quae *diversimode* ipsum limitet atque determinat. Diversitas ergo potentiarum requiritur quoque ad multiplicationem actus.

Instab. Quamvis unusquisque Angelus sit infinitus in pro-

pria ratione specifica, est tamen finitus in ratione generica, nempe in ratione essentiae angelicae. Atqui ratio generica est profecto ratio essentialis. Ergo Angelus quin sit receptus in potentia est finitus in ratione essentiali.

Resp. *D.M.* Quae tamen limitatio in ratione generica non desumitur a principio quodam realiter distincto ab eo a quo sumitur ratio ipsa specifica, et ideo est limitatio mere in ordine rationis *C.M.*: quae sumitur ab alio principio et ideo sit limitatio in ordine reali *N.M.* — *Cdm.* ratio generica est ratio essentialis, quae tamen non necessario semper sumitur a principio potentiali in ipso ordine essentiae *C.m.* quae sumitur semper a principio potentiali in ipso ordine essentiae *N.m.* — *D.C.* potest accipi ut finitus in ratione essentiali quasi compositus ex actu et potentia in ordine rationis *C.C.* est finitus in ratione essentiali secundum rem *N.C.*

Quando genus desumitur a principio potentiali realiter distincto a principio actuali, tunc compositio ex genere et differentia, quamvis sit compositio mere in ordine logico, arguit tamen compositionem et ideo limitationem in ipso ordine essentiali: sed quando non desumitur nisi ab una eademque realitate, tunc nullam arguit compositionem et limitationem in ordine reali nisi illam primam ex qua procedit ipsa multiplicabilitas quidditatum in genere substantiae, nempe compositionem ex essentia et esse. Sed ista, ut patet, est compositio et limitatio in ordine *essendi*, et non in ordine essentiae.

Ob. 2ª. Si prima ratio limitationis et multiplicationis rerum in ordine entis, est compositio ex essentia et esse, videtur quod bene possit dici quod essentiae angelicae limitantur ad certum ordinem, quia sunt potentiae ad esse: idem enim est dicere *ens compositum ex essentia et esse, et essentiam quae sit realis potentia ad esse.*

Resp. Aliud est dicere quod *ens* limitetur, seu potius sit limitatum quia in ipso est realis potentia ad esse, et aliud est dicere quod *essentia* limitetur quia est potentia ad esse. Ens enim potest significare ipsum compositum ex essentia et esse: compositum autem ex essentia et esse vere est limitatum, quia includit esse receptum in potentia. Sed dicere quod *essentia limi-*

tetur ad certum ordinem quia est potentia, videtur innuere quod essentia ipsa limitetur, seu quod limitatio cadat in ipsam essentiam, et hoc praecise *quia* est potentia. Porro hoc est falsum propter rationes praedictas. Si quis autem advertit quod limitari *ad certum ordinem* nihil aliud est quam limitari in *ordine entis,* seu esse *finitum sempliciter,* tunc bene potest dicere quod essentia angelica limitatur ad certum ordinem, seu habet esse finitum, quia esse recipitur in ipsa tanquam in potentia, seu, quod idem est, quia ipsa se habet ad esse tanquam potentia. Hoc autem verissimum est quia omnis ratio limitationis in actu, est propter receptionem in potentia. In tantum ergo reprobatur talis modus dicendi in quantum videtur innuere quod sit possibilis aliqua limitatio in actu, *quae non sit per receptionem in potentia,* sed absolvatur per hoc quod aliquis actus se habeat ut potentia ad ulteriorem actum: hoc enim est omnino falsum, quia per hoc quod unus actus se habet ut potentia ad alium, ipse in se *nullo modo* limitatur, sed potius perficitur, et tota limitatio se tenet ex parte actus qui recipitur.

Quod autem dicitur de limitatione, proportionaliter dici debet de multiplicabilitate: ratio prima multiplicationis essentiarum est ex hoc, quod deficiunt ab esse et imitantur ipsum: omnis enim *diversitas,* ut audivimus a S. Doctore, est ex *divisione:* divisio autem ex oppositione inter ens et non ens: quod est ex permixtione actus cum potentia.

THESIS VII.ª — 1º **Quamvis creata existentia respectu essentiae creatae haberi possit tamquam accidens praedicabile;** 2º **nequit tamen dici accidens praedicamentale, neque respectu substantiae, neque respectu essentiae alicuius accidentis;** 3º **existentia nihilominus substantiae reducitur ad ipsam praedicamentalem substantiam, et existentia diversorum accidentium reducitur ad praedicamentum proprii accidentis.**

262. **Probatur 1ª pars.** — Existentia creata haberi potest ut accidens praedicabile. — Quidquid intelligitur esse extra essentiam alicuius, et in eo invenitur, est, respectu ipsius, accidens quoddam praedicabile. Existentia autem non est aliquid pertinens intrinsece ad aliquam creatam essentiam, sicut constat ex

thesibus praecedentibus. Unde respectu cuiusvis creatae essentiae haberi potest tamquam praedicabile accidens. Et sic dicitur quod esse non est de intellectu essentiae sed accidens eius.

Probatur 2ª pars. — *Existentia numquam haberi potest ut accidens praedicamentale respectu alicuius essentiae, sive haec sit essentia substantiae, sive sit essentia accidentis.* — Etenim nullum accidens praedicamentale potest constituere cum illo cui accidit, aliquid per *se unum:* est enim de ratione talis accidentis, quod faciat esse secundum quid et non simpliciter: si autem faceret per se unum, faceret esse simpliciter et non tantum secundum quid. At vero existentia simul cum essentia constituit unum *per se existens:* non enim in tali composito habentur duo *quae sint,* sed unum tantum quod est. Et hoc sive agatur de essentia alicuius accidentis, sive agatur de essentia substantiae: nam non solum ex. gr. *homo* cum suo esse est unum existens, sed etiam *albedo* cum suo. Respectu igitur nullius essentiae potest existentia dici accidens praedicamentale.

Probatur 3ª pars. — *Reducitur tamen ad praedicamentum substantiae vel accidentis.* — Quia esse est actus quidam ipsius essentiae, seu ultima actualitas eius, quae per ipsum formaliter constituitur extra causas; quidquid autem spectat aliquam essentiam, ut de se ordinatum ad illam, reducitur ad praedicamentum ipsum, in quo talis essentia collocatur; ideo esse seu existentia substantiae reductive ponitur in praedicamento substantiae, et dicitur aliquid substantiale; existentia vero accidentis ponitur reductive in eo praedicamento in quo tale accidens invenitur ex. gr. existentia *coloris* in praedicamento *qualitatis,* et existentia *paternitatis* in praedicamento *relationis;* et dicitur aliquid accidentale.

263. Dices 1º. Existentia non pertinet ad intrisecam constitutionem alicuius creatae essentiae, sed exercet suum formalem effectum in essentia iam ex suis principiis constituta. Sed id quod non est de intrinseca ratione alterius, et in eo exercet formalem effectum est accidens. Ergo existentia est accidens.

R. Ut aliquid respectu alterius sit accidens praedicamentale, non sufficit quod exerceat formalem effectum in illo ut in aliquo iam in seipso constituto; sed requiritur ut cum eo consti-

tuat solum *unum per accidens* et non *unum simpliciter*. At existentia simul cum essentia, in qua exercet effectum suum formalem, constituit simpliciter unum in ordine existentiae, et non tantum unum per accidens. Unde respectu eius nequit dici accidens praedicamentale; quamvis quia non est de intrinseca constitutione essentiae in ipso ordine essentiae, habeatur respectu illius ut accidens praedicabile.

Dices 2º. Existentia creata non est aliquid in se subsistens, sed essentiae inhaeret tanquam in proprio subiecto. Sed id quod alteri inhaeret est accidens. Ergo existentia creata est accidens.

R. Non quidquid in alio recipitur ut in sua potentia, dicitur *inhaercre* illi, stricte sumendo hanc vocem *inhaerere*. Unde non potest dici in veritate quod anima inhaereat corpori. Sed solum dicitur *inhaerere* id quod sic recipitur in potentia ut constituat *unum per accidens:* sicut ex. gr. *albedo* dicitur inhaerere *homini,* quia sic in eo recipitur ut faciat *esse album,* quod non est *esse hominem*. At existentia facit per se unum cum essentia in ordine existentiali, ut dictum est; neque facit unum per accidens in ordine essentiae: nam non addit aliam essentiam illi cui accidit sed solum reddit eam formaliter existentem.

THESIS VIII.ª — Existentia accidentium non est ipsa existentia substantiae, in qua sunt.

264. Probatur. — Repugnat quod aliquid sit in alio ut accidens eius, et existat per ipsam existentiam illius. Nam id quod respectu alterius dicitur accidens, non facit cum eo aliquid per se unum, sed solum quid unum per accidens: manifestum namque est quod illud, *quod est unum per se cum alio,* non est superadditum ei, neque proinde accidens eius. Iamvero id quod existit per existentiam alterius, facit necessario cum ipso *per se unum:* quia esse est quod actualius invenitur in omnibus: si quae autem in aliquam identicam actualitatem conveniunt, iam constituunt aliquid per se unum. Et ideo ea quorum idem est esse non sunt unita per accidens, sed sunt quid per se unum. Repugnat igitur quod aliquid sit *accidens* respectu alicuius et tamen habeat ipsum esse eius. Porro si accidentia sunt in substantia tanquam in proprio subiecto physico, et non existunt

per existentiam eiusdem substantiae, dici debent habere proprium quoddam esse distinctum ab esse substantiae.

265. Dices 1°. Quod terminatur per proprium esse, nequit essentialiter ordinari ad aliud tanquam ad physicum subiectum sustentationis, ita ut ab hoc pendeat in esse. Sed accidentia habent essentialiter ordinem ad substantiam tamquam ad subiectum. Ergo.

R. Id quod terminatur per proprium *esse* nequit ordinari ad aliud tamquam ad subiectum physicum si hoc esse est quoddam *esse simpliciter:* sed si est *esse secundum quid,* naturaliter postulat quod praecedat *esse simpliciter* illius cuius dicitur *esse secundum quid:* nihil enim potest secundum quid esse, nisi sit simpliciter. Porro esse quod convenit substantiae est *simpliciter esse:* illud autem quod convenit accidenti est *esse secundum quid.* Necesse est enim quod esse proportionetur essentiae, sicut generatim actus proportionatur potentiae. Essentia autem substantiae dicitur secundum quam alicui competit esse *simpliciter;* essentia vero accidentis est secundum quam alicui competit esse *secundum quid;* non ergo repugnat quod accidentis sit proprium esse distinctum ab esse substantiae, et tamen ipsum accidens dicat essentialiter ordinem ad substantiam.

Dices 2°. Accidens est entis ens (7 *Met.*) Sed eatenus aliquid dici potest ens alterius, in quantum participat de esse ipsius. Ergo accidentium esse nequit esse aliud ab esse substantiae.

R. Ad hoc ut aliquid dicatur *entis ens,* non debet habere ipsum *esse simpliciter* illius ; sic enim esset unum ens cum illo : sed potius debet habere quoddam esse distinctum ab illius *esse simpliciter,* et quod comparetur ad illud tamquam esse *secundum quid* ipsius. Hoc autem habet accidens; unde dicitur quod esse accidentis est *inesse;* et non *per se esse,* cuiusmodi est esse substantiae.

THESIS IX.ª — Esse utpote actualitas omnium actum in quolibet creato ente perfectius est essentia.

266. Probatur. Quidquid non est *ipsum esse subsistens,* in tantum habet quod sit aliquid, in quantum ordinatur ad participationem quamdam huius quod est esse : unde omnia quae

possunt intelligi, et ipsae essentiae rerum, per respectum ad esse necessario habere se debent tanquam potentiae: *esse* autem nequit cum proprietate dici potentia respectu alicuius, sed est ultima actualitas omnium. Iamvero actus dici debet nobilior potentia quotiescumque cum ipsa constituit aliquid *per se unum,* et quando pertinet ad ordinem superiorem illo, in quo forte sua potentia habet rationem actus. Ratio primi est quia in eo quod est per se unum, potentia se habet ut perfectibilis simpliciter, actus vero ut perficiens simpliciter et non solum secundum quid. Patet autem quod ubi invenitur simpliciter perficiens et perfectibile, nobilius est id quod aliud perficit, quam quod perficitur. Ratio secundi est, quia actus superioris ordinis semper antecellit quemcumque actum ordinis inferioris sicut ordo superior nobilior est inferiori. Unde etiam quando non facit unum simpliciter cum sua potentia, sed unum tantum per accidens, eo quod non tribuat *simpliciter esse,* sed solum esse *secundum quid,* semper tamen illam trahit ad participationem ordinis nobilioris illo, in quo potentia iam possidet actum. Et sic ex. gr. supernaturalis gratia nobilior est quavis creata substantia, licet ipsa sit accidens, nec faciat illam esse simpliciter, sed solum secundum quid. — Et quantum ad utrumque apparet *esse* nobilius essentia. Nam et unitur ei sicut actus propriae potentiae, constituens cum ea *unum per se existens,* sicut supra dictum est; et est actus pertinens ad ordinem superiorem ordine cuiusvis creatae essentiae, quia esse est illud ad quod cetera comparantur tamquam potentia simpliciter perfectibilis ad actum perficientem simpliciter. Constat itaque quod in omni ente creato actus essendi semper nobilior est essentia. Hinc S. Th. 1ª p. q. 4. a. 1. ad 3m. ait: " Dicendum quod ipsum *esse* est perfectissimum omnium; comparatur enim ad omnia ut actus, nihil enim habet actualitatem, nisi in quantum est; unde ipsum esse est actualitas omnium rerum, et etiam ipsarum formarum. Unde non comparatur ad alia sicut recipiens ad receptum, sed magis sicut receptum ad recipiens; cum enim dico *esse* hominis vel equi, vel cuiuscumque alterius, ipsum esse consideratur ut formale et receptum, non autem ut illud cui, competit esse „ Et *de Pot.* q. 7ª a. 2. ad 9m: " Hoc quod dico *esse* est inter omnia perfectissimum:

quod ex hoc patet, quia actus est semper perfectior potentia. Quaelibet autem forma signata non intelligitur in actu, nisi per hoc quod esse ponitur. Nam humanitas, vel igneitas, potest considerari ut in potentia materiae existens, vel ut in virtute agentis, aut etiam ut in intellectu : sed per hoc quod habet esse efficitur actu existens. Unde patet quod hoc quod dico *esse* est actualitas omnium actuum, et propter hoc est perfectio omnium perfectionum „. Et C. G. l. 3. c. 66. " Quod est omnibus agentibus perfectissimum est *esse :* Quaelibet enim natura vel forma perficitur per hoc quod est actu, et comparatur ad esse in actu, sicut potentia ad actum ipsum „.

267. Dices 1°. Essentia uniuscuiusque rei est illud, unde desumimus maiorem vel minorem eius dignitatem in ordine entium. Ergo essentia est nobilior quam esse.

R. Ex consideratione essentiae arguimus maiorem vel minorem dignitatem in ordine entium ; quia non possumus intelligere diversitatem huius, quod est *esse,* nisi in quantum cognoscimus quod est esse huius vel illius naturae seu formae. Sed nulla essentia intelligitur in actu nisi per hoc quod esse ponitur.

Dices 2°. Actus qui non recipitur in potentia, nobilior est illo, qui in ea est receptus. Sed quaedam creatae essentiae, ut angelicae mentes, sunt actus, qui in nulla potentia recipiuntur : *esse* vero in qualibet creatura est actus receptus in potentia, scil. in essentia. Ergo saltem non semper *esse* nobilius est essentia.

R. Absolute et simpliciter loquendo de actu secundum seipsum, dicere oportet actum non receptum nobiliorem esse actu, qui in potentia recipitur. Sed inspiciendo actum in diversis ordinibus, statui quoque debet, quod actus pertinens ad aliquam superiorem ordinem, licet sit receptibilis in potentia, semper superat dignitate quemcumque actum inferiorum ordinum qui in potentia non recipiuntur.

QUAESTIO QUARTA.

De Uno Transcendentali.

THESIS I.ª — Unum transcendentale h. e. quod convertitur cum ente, non addit aliquid supra ens, nisi negationem divisionis tantum, non quod significet ipsam indivisionem tantum sed substantiam eius cum ipsa. (Cf. S. Th. 1. p. q. 30. a. v. et *De Pot.* q. 9. a. 7.).

268. Probatur 1ª pars. — *Unum transcendentale non addit aliquid super ens.* — Quia quaelibet res est una per suam substantiam, sicut per suam substantiam est ens; nam si per aliquid aliud esset una quaelibet res, cum illud iterum sit unum, cum unum et ens convertatur, si esset iterum unum per aliquid aliud, esset abire in infinitum : unde standum est in primo. — Ergo dicendum est quod unum quod convertitur cum ente non addit aliquam rem supra ens. (Cf. S. Th. 1. p. q. 11. a 1. ad 1m et IV *Met.* l. II.).

Probatur 2ª pars. — *Nisi negationem divisionis.* - Quia unum quod convertitur cum ente nihil aliud significat quam *ens indivisum.* Nam omne ens aut est simplex aut compositum : quod autem est simplex, est indivisum et actu et potentia : quod autem est compositum non habet esse, quamdiu partes eius sunt divisae, sed postquam constituunt et componunt ipsum compositum ; unde manifestum est quod *esse* cuiuslibet rei consistit in indivisione. Ergo unum transcendentale non addit supra ens nisi negationem divisionis (Cf. S. Th. 1. p. q. 11. a. c.).

Probatur 3ª pars. — *Non significat ipsam indivisionem, sed substantiam cum ipsa.* - Uti vidimus, unum transcendentale significat ens indivisum ; ergo de quocumque dicatur unum transcendentale, significatur illa res indivisa, sicut unum dictum de homine significat naturam vel substantiam hominis non *divisam;* et eadem ratione cum dicuntur res multae, multitudo sic accepta significat res illas cum indivisione circa unamquamque earum. Ergo etc. (Cf. S. Th. 1. p. q. 30, a. 3).

269. Obiectiones. Ob. 1ª Omne quod est in aliquo genere determinato, se habet ex additione ad ens, quod circuit omnia genera. Sed unum est in genere determinato. Ergo unum addit aliquid supra ens.

Resp. *C.M.* — *D.m.* unum praedicamentale est in genere determinato *C.m.;* unum transcendentale est in genera determinato *N.m.* — *D.C.* si esset unum praedicamentale *C.C.* si etc. *N.C.* — Duplex est unum, transcendentale de quo nunc loquimur, et praedicamentale de quo alibi agitur: primum nihil addit supra ens, uti explicatum est, secundum vero addit aliquid accidentale pertinens ad genus quantitatis supra id de quo dicitur, scilicet supra substantiam entis, et est principium numeri qui est quaedam species quantitatis, quae non habet locum nisi in materialibus. Cf. Cosmol. De Quantitate.

THESIS II.ª — Nec tamen est nugatio cum dicitur: ens unum, quia unum addit aliquid secundum rationem supra ens: hinc quamvis ens et unum sint idem re, tamen differunt ratione. (Cf. S. Th. 1. p. q. 11. a. 1. ad 3. et X. *Metaph.* l. 3).

270. Praenotandum. — Quid sit ratio, vidimus in Logica [n. 33] Cf. S. Th. 1. D. 2. q. 1. a. 3.

271. Probatur. Nam unum supra ens importat conceptionem seu rationem indivisionis, quae utique importatur a nomine "*entis*„ cum non possit esse ens quin indivisum sit, at non exprimitur non significatur. Ergo unum addit aliquid secundum rationem supra ens: ergo quamvis unum et ens sint idem re, h. e. quamvis importent eamdem rem, tamen *differunt ratione* quia unum addit supra ens rationem indivisionis, quae non exprimitur, sed tamen importatur ab ente; et ideo haec duo distinguuntur non re sed per solam operationem intellectus scilicet ratione.

Hinc S. Th. IV. *Met.* l. 2. "Patet autem ex praedicta ratione, non solum quod sunt *unum re,* sed quod differunt *ratione.* Nam si non differunt ratione, essent penitus synonyma, et sic nugatio esset cum dicitur ens homo et unus homo. Sciendum est enim quod hoc nomen *homo,* imponitur a quidditate tantum; hoc vero nomen *ens* imponitur ab actu essendi: et hoc nomen *unum* ab ordine vel indivisione. Est enim unum ens indivisum,

Idem autem est quod habet essentiam et quod est in se indivisum. Unde ista tria, *res, ens, unum,* significant omnino idem sed secundum diversas rationes „.

THESIS III.ª — **Unitati quae convertitur cum ente opponitur transcendentalis multitudo, quae hoc modo se habet ad multa de quibus praedicatur, sicut unum quod convertitur cum ente, ad ens.**

272. **Probatur 1ª pars.** — *Unitati quae convertitur cum ente opponitur transcendentalis multitudo.* — Ad huius evidentiam considerandum est quod omnis pluralitas consequitur aliquam divisionem. Est autem duplex divisio: *Una materialis,* quae fit secundum divisionem continui, et hanc consequitur numerus qui est species quantitatis; unde talis numerus non est nisi in rebus materialibus habentibus quantitatem; *Alia* est divisio *formalis,* quae fit per oppositas vel diversas formas, et hanc divisionem sequitur multitudo quae non est in aliquo genere, sed est de transcendentibus, secundum quod *ens dividitur per unum et multa.* Ergo unitati quae convertitur cum ente opponitur transcendentalis multitudo (1. p. q. 30. a. 3. c.).

Probatur 2ª pars. — *Quae se habet ad multa sicut unum ad ens.* — Huiusmodi unum, nempe unum transcendentale, sicut supra dictum est, non addit supra ens, nisi negationem divisionis tantum, unum enim significat ens indivisum; et ideo de quocumque dicatur unum, significatur illa res indivisa; sicut unum dictum de homine significat naturam vel substantiam hominis non divisam. Ergo multitudo transcendentalis cum importet multa entia, seu multas transcendentales unitates, sequitur quod se habet ad multa de quibus praedicatur sicut unum, quod convertitur cum ente ad ens, scilicet quod cum dicuntur res multae, multitudo transcendentaliter accepta *significat res illas cum indivisione circa unamquamque earum,* quia de ratione multitudinis est quod ex unitatibus constet. (Cf. S. Th. 1. p. q. 30 a 3. et *de Pot.* q. 9. a. 7. c.).

273. **Nota 1ª.** In hoc loco S. Th. inter alia haec habet " Multitudo autem ei correspondens addit supra ens, quae dicuntur multae, quod unaquaeque earum sit una (indivisa) et quod *una earum non sit altera, in quo consistit ratio distinctionis;* et sic

cum unum addat supra ens unam negationem, sc. quod aliquid est indivisum in se, multitudo addit *duas negationes*, prout scilicet aliquid est in se indivisum, et prout est ab alio divisum; *quod quidem dividi est unum eorum non esse alterum* „.

Nota 2ª. Unum non est remotivum multitudinis sed divisionis, quae est prior sc. rationem, quam unum et multitudo. Multitudo autem non removet unitatem, sed removet divisionem circa unumquodque eorum ex quibus constat multitudo „ — 1. p. q. 30. a. 3. ad 3m.

274. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Quod dividit aliquid commune, se habet ex additione ad illud, et non est transcendens. Atqui ens dividitur per unum et multa — Ergo unum et multa non sunt transcendentia et addunt aliquid supra ens.

Resp. *D.M.* Quod dividit aliquid commune ad modum propriae differentiae divisivae, se habet ex additione ad illud, et non est transcendens *C.M.;* quod dividit aliquid improprie dictum commune, seu universale, quod non differt a diviso nisi ratione, quae utique non exprimitur, sed a diviso importatur, se habet ex additione ad illud etc. *N.M.* - *D.m.* Ita tamen quod unum et multa non sint membra quae proprie dividant ens *C.m.;* secus *N. m.* — *N.C.* — S. Thomas 1. p. q. 11. a. 1. ad 2m. " Nihil prohibet id quod est uno modo divisum, esse alio modo indivisum; sicut quod est divisum numero, est indivisum secundum speciem; et sic contingit aliquid esse uno modo unum, alio modo multa. Sed tamen si sit indivisum simpliciter, vel quia est indivisum secundum id quod pertinet ad essentiam rei; licet sit divisum quantum ad ea quae sunt extra essentiam rei, sicut quod est unum subiecto, et multa secundum accidentia; vel quia est indivisum in actu, et divisum in potentia, sicut quod est unum toto, et multa secundum partes; huiusmodi erit unum simpliciter, et multa secundum quid. Si vero aliquid e converso sit indivisum secundum quid, et divisum simpliciter, utpote quia est divisum secundum essentiam, et indivisum secundum rationem, vel secundum principium, sive causam, erunt multa simpliciter, et unum secundum quid; ut quae sunt multa numero et unum specie, vel unum principio. Sic igitur ens dividitur per unum et multa, quasi per unum simpliciter, et multa secundum

quid. Nam et ipsa multitudo non continetur sub ente, nisi contineretur aliquo modo sub uno. Dicit enim Dionysius ult. *de div. Nom.* lect. 1ª quod non est multitudo non participans uno. Sed quae sunt multa partibus, sunt unum toto, et quae sunt multa accidentibus, sunt unum subiecto ; et quae sunt speciebus multa, sunt unum genere ; et quae sunt multa processibus, sunt unum principio „.

Ob. 2ª. Si multitudo quae opponitur unitati transcendentali et ipsa est transcendens, transcendentalia sunt sex et non quinque. Atqui hoc est absurdum, quia sequeretur quod unumquodque ens, esset simul unum et multa. Ergo multitudo quae opnitur unitati transcendentali non est transcendens.

Resp. *D.M.* Si multitudo..... transcendentalis esset aliquid distinctum ab unitatibus transcendentalibus simul sumptis *C.s.M.;* si multitudo non importat nisi easdem unitates transcendentales simul sumptas *N.s.M. — C.m.; ad rati. add.* sequeretur quod unumquodque ens esset simul unum et plura si multitudo esset quid distinctum a singulis unitatibus simul sumptis *C.r.ad.;* ...esset simul unum et plura si multitudo non est quid distinctum a singulis unitatibus simul sumptis, vel si est unum sub uno respectu et multa sub alio uti explicat S. Thomas 1. p. q. 11. a. 1. ad 2m *N.r.ad. — N.C.*

THESIS IV.ª — Unum quod convertitur cum ente opponitur multitudini per modum privationis ut indivisum diviso seu ut indivisibile divisibili et quidem non ut contradictio, neque ut ad aliquid, sed ut contraria. (Cf. S. Th. 1. p. q. 11. a. 2).

275. Probatur 1ª pars. — *Opponuntur ut indivisibile divisibili.* — " Licet unum et multa multis modis opponantur, eorum tamen et principalior est secundum quod unum et multitudo opponuntur ut divisibile et indivisibile ; quia hic oppositionis modus attenditur secundum propriam rationem utriusque. Ratio enim multitudinis consistit in hoc quod est esse divisa ad invicem, aut divisibilia. Dicit autem (Arist.) divisa propter ea quae actu a se invicem separata sunt, et propter hoc multa dicuntur. Divisibilia autem propter ea quae non sunt actu separata, sed appropinquant separationi, sicut humida, ut aer,

et aqua, et alia his similia, in quibus propter facilitatem divisionis, multitudinem dicimus. Ratio vero unius consistit in hoc, quod est esse indivisibile, aut non esse divisum. Dicitur enim et continuum unum, quia non est actu divisum, licet sit divisibile „. (X. *Met.* l. IV.).

Probatur 2ª pars. — *Non ut contradictio neque ad aliquid.* — " Cum quatuor sint oppositionis genera, quorum unum est oppositio, quae dicitur secundum privationem ; manifestum est quod unum et multa non opponuntur ut contradictio, neque ad aliquid, quae sunt duo genera oppositionis, sed opponuntur ut contraria. Et quidem quod non opponantur secundum contradictionem, manifestum est, quia neutrum de eorum verificatur de non ente. Non ens enim neque unum neque multa est. Oportet autem alteram partem contradictionis verificari tam de ente quam de non ente. Similiter etiam manifestum est, quod non opponuntur ut ad aliquid dicta. Nam unum et multitudo dicuntur absolute „. *(ibid.).*

Probatur 3ª pars. — *Ut contraria* — " Cum dixerit (Philosophus) quod unum et multitudo opponuntur ut indivisibile et divisibile, quae videntur opponi secundum privationem et habitum, concludit tamen quod unum et multitudo opponuntur ut contraria. Oppositio enim quae est secundum privationem et habitum, est principium oppositionis quae est secundum contrarietatem, ut infra patebit. Alterum enim contrariorum semper est privatio, sed non privatio pura. Sic enim non participaret naturam generis cum contraria sint in eodem genere. Oportet igitur quod utrumque contrariorum sit natura quaedam, licet alterum eorum participet naturam generis cum quodam defectu, sicut nigrum se habet ad album, ut supra dictum est. Quia igitur unum non significat privationem puram, sed ipsum ens indivisum, manifestum est quod unum et multitudo non opponuntur secundum privationem puram, sed sicut contraria „. (*ibid.*).

276. Dices 1º. " Unum se habet ad multitudinem ut divisibile ad indivisibile, indivisibile autem videtur privatio esse divisibilis, cum privatio sit posterior habitu et forma, videtur sequi, quod unum sit posterius multitudine : cum tamen supra dixerit, quod unum est principium multitudinis, ex quo cognoscitur „.

R. " Considerandum est, quod ea quae sunt priora secundum naturam et magis nota, sunt posteriora et minus nota quoad nos, eo quod rerum notitiam per sensum accipiamus. Composita autem et confusa prius cadunt in sensu, ut dicitur in primo Physicorum. Et inde est, quod composita prius cadunt in nostram cognitionem. Simpliciora autem quae sunt priora et notiora secundum naturam, cadunt in cognitionem nostram per posterius. Inde est quod prima rerum principia non definimus nisi per negationes posteriorum; sicut dicimus quod punctum est, cuius pars non est; et Deum cognoscimus per negationes, inquantum dicimus Deum incorporeum esse, immobilem, infinitum. Sic igitur licet unum prius secundum naturam sit multitudine, tamen secundum cognitionem nostram definitur et nominatur ex privatione divisionis. Et propter hoc Philosophus dicit quod " ipsum unum dicitur „, idest nominatur " et extenditur „, idest cognoscitur ex suo contrario, sicut indivisibile ex divisibili. Propter hoc quod multitudo est magis sensibilis quam unum divisibile magis quam indivisibile. Unde multitudo ratione prius est quam indivisibile, non quidem secundum ordinem naturae, sed propter sensum qui est principium nostrae cognitionis „. (Cfr. 1. p. quaest. 11. art. 2. ad 4m).

Dices 2o. Quod unum et multa opponantur ut contraria videtur impossibile: nam " unum constituit multitudinem. Unum autem contrariorum non constituit aliud, sed magis destruit „. *(ibid.)*.

R. " Sciendum est quod cum contraria differant secundum formam, ut infra dicetur, cum dicimus aliqua esse contraria, accipiendum est utrumque eorum secundum quod habet formam, non autem secundum quod est pars habentis formam. Corpus enim secundum quod absque anima accipitur ut formam habens, opponitur animali ut inanimatum animato. Secundum vero quod accipitur non quasi aliquod perfectum et formatum, non opponitur animali, sed est pars materialis ipsius. Et sic etiam videmus in numeris. Nam binarius secundum quod est quoddam totum, speciem et formam determinatam habens, est diversum specie a ternario; si vero consideretur absque hoc quod sit perfectum per formam, est pars ternarii. Sic igitur et ipsum unum

secundum quod consideratur ut in se perfectum et speciem quamdam habens, opponitur multitudini ; quia quod est unum, non est multa neque e contra. Prout vero consideratur ut non completum secundum speciem et formam, sic non opponitur multitudini, sed est pars eius „. *(ibid.)*

Dices 3°. Dictum est " quod multitudo est prior ratione quam unum : sed hoc non videtur : cum enim unum sit de ratione multitudinis, eo quod multitudo non est aliud quam aggregatio unitatum, si ipsum unum est posterius ratione quam multitudo, sequitur quod in ratione unius et multitudinis, est quidam circulus ; ita quod necesse sit per multitudinem intelligi unitatem, et e converso. Circulus autem in rationibus rerum non suscipitur, quia esset idem eodem notius et minus notum, quod est impossibile „. *(ibid.)*

R. " Dicendum igitur quod nihil prohibet aliquid esse prius et posterius in eodem secundum rationem, secundum diversa in eo considerata. In multitudine enim considerari potest, et quod multitudo est, et ipsa divisio. Ratione igitur divisionis prior est quam unum secundum rationem. Nam unum est quod non dividitur. Secundum autem quod est multitudo, posterius est uno secundum rationem, cum multitudo dicatur aggregatio unitatum. Divisio autem quae praesupponitur ad rationem unius, secundum quod convertitur cum ente, non est divisio quantitatis continuae, quae praeintelligitur uni quod est principium numeri. Sed est divisio quam causat contradictio, prout hoc ens et illud, dicuntur divisa ex eo quod hoc non est illud. Sic ergo primo in intellectu nostro cadit ens, et deinde divisio; et post hoc unum quod divisionem privat, et ultimo multitudo quae ex unitatibus constituitur. Nam licet ea quae sunt divisa, multa sint, non habent tamen rationem multorum, nisi postquam huic et illi attribuitur quod sit unum. Quamvis etiam nihil prohiberet dici rationem multitudinis dependere ex uno secundum quod est mensura per unum, quod iam ad rationem numeri pertinet „ *(ibid.)* Cf. etiam 1. p. q. 11. a 2. ad 4^{m}.

Dices 4°. Unum habet rationem primae mensurae, et numerus est multitudo mensurata per unum. — Ergo unum et multa opponuntur non ut contraria sed ut mensura et mensuratum.

R. " Accipiendo unum quod est principium numeri et habet rationem mensurae, et numerum qui est species quantitatis et est multitudo mensurata uno, opponuntur unum et multa, non ut contraria, ut supra dictum est de uno quod convertitur cum ente, et de pluralitate sibi opposita; sed opponuntur sicut aliqua eorum quae sunt ad aliquid, quorum scilicet unum dicitur relative, quia alterum refertur ad ipsum. Sic igitur opponitur unum et numerus, in quantum unum est mensura et numerus est mensurabilis. Et quia talis est natura horum relativorum quod unum potest esse sine altero, sed non e converso, ideo hoc invenitur in uno et numero, quia si est numerus, oportet quod sit unum. Sed non oportet quod ubicumque est unum, quod sit numerus. Quia si est aliquid indivisibile ut punctus, ibi est unum, et non numerus. In aliis vero relativis quorum utrumque secundum se dicitur ad aliquid, neutrum est sine reliquo. Non enim est sine servo dominus, nec servus sine domino „. (X. *Met.* l. 8.).

THESIS V.ª — Unum tum 1º per accidens tum 2º per se, multipliciter dicitur — 3º sicut et multitudo quae ei opponitur.

277. Probatur 1ª pars. — *Unum per accidens multipliciter dicitur.* — " Per accidens unum docet (Phil.). considerare primo in terminis *singularibus:* et hoc dupliciter. Uno modo secundum quod *accidens* comparatur *ad subiectum.* Alio modo secundum quod *unum accidens* comparatur ad *aliud.* In utroque autem istorum tria est accipere: scilicet unum compositum et duo simplicia. Si enim unum per accidens accipiatur secundum comparationem accidentis ad subiectum, sic sunt ista tria : primum est Coriscus, secundum est musicus, tertium Coriscus musicus. Et haec tria sunt unum per accidens. Nam idem *subiecto* est Coriscus musicus. Et similiter, quando comparatur accidens ad accidens, tria est accipere; quorum primum est musicum, secundum est iustum, tertium est musicus iustus Coriscus. Et omnia praedicta dicuntur esse unum secundum accidens ; tamen alia et alia ratione. Iustum enim et musicum, quae sunt duo simplicia in secunda acceptione, dicuntur unum per accidens, quia accidunt uni subiecto. Musicus vero et Coriscus, quae sunt duo

simplicia in prima acceptione, dicuntur unum per accidens quia, alterum eorum, scilicet musicum, accidit alteri, scilicet Corisco „. .... Similiter accipitur unum per accidens, si aliquod accidens dicatur cum aliquo nomine alicuius *generis,* vel cuiuscumque *universalis,* sicut accipitur unum per accidens in praedictis, quando accidens adiungitur nomini singulari: sicut cum dicitur, quod homo et musicus homo sunt unum per accidens, licet quantum ad aliquid differrant. Singulares enim substantiae nec sunt in subiecto (inhaesionis) nec de subiecto praedicantur. Unde tantum substant (praedicationibus) et nihil eis substat (h. e. substantiae singulares de nullo praedicantur). Substantiae quidem universales dicuntur de subiecto (praedicationis), sed non sunt in subiecto (inhaesionis). Unde non substant accidentibus (quia subiectum accidentium est singulare signatum), et eis aliquid substat, (quia substantiae universales sunt in singularibus (V° *Met.* l. 7).

278. Probatur 2ª pars. — *Unum per se multipliciter dicitur. Primus modus est unum in continuo.* — Quorum *primus est,* quod eorum quae secundum se dicuntur unum, quaedam dicuntur unum esse " natura continuitatis „, idest essendo continua: vel " eo quod sunt continua „, sicut dicit alia translatio. Sed continua dicuntur aliqua dupliciter. Quaedam enim sunt continua, sicut dicit alia litera, per aliud, quaedam secundum se. Prosequitur ergo primo continua secundum aliud, dicens, quod continua per aliud sunt, sicut onus lignorum continuum est ratione ligaminis vel vinculi: et hoc modo ligna adinvicem conviscata dicuntur unum per viscum. Quod etiam contingit dupliciter: quia quandoque continuatio alligatorum fit secundum lineam rectam, quandoque autem secundum lineam indirectam, sicut est linea reflexa angulum continens, quae fit ex contactu duarum in una superficie, quarum applicatio non est directa. Per hunc enim modum partes animalis dicuntur unum et continuum. Sicut tibia, quae habet reflexionem, et angulum continet ad genu, dicitur una et continua, et similiter brachium. Sed, cum talis continuatio, quae est per aliud, possit esse vel fieri naturaliter et arte, magis unum sunt quae sunt continua per naturam, quam quae sunt continua per artem: quia in his quae sunt continua per naturam, illud unum, per quod fit continuatio non est ex-

traneum a natura rei quae per ipsum continuatur, sicut accidit in his quae sunt unum per artificium in quibus vinculum, vel viscus, vel aliquid tale est omnino extraneum a natura colligatorum. Et ita ea quae sunt naturaliter colligata, prius accedunt ad ea quae sunt secundum se continua quae sunt maxime unum. Et ad evidentiam huius, definit continuum dicens, quod continuum dicitur id cuius est secundum se unus motus tantum, et non est possibile alter. Non enim possibile est in continuo, ut diversae partes diversis motibus moveantur, sed totum continuum movetur uno motu. Dicit autem " secundum se „ quia possibile est ut continuum moveatur uno modo per se, et uno alio vel pluribus per accidens ; sicut si homo movetur in navi per se contra motum navis, movetur nihilominus motu navis per accidens. Ad hoc autem quod sit unus motus, oportet quod sit indivisibilis ; et hoc dico secundum tempus, ut videlicet simul dum movetur una pars continui, moveatur et alia. Non enim contingit in continuo quod una pars moveatur, et alia quiescat, vel quod una quiescat et alia moveatur, ut sic motus diversarum partium continui sint in diversis partibus temporis. Ideo autem hic definit philosophus continuum per motum et non per unitatem termini, ad quem partes continui coniunguntur, sicut in Praedicamentis et in libro *Physicorum* habetur, quia ex ista definitione potest sumi diversus gradus unitatis in diversis continuis, sicut postea patebit, non autem ex definitione ibi data. Sciendum est autem, quod hoc quod hic dicitur, quod motus continui indivisibilis est secundum tempus, non est contrarium ei quod probatur in sexto *Physicorum,* scilicet quod tempus motus dividitur secundum partes mobilis. Hic enim loquitur Philosophus quantum ad motum absolute, quia scilicet non ante incipit moveri una pars continui quam alia : ibi autem loquitur Philosophus quantum ad motum absolute, quia scilicet non ante incipit moveri una pars continui quam alia : ibi autem loquitur referendo ad aliquod signum, qud signatur in magnitudine, per quam fit motus. Illud enim signum, quod est prior pars magnitudinis, in priori tempore transitur, licet etiam in illa priori parte temporis aliae partes mobilis continui moveantur.

Prosequitur de illis quae sunt secundum se continua, dicens, quod illa sunt secundum se continua quae non dicuntur unum per contactum. Quod sic probat. Illa enim, quae se tangunt, ut duo ligna, non dicuntur unum lignum, nec unum corpus, nec unum aliquid aliud quod pertineat ad genus continui. Et sic patet, quod alia est unitas continuorum, et alia tangentium. Quae enim sunt se tangentia non habent unitatem continuitatis per seipsa, sed per aliquod vinculum quod ea coniungit. Sed illa quae sunt continua, dicuntur unum secundum se, quamvis habeant reflexionem. Duae enim lineae reflexae continuantur ad unum communem terminum qui est punctus in loco ubi constituitur angulus. Sed tamen magis sunt unum quae per se sunt continua sine reflexione. Cuius ratio est, quia linea recta non potest habere nisi unum motum in omnibus partibus suis. Linea vero reflexa potest habere unum motum, et duos motus. Potest enim intelligi linea reflexa tota moveri in unam partem : et iterum potest intelligi quod una parte quiescente, alia pars cum parte quiescente continet angulum, appropinquet per suum motum ad partem quiescentem : sicut quando tibia vel crus applicatur ad coxam, quae hic dicitur femur. Unde utrumque eorum, scilicet tibia vel coxa, sunt magis unum " quam scelos „, ut habetur in graeco, idest quam id quod est compositum ex tibia et coxa. Sciendum autem, quod litera quae habet curvitatem loco reflexionis, falsa est. Constat enim quod partes lineae curvae angulum non continentes, oportet quod simul moveantur et simul quiescant sicut partes lineae rectae ; quod non accidit in reflexa, ut dictum est. „ (*ibid.*).

Secundus modus est unum in forma secundum speciem. " Dicit, quod secundo modo dicitur unum, non tantum ratione continuae quantitatis, sed ex eo quod subiectum totum est indifferens forma secundum speciem. Quaedam enim esse possunt continua, quae tamen in subiecto sunt diversa specie ; sicut si continetur aurum argento, vel aliqua huiusmodi. Et tunc talia duo erunt unum si attendatur sola quantitas, non autem si attendatur natura subiecti. Si vero totum subiectum continuum sit unius formae secundum speciem, erit unum et secundum rationem quantitatis et secundum rationem naturae. Subiectum

autem dicitur esse indifferens secundum speciem, quando eadem species, sensibilis non dicitur, ita quod sint diversae formae sensibiles in diversis partibus subiecti, sicut quandoque contingit quod unius corporis sensibilis una pars est alba, et alia nigra. Hoc autem subiectum indifferens potest accipi dupliciter. Uno modo subiectum primum. Alio modo subiectum finale seu ultimum, ad quod pervenitur in fine divisionis. Sicut patet quod totum vinum dicitur unum esse, quia partes eius communicant in uno primo subiecto quod est indifferens secundum speciem. Et similiter est de aqua. Omnes enim liquores seu humores dicuntur unum in uno ultimo. Nam oleum et vinum et omnia huiusmodi resolvuntur ultimo in aquam vel aerem qui in omnibus est radix humiditatis „. *(ibid.)*.

Tertius modus est unum genere. Dicit, quod aliqua dicuntur unum, quorum genus est unum, oppositis differentiis divisum. Et ille modus habet aliquam similitudinem cum praecedenti. Ibi cum aliqua dicebantur esse unum, quia genus subiectum est unum: hic etiam aliqua dicuntur esse unum, quia eorum genus quod est subiectum differentiis, est unum; sicut homo et equus et canis dicuntur unum, quia communicant in animali, quasi in uno genere subiecto differentiis. Differt tamen hic modus a praedicto, quia in illo modo subiectum erat unum non distinctum per formas; hic autem genus subiectum est unum distinctum per diversas differentias quasi per diversas formas. Et sic patet quod propinquissimo modo dicuntur aliqua esse unum genere, et similiter sicut aliqua dicuntur esse unum materia. Nam illa etiam quae dicuntur esse unum materia, distinguuntur per formas. Genus enim, licet non sit materia quia non praedicaretur de specie, cum materia sit pars, tamen ratio generis sumitur ab eo quod est materiale in re; sicut ratio differentiae ab eo quod est formale. Non enim anima rationalis est differentia hominis, cum de homine non praedicetur; sed habens animam rationalem, quod significat hoc nomen rationale. Et similiter natura sensitiva non est genus hominis, sed pars. Habens etiam naturam sensitivam quod nomine animalis significatur, est hominis genus. Similiter ergo et propinquus modus est quo aliqua sunt unum materia et unum genere. Sed sciendum est quod unum ratione generis di-

citur dupliciter. Quandoque enim aliqua dicuntur ita unum in genere sicut dictum est, quia scilicet eorum unum est genus qualitercumque. Quandoque vero non dicuntur aliqua esse unum in genere nisi in genere superiori, quod cum adiunctione unitatis vel identitatis praedicatur de ultimis speciebus generis inferioris, quando sunt aliquae aliae superiores species supremi generis, in quarum una infinitae species conveniunt. Sicut figura est unum genus supremum continens sub se multas species, scilicet circulum, triangulum, quadratum, et huiusmodi. Et triangulus etiam continet diversas species, scilicet aequilaterum, qui dicitur isopleuros, et triangulum duorum aequalium laterum, qui dicitur aequitibiarum, vel isosceles. Isti igitur duo trianguli dicuntur una figura, quod est genus remotum, sed non unus triangulus quod est genus proximum. Cujus ratio est, quia hi dico trianguli non differunt per differentias quibus dividitur figura. Differunt autem per differentias quibus dividitur triangulus. Idem autem dicitur a quo aliquid non differt differentia „. *(ibid.).*

Quartus modus est unum in definitione: Dicit quod unum etiam dicuntur, quaecumque ita se habent quod definitio unius, quae est ratio significans quid est esse, non dividitur a definitione alterius, quae significat etiam quid est esse eius. Ipsa enim definitio, scilicet secundum se, oportet quod sit divisibilis, cum constet ex genere et differentia. Sed potest esse quod definitio unius sit indivisibilis a definitione alterius, quando duo habent unam definitionem ; sive illae definitiones significent totum hoc quod est in definito, sicut tunica et indumentum : et tunc sunt simpliciter unum, quorum definitio est una : sive illa communis definitio non totaliter comprehendat rationem duorum, quae in ea conveniunt bos et equus conveniunt in una definitione animalis. Unde numquam sunt unum simpliciter, sed secundum quid, inquantum scilicet utrumque eorum est animal. Et similiter augmentum et diminutio conveniunt in una definitione generis, quia utraque est motus secundum quantitatem. Similiter in omnibus superficiebus est una definitio huius speciei quae est superficies „. *(ibid.).*

Quintus modus est unum in indivisibili. " Dicit quod " om-

nino „ idest perfecte et maxime sunt unum, quorum intellectus intelligens quidditatem eorum est omnino indivisibilis, sicut simplicia, quae non componuntur ex principiis materialibus et formalibus. Unde intellectus accipiens quidditatem eorum non comprehendit ea, quasi componens definitionem eorum ex diversis principiis ; sed magis per modum negationis, sicut punctus est, cuius pars non est : vel etiam per modum habitudinis ad composita, sicut si dicatur quod unitas est principium numeri. Et, quia talia habent intellectum indivisibilem in seipsis, ea autem quae sunt quocumque modo divisa, possunt intelligi separatim, ideo sequitur quod huiusmodi sunt inseparabilia, et secundum tempus, et secundum locum, et secundum rationem. Et propter hoc sunt maxime unum ; praecipue illud quod est indivisibile in genere substantiae. Nam quod est indivisibile in genere accidentis, etsi ipsum in se non sit compositum, est tamen *alteri* compositum, idest subiecto in quo est. Indivisibilis autem substantia, neque secundum se composita est, nec alteri componitur. Vel *ly* substantia, potest esse ablativi casus. Et tunc est sensus, quod licet aliqua dicantur unum quia sunt indivisibilia secundum locum vel tempus vel rationem, tamen ea illa maxime dicuntur unum, quae non dividuntur secundum substantiam. E redit in eumdem sensum cum priore „. *(ibid.)*.

Reductio praecedentium ad unum indivisibile. — " Ex hoc patet, quod illa quae sunt penitus indivisibilia, maxime dicuntur unum : quia ad hunc modum omnes alii modi reducuntur, quia universaliter hoc est verum, quod quaecumque non habent divisionem, secundum hoc dicuntur unum, in quantum divisionem non habent. Sicut quae non dividuntur in eo quod est homo, dicunt unum in homine sicut Socrates et Plato. Et quae non dividuntur in ratione animalis, dicuntur unum in animali. Et quae non dividuntur in magnitudine vel mensura, dicuntur unum secundum magnitudinem, sicut continua. Et ex hoc potest accipi etiam numerus et diversitas modorum unius suprapositorum ; quia unum aut est indivisibile simpliciter, aut indivisibile secundum quid. Siquidem simpliciter, sic est ultimus modus, qui est principalis. Si autem est indivisibile secundum quid, aut secundum quantitatem tantum, aut secundum natu-

ram. Si secundum quantitatem, sic est primus modus. Si secundum naturam aut quantum ad subiectum, aut quantum ad divisionem quae se tenet ex parte formae. Si quantum ad subiectum, aut quantum ad subiectum reale, et sic est secundus modus. Vel quantum ad subiectum rationis, et sic est tertius modus. Indivisibilitas autem formae, quae est indivisibilitas rationis id est definitionis, facit quartum modum. Ex his autem modis ulterius aliqui alii modi derivantur. Plura autem sunt, quae dicuntur unum ex eo quod faciunt unum; sicut plures homines dicuntur unum ex hoc quod trahunt navim. Et etiam dicuntur aliqua unum ex eo quod unum patiuntur; sicut multi homines sunt unus populus ex eo quod ab uno rege reguntur. Quaedam vero dicuntur unum ex eo quod habent aliquid unum, sicut multi possessores unius agri sunt unum in dominio eius. Quaedam etiam dicuntur unum ex hoc quod sunt aliquid unum; sicut multi homines albi dicuntur unum, quia quilibet eorum album est. Sed respectu omnium istorum modorum secundariorum primo dicuntur unum, illa quae sunt unum secundum substantiam suam, de quibus supra dictum est in quinque modis suprapositis. Una namque substantia est aut ratione continuitatis, sicut in primo modo; aut propter speciem subiecti, sicut in secundo modo, et etiam in tertio, prout unitas generis aliquid habet simile cum unitate speciei: aut etiam ratione, sicut in quarto et in quinto modo. Et quod adhuc ex his modis aliqua dicantur unum, patet per oppositum. Aliqua enim sunt numero plura, aut numerantur ut plura, quia non sunt continua, vel quia non habent speciem unam, vel quia non conveniunt in ratione „. (V. *Met.* 8).

279. Nota. *Alia divisio unius magis logicalis.* — " Ponit aliam divisionem unius, quae est magis logica; dicens, quod quaedam sunt unum numero, quaedam specie, quaedam genere, quaedam analogia. Numero quidem sunt unum, quorum materia est una. Materia enim, secundum quod stat sub dimensionibus signatis, est principium individuationis formae. Et propter hoc ex materia habet singulare quod sit unum numero ab aliis divisum. Specie autem dicuntur unum, quorum una est " ratio „, idest definitio. Nam nihil proprie definitur nisi species, cum

omnis definitio ex genere et differentia constet. Et si aliquod genus definitur, hoc est in quantum est species. Unum vero genere sunt, quae conveniunt in figura " praedicationis „ idest quae habent unum modum praedicandi. Alius enim est modus quo praedicatur substantia, et quo praedicatur qualitas vel actio; sed omnes substantiae habent unum modum praedicandi, in quantum praedicantur non ut in subiecto existentes. Proportione vero vel analogia sunt unum quaecumque in hoc conveniunt, quod hoc se habet ad illud sicut aliud ad aliud. Et hoc quidem potest accipi duobus modis: vel in eo quod aliqua duo habent diversas habitudines ad unum; sicut sanativum de urina dictum habitudinem significat signi sanitatis; de medicina vero, quia significat habitudinem causae respectu eiusdem. Vel in eo quod est eadem proportio duorum ad diversa, sicut tranquillitatis ad mare et serenitatis ad aerem. Tranquillitas enim est quies maris et serenitas aeris. In istis autem modis unius, semper posterius sequitur ad praecedens et non convertitur. Quaecumque enim sunt unum numero, sunt specie unum et non convertitur. Et idem patet in aliis „ *(ibid.)*.

Probatur 3ª pars. — *Quot modis dicitur unum, tot et multa.* — " Ex modis unius accipit modos multorum; et dicit, quod multa dicuntur per oppositum ad unum. Et ideo quot modis dicitur unum, tot modis dicuntur multa; quia quoties dicitur unum oppositorum, toties dicitur et reliquum. Unde aliqua dicuntur multa propter hoc, quod non sunt continua. Quod est per oppositum ad primum modum unius. Alia dicuntur multa propter hoc quod materiam habent divisam secundum speciem, sive intelligamus de " materia prima „ idest proxima, aut de finali sive ultima, in quam ultimo fit resolutio. Per divisionem quippe proximae materiae dicuntur multa vinum et oleum: per divisionem vero materiae remotae, vinum et lapis. Et si materia accipiatur tam pro materia naturae quam pro materia rationis, scilicet pro genere quod habet similitudinem materiae, hic modus multitudinis sumitur per oppositum ad secundum et tertium modum unius. Alia vero dicuntur multa quae habent rationes, quod quid est esse dicentes, plures. Et hoc sumitur per oppositum ad quartum modum. Quod autem opponitur

quinto modo, nondum habet rationem pluralitatis nisi secundum quod est in potentia. Non enim ex hoc quod aliquid est divisibile, propter hoc est multa nisi in potentia „ *(ibid.)*.

QUAESTIO QUINTA.

De his quae consequuntur unum et multa.

280. Praenotandum. — Postquam consideravimus cum S. Thoma ea quae pertinent ad unum et multa, aliquid videndum est de rationibus quae consequuntur ad ipsa. Sunt enim rationes quae maxime usui sunt in universa re philosophica, quas proinde praestabit haurire directe ex ipso S. Doctore, tunc quia nomenclatura ipsius maxime est accurata, tum quia hoc inserviet ad intelligentiam doctrinae S. Thomae in pluribus quaestionibus difficilibus. — Tamen ut recentiores quoque intelligi possint, passim de nomenclatura quae ab ipsis adhibetur aliquid attingemus.

THESIS I.ª — 1º Idem est unum in substantia, 2º simile est unum in qualitate 3º aequale vero est unum in quantitate. (X. *Met.* l. 4).

281. Praenotandum. — Ait S. Th. (IV. *Met.* l. 2): " Ex quo unum et ens idem significant, et eiusdem sunt species eaedem, oportet quod tot sint species entis, quot sunt species unius, et sibi invicem respondentes. Sicut enim partes entis sunt substantia, quantitas et qualitas etc., ita et partes unius sunt idem, aequale et simile. Idem enim unum in substantia est. Aequale, unum in quantitate, simile, unum in qualitate. Et secundum alias partes entis, possent sumi aliae partes unius, si essent nomina posita. Et sicut ad unam scientiam, scilicet ad philosophiam, pertinet consideratio de omnibus partibus entis, ita et de omnibus partibus unius, scilicet eodem et simili et huiusmodi. Et ad hoc " principium „ scilicet unum, reducuntur omnia contraria fere. Et hoc addit, quia in quibusdam non est ita manifestum. Et tamen hoc necesse est : quia cum

in omnibus contrariis, alterum habeat privationem inclusam, oportet fieri reductionem ad privativa prima, inter quae praecipue est unum. Et iterum multitudo, quae ex uno causatur, causa est diversitatis differentiae et contrarietatis, sicut infra dicetur „.

282. Declaratur 1ª pars. — " Identitas, ait Phil., unitas quaedam essentiae est, aut plurium, aut cum ut pluribus utatur „. Quod sic explicatur a S. Th. (V. *Met.* l. 11)· " Identitas est unitas vel unio; aut ex eo quod illa quae dicuntur idem, sunt plura secundum esse, et tamen dicuntur idem in quantum in aliquo uno conveniunt. Aut quia sunt unum secundum esse, sed intellectus utitur eo ut pluribus ad hoc quod relationem intelligat. Nam non potest intelligi relatio nisi inter duo extrema. Sicut cum dicitur aliquid esse idem sibi ipsi. Tunc enim intellectus utitur eo quod est unum secundum rem, ut duobus. Alias eiusdem ad seipsum relationem designare non posset. Unde patet quod si relatio semper requirit duo extrema, et in huiusmodi relationibus non sunt duo extrema secundum rem, sed secundum intellectum solum, relatio identitatis non erit relatio realis, sed rationis tantum, secundum quod aliquid dicitur idem simpliciter. Secus autem est, quando aliqua duo dicuntur esse idem vel genere vel specie. Si enim identitatis relatio esset res aliqua praeter illud quod dicitur idem, res etiam, quae relatio est, cum sit idem sibi, pari ratione haberet aliam relationem, quae sibi esset idem, et sic in infinitum. Non est autem possibile in rebus in infinitum procedere. Sed in his quae sunt secundum intellectum nihil prohibet. Nam, cum intellectus reflectatur super suum actum, intelligit se intelligere. Et hoc ipsum potest etiam intelligere, et sic in infinitum „.

Ubi adverte quod *identitas simpliciter* est relatio rationis, quia extrema non sunt distincta; identitas autem *secundum quid* est relatio *realis,* cum duo realiter diversa, in uno aliquo conveniunt. Quod est dicere: identitas *realis* est relatio rationis: identitas autem secundum quid seu *rationis* est relatio realis [1]).

---

[1]) Haec identitas secundum quid, dicitur a quibusdam constituere

283. Nota. Idem dicitur *tripliciter.* Cum enim substantia dupliciter dicatur, sl. ipsum *suppositum* et *natura, sive species,* idem potest dici vel secundum suppositum tantum, vel solum secundum naturam suppositi, vel secundum utrumque. " Hos igitur modos Philosophus assignans dicit, quod cum idem multipliciter dicatur, uno modo dicitur idem secundum numerum, quod aliquando dicimus ipsum, sicut si dicamus, Socrates est homo, et ipsum est album. Cum enim hoc pronomen, ipsum, sit relativum, relativum autem idem suppositum referat, ubicumque ponitur hoc quod dico ipsum, designat quod sit idem suppositum numero. Alio modo dicitur idem si fuerit unum, non solum unitate suppositi, ut hoc lignum et hoc album, sed simul ratione et numero, ut tu tibiipsi es idem et specie et materia; ut materia referatur ad suppositum quae est individuationis principium, et species pro natura suppositi accipiatur. Tertio modo dicitur idem quando *ratio prima substantiae,* idest suppositi est una, licet suppositum non sit unum. Et hoc est idem specie vel genere, sed non numero „.

Declaratur 2ª pars. — *Simile est unum in qualitate* [1]). S.

---

unitatem quamdam *negativam* in rebus, quatenus duo realiter distincta dicuntur unum quia *non* distinguuntur ratione quidditatis specificae vel genericae: haec convenientia praebet intellectui fundamentum communitatis, ut vidimus in Logica. (Cf. Caiet. in Op. *de Ente* et *Est.* c. IV.).

[1]) Adverte quod secundum Phil. simile non dicitur de his, quae conveniunt in substantia, sed de his quae conveniunt in qualitate, vel ad summum de his quae conveniunt in genere, non vero de his quae conveniunt in specie, quamvis passim philosophi, et ipse S. Th. tali modo loquendi utantur. Ait enim S. Th. (X. *Met.* l. 4). " Ubi est unitas substantiae, non dicitur similitudo vel aequalitas, sed identitas tantum. Ad similitudinem ergo vel aequalitatem requiritur diversitas substantiae. Et propter hoc dicit quod similia dicuntur aliqua, licet non sint simpliciter eadem secundum speciem substantiae, etsi non sint etiam indifferentia secundum substantiam subiectam, quae dicitur suppositum, sed sunt eadem secundum speciem aliquo modo, sicut maius tetragonum dicitur simile esse minori tetragono, quando scilicet anguli unius sunt aequales angulis alterius, et latera aequales angulos continentia sunt proportionalia. Sic igitur patet quod haec similitudo attenditur secundum unitatem figurae et proportionis. Et similiter multae rectae lineae inaequales non sunt eaedem simpliciter, licet sint similes „.

Th. V. *Met.* l. 12 haec habet: " Unum in qualitate facit simile. Passio autem est affinis qualitati, eo quod praecipue passio in mutatione qualitatis, quae est alteratio, attenditur. Unde et quaedam species qualitatis est passio et passibilis qualitas. Et propter hoc similitudo non solum attenditur secundum convenientiam in qualitate, sed secundum convenientiam in passione. Quod quidem potest esse dupliciter. Aut ex parte passionis, aut ex parte eius ad quod passio terminatur. Sic igitur tripliciter aliqua sunt similia. Uno modo, quia patiuntur idem, sicut duo ligna, quae comburuntur, possunt dici similia. Alio modo, ex hoc solo, quod patiuntur aliqua plura, similia dicuntur, sive patiantur idem sive diversa: sicut duo homines quorum unus fustigatur, et alter incarceratur, dicuntur similes in patiendo. Tertio modo dicuntur similia quorum una est qualitas; sicut duo albi, et duo sidera in ceolo habentia similem splendorem, aut virtutem „[1]).

Declaratur 3ª pars. — *Aequale est unum in quantitate.* — Hoc patet facili inductione et usu Philosophorum.

284. Nota. " Cum similitudo attendatur, (ait S. Th. 1. q. IV. a. 3. c.) secundum convenientiam, vel communicationem in forma, multiplex est similitudo secundum multos modos communicandi in forma. Quaedam enim dicuntur similia, quae communicant in eadem forma secundum eandem rationem, et secundum eundem modum; et haec non solum dicuntur similia, sed aequalia in sua similitudine; sicut duo aequaliter alba, dicuntur similia in albedine; et haec est perfectissima similitudo. *Alio modo* dicuntur similia, quae communicant in forma secundum eandem rationem, et non secundum eundem modum, sed secundum magis et minus: ut minus album dicitur simile

---

[1]) Potest autem et hic considerari quod quando est unitas secundum rationem perfectam speciei, dicitur identitas; quando autem est unitas non secundum totam rationem speciei, dicitur similitudo. Ut si quis dicat quod ea, quae sunt unum genere, sunt similia; ea vero, quae sunt unum specie, sunt eadem, ut videntur innuere exempla posita. Nam lineas rectas aequales, et tetragona aequalia dixit habere identitatem ad invicem, tetragona autem inaequalia et rectas lineas inaequales habere similitudinem „.

magis albo, et haec est similitudo imperfecta. *Tertio modo* dicuntur aliqua similia, quae communicant in eadem forma, sed non secundum eandem rationem, ut patet in agentibus non univocis „.

THESIS II.ª — 1º **Cuilibet modo identitatis opponitur modus diversitatis.** 2º **Differens proprie dictum addit supra diversum convenientiam in uno, et dicitur propriissime de convenientibus in genere et diversis secundum speciem.**

285. **Declaratur 1ª pars.** — *Cuilibet modo identitatis opponitur modus diversitatis.* — Hoc ita explicatur a S. Th. (V. *Met.* l. 12): " Diversa dicuntur aliqua tripliciter. Dicuntur enim aliqua diversa specie, quorum species sunt plura, sicut asinus et bos. Quaedam vero dicuntur diversa numero, quia differunt secundum materiam, sicut duo individua eiusdem speciei. Quaedam vero dicuntur diversa secundum " rationem substantiae „ idest definitionem declarantem substantiam rei. Contingit enim quaedam esse idem numero, scilicet subiecto, sed diversa ratione, sicut Socrates et hoc album. Et quia plures modi diversitatis accipi possunt, sicut quod dicatur diversum genere, et diversum propter continui divisionem, ideo subiungit quod diversum dicitur oppositum totaliter ad idem. Cuilibet enim modo eius, quod est idem, opponitur aliquis modus eius quod est diversum. Et propter hoc quot modis dicitur idem, tot modis diversum. Et tamen alii modi unius, vel eius quod est idem, possunt reduci ad istos hic tactos. Diversitas enim generis includitur in diversitate speciei. Diversitas vero continuitatis, in diversitatem materiae, eo quod partes quantitatis se habent per modum materiae ad totum „.

Declaratur 2ª pars. — *Differens addit supra diversum convenientiam in uno* etc. — Sic enim prosequitur S. Doctor *ibid.* " Hic distinguit quot modis dicitur hoc nomen Differens. Assignat autem duos modos: quorum primus est, quod aliquid proprie dicitur differens secundum quod aliqua duo, quae sunt " aliquid idem entia „, idest in aliquo uno convenientia, sunt diversa: sive conveniant in aliquo uno secundum numerum, sicut Socrates sedens a Socrate non sedente, sive conveniant in aliquo uno specie, sicut Socrates et Plato in homine: sive in

aliquo uno genere, sicut homo et asinus in animali: sive in aliquo uno secundum proportionem, sicut quantitas et qualitas in ente. Ex quo patet, quod differens omne est diversum, sed non convertitur. Nam illa diversa, quae in nullo conveniunt, non possunt proprie dici differentia, quia non differunt aliquo alio, sed seipsis. Differens autem dicitur quod aliquo alio differt. Secundus modus est prout communiter differens sumitur pro diverso; et sic differentia dicuntur etiam illa, quae habent diversum genus et in nullo communicant. Deinde docet in quibus conveniat esse differens secundum primum modum, qui est proprius. Cum enim oportet ea, quae proprie dicuntur differentia, in uno aliquo convenire; ea vero, quae conveniunt in specie, non distinguuntur nisi per accidentales differentias, ut Socrates albus vel iustus, Plato niger vel musicus: quae vero conveniunt in genere et sunt diversa secundum speciem, differunt differentiis substantialibus: illa propriissime dicuntur differentia, quae sunt eadem genere et diversa secundum speciem. Omne autem genus dividitur in contrarias differentias; non autem omne genus dividitur in contrarias species. Coloris enim species sunt contrariae, scilicet album, nigrum; et differentiae etiam scilicet congregativum et disgregativum. Animalis autem differentiae quidem sunt contrariae scilicet rationale et irrationale: sed species animalis, ut homo et equus etc., non sunt contrariae. Illa igitur, quae propriissime dicuntur differentia, sunt quae, vel sunt species contrariae sicut album et nigrum: vel sunt species unius generis non contrariae, sed habentia contrarietatem in substantia, ratione contrarii differentiarum, quae sunt de substantia specierum „.

THESIS III.ª — 1º **Distinctio est quaedam divisio,** 2º **quae tamen aptius attendi potest etiam inter ea quae sunt unum subiecto,** 3º **hinc quae sunt distincta sunt plura, non tamen semper de necessitate plura entia.**

286. **Declaratur 1ª pars.** — Quod distinctio sit quaedam divisio, patet ex pluribus locis S. Thomae [1]), ubi indifferenter utitur nomine divisionis et distinctionis. " Omnis *distinctio* aut est

[1]) E. g. *De Verit.* q. 2. a. 15 c. ip. 1. q. 47 a. 1. 2.

secundum *divisionem* quantitatis, aut secundum *divisionem* formalem etc. „ (C. G. II c. 39. 45): ipsa definitio individui quandoque exhibetur per hoc quod dicitur " *ens indivisum* „, quandoque " *ens indistinctum* „.

Hinc: distinctio, sicut divisio opponitur *unitati,* per modum privationis [1]).

Declaratur 2ª pars. — Distinctio, quasi *dis-tangere* videtur desumere suam rationem ab oppositione quam habent partes in continuo, in quantum una pars est extra aliam. Patet autem quod partes quousque sunt unum subiecto, non distinguuntur secundum formam sed tantum ratione situs. Unde distinctio importat in suo conceptu *minimum divisionis.* (*De Pot.* q. 9. a. 8. ad 2) et extenditur etiam ad ea quae sunt unum subiecto seu quae non opponuntur tamquam ens enti, sed tanquam principia entis, quae ideo proprie non dicuntur divisa. Sic e. g. materia prima dicitur distingui a forma, substantia ab accidentibus etc. quae omnia non dicuntur divisa [2]).

Item quia relatio non est proprie *ens* sed *ad,* ideo in divinis non dicimus quod tres Personae sint realiter divisae, sed realiter distinctae [3]).

---

[1]) Nota tamen quod cum in omnibus contrariis includatur oppositio quae est secundum privationem et habitum, ideo S. Th. (1 p. q. 11. a. 2. c.) et alibi ait: " *Unum* quod convertitur cum ente opponitur *multitudini* ut *indivisum diviso* „. (Cf. X *Met.* l. b. et V. l. 15 et l. b. 7).

[2]) Divisio cum respiciat directe *ens,* consistit enim in hoc quod unum ens non sit aliud, proprie dicitur de his quae opponuntur revera ut *ens quod* et *ens quod* et igitur separata vel separabilia sunt: " Dicit (Phil.) *divisa* propter ea quae actu a se invicem *separata sunt,* et propter hoc *multa* dicuntur „. (X *Met.* l. IV.): minus autem proprie dicitur de iis quae opponuntur ut *ens quo* et *ens quo,* quamvis simpliciter de his quoque possit dici: eo scilicet modo quo sunt entia, sunt etiam divisa. Tamen de his quae dicenda essent *divisa secundum quid* utpote entia *secundum quid* (ut materia et forma, etc.) aptius praedicatur distinctio quam divisio, et ita melius removetur praeiudicium quod omnia distincta (realiter) sint separata vel separabilia.

[3]) Nota quod secundum S. Th. (1. p. q. 31. a. 2. c.) " ne tollatur simplicitas divinae essentiae, vitandum est nomen *separationis* et *divisionis,* quae est totius in partes „. Ubi adverte quod totum est illud cui nulla pars deest: et quia id cui nulla pars deest, est perfectum, ideo transla-

THESIS IV.ª — 1º Non omne distinctum est differens, 2º omne autem differens est distinctum.

287. Probatur 1ª pars. — Nam, ut dictum est, differentia est quaedam diversitas, diversitas autem opponitur identitati quae est unitas in substantia: unde differentia importat divisionem seu distinctionem in ipsa substantia, seu in forma. Atqui non est necesse quod omnis distinctio respiciat ipsam substantiam: potest enim distinctio, et quidem realis attendi, ut vidimus, vel in quantitate vel *ad aliquid,* etc. Ergo non omne distinctum est differens. Unde S. Th. (1. p. q. 31. a. 2. c.) ait " Ad evitandum igitur errorem Arii vitare debemus in divinis nomen diversitatis et differentiae, ne tollatur unitas essentiae; possumus autem uti nomine distinctionis propter oppositionem relativam. Unde, sicubi in aliqua scriptura authentica diversitas vel differentia personarum invenitur, sumitur diversitas vel differentia pro distinctione „.

" Ad secundum dicendum quod differentia importat distinctionem formae. Est autem tantum una forma in divinis, ut patet per id quod dicitur Philipp. 2: Qui cum in forma Dei esset. — Et ideo nomen differentiae non proprie competit in divinis, ut patet per auctoritatem inductam (in 2. arg.). Utitur tamen Damasc. (lib. 3. Orth. Fid. cap. 5) nomine differentiae in divinis personis, secundum quod proprietas relativa significatur per modum formae. Unde dicit quod non differunt ab invicem hypostases secundum substantiam, sed secundum determinatas proprietates. Sed differentia sumitur pro distinctione, ut dictum est (in corp. art.) „.

Probatur 2ª pars. — Hoc manifeste dicitur a S. Th. plu-

---

tum est nomen totius ad significandum perfectum. Unumquodque autem in tantum est perfectum in quantum est ens et ideo unum (quod opponitur divisioni): unde quo magis aliquid recedit ab unitate et admittit divisionem, eo magis recedit a perfectione. Recessio autem a perfectione est per potentiam (actus enim non limitatur nisi per potentiam): et ideo si aliquid est divisibile cadit in potentiam. Unde illud quod est omnino perfectum excludere debet omnem divisibilitatem, et sic divisio non potest praedicari de Deo, quia divisio est *totius in partes:* totum autem in Deo significat perfectionem.

ribus in locis et patet evidenter, cum distinctio sicut divisio opponatur unitati: impossibile est ergo quod aliqua excludant identitatem (quae est aliqua unitas, nempe unitas in substantia) et non importent distinctionem. Atqui *differens* opponitur *eidem* [1]). Ergo manifeste omne differens in ea ratione qua est differens, est quoque distinctum.

288. Nota. Hinc S. Th.: " Omnem *diversitatem* praecedit aliqua *pluralitas* (et ideo distinctio): sed non omnem *pluralitatem* praecedit *diversitas*, sed *aliquam* pluralitatem aliqua diversitas „. *In Boet. de Trin.* q. 4. a. 1. Ex hoc ipso quod potest dari aliquid distinctum quod non sit diversum, iam manifeste patet quam male a pluribus auctoribus assignatur distinctio quasi opposita *identitati*. Nam verum est quod omne quod non est *idem* nempe quod est diversum debet esse *distinctum*, sed verum non est quod omne quod est distinctum, non sit *idem:* nam, ut vidimus, idem dicit *unitatem in substantia:* possunt autem aliqua opponi invicem pluribus modis, quae tamen sunt unum in substantia, ideoque sunt *idem* proprio loquendo. Non ergo formaliter loquendo distinctio opponitur *eidem*, sed opponitur *unitati* (non secus ac divisio quamvis non omnino eodem modo ut dictum est): unitas autem latius patet quam identitas, ut manifeste constat.

THESIS V.ª — 1° Differentia realis simpliciter dicta importat realem distinctionem inter ea quae sic differre dicuntur: 2° differentia realis secundum quid dicta non importat distinctionem realem, 3° quamvis autem ea quae sic differunt, dici possint differre secundum rem, nullo modo possunt dici differre ut realiter ad invicem differentia.

289. Praenotandum. — Revocandum est in mentem quod, ut vidimus in Logica [n. 488] *distinctio realis* est oppositio inter ea quorum unum non est aliud independenter ab intellectu, seu

---

[1]) Nota quod diversum (et ideo et differens, quod est quoddam diversum) opponitur *eidem* contrarie: contradictorie vero opponitur *non eidem*, quod dicitur etiam de *non entibus:* contra, diversum non dicitur de non entibus (X *Met.* l. 4). — Identitas autem est una pars unitatis et diversitas una pars multitudinis: identitas enim est *unitas in substantia*, diversitas vero est *multitudo in substantia.*

habetur quando aliqua constituuntur plura (quocumque modo) independenter ab operatione intellectus. *Distinctio* vero *rationis* tunc habetur quando oppositio praedicta, et per consequens pluralitas consequitur operationem intellectus, quando nempe ope intellectus constituuntur termini oppositi.

II. Vidimus in thesi praecedenti quomodo se habeant differentia et distinctio *ut sic*, et probavimus quod omnis differentia includit aliquam distinctionem. Sed nunc ulterius videndum est utrum prorsus eodem modo se habeant *differentia realis* et *distinctio realis*, ita nempe ut omnis differentia realis includat de necessitate distinctionem realem; an e contra dari possit aliqua differentia realis, quae non importet distinctionem realem. Quamvis autem quaestio ista, prima fronte, videri possit parvi momenti, tamen plurimam lucem afferre potest ad intelligentiam S. Thomae in variis quaestionibus tum philosophicis tum theologicis, quae non parvam praebere solent difficultatem. Ex confusione enim inter differentiam et distinctionem realem, multae disceptationes inter Thomistas ipsos ortae sunt, ut suis locis videbimus.

III. Dicimus ergo quod differentia realis *simpliciter dicta*, manifeste includit distinctionem realem, non vero hanc importat differentia realis *secundum quid* dicta, et ideo pluribus in casibus, bene dici poterit aliquid differre *secundum rem* ab aliquo, a quo nullo modo distinguitur realiter.

290. Probatur 1ª pars. — *Differentia realis simpliciter dicta importat distinctionem realem.* Nam, ut vidimus cum Aristotele et S. Thoma, differentia est quaedam diversitas: diversitas autem est quaedam species multitudinis, quia est *multitudo in substantia,* et opponitur, ut vidimus, identitati quae est *unitas in substantia.* Unde patet quod in diversitate *duo* omnino includuntur scilicet *divisio* et *natura* seu essentia: (nomen enim substantiae analogatur ad id quod significat definitio, quae quamvis primo et per se sit de substantia, exstenditur tamen etiam ad accidentia etc. ut facile constant). Ut ergo diversitas realis sit perfecta, oportet quod sit realis secundum utrumque elementum nempe et secundum divisionem seu distinctionem et secundum naturam. Diversitas ergo perfecta seu simpliciter *realis* habe-

bitur inter substantias seu *essentias realiter distinctas.* — Et quia differentia est quaedam diversitas, seu est diversitas eorum quae conveniunt in aliquo uno, ad differentiam realem perfectam seu simpliciter dictam requiritur quod ea quae conveniunt in uno, distinguantur realiter secundum substantiam seu essentiam, seu sint aliquo modo *realiter plura* in substantia. Ergo ad differentiam realem simpliciter dictam requiritur distinctio realis.

II. *Item:* differentia potest attendi dupliciter, nempe *substantive* et *adiective:* substantive est id, quod additur supra aliquid commune, tanquam *quo* aliqua, quae conveniunt in uno, sunt diversa inter se. Sic quatuor est differentia (substantive) inter tria et septem, quia est id quo septem et tria differunt inter se: et rationale est differentia (substantive) quam addit homo supra animal, propter quam differt ab asino. *Adiective* est relatio, quae exsurgit inter ea quae sunt diversa inter se et conveniunt in aliquo uno.

Atqui ut differentia substantive accepta sit simpliciter realis manifeste duo requiruntur: nempe 1° quod ratio, quae additur supra aliquid commune, sit *realis,* et 2° quod *realiter addatur* supra illud, seu quod realiter componat cum illo. Ergo ut differentia substantive accepta sit simpliciter realis, necessario requiritur et *ratio* realis et *additio* seu compositio realis. Atqui additio seu compositio non est realis, nisi termini realiter distinguantur. Ergo ad differentiam realem simpliciter dictam, necessario requiritur distinctio realis.

Pariter ad differentiam realem *adiective* acceptam, requiritur distinctio realis. Nam differentia realis adiective accepta est relatio realis. Atqui ad relationem realem requiritur distinctio realis extremorum. Ergo ad differentiam realem requiritur distinctio realis.

291. Probatur 2ª pars. — *Ad differentiam realem secundum quid dictam non requiritur distinctio realis.* — Differentia realis secundum quid dicta est differentia quae est *realis* tantum secundum unum ex elementis quibus differentia constat. Vidimus enim quod ad differentiam, duo omnino concurrunt, nempe et *essentia* et *divisio.* Atqui potest accidere quod realitas habeatur tantum secundum essentiam, non vero secundum divisionem.

Ergo in hoc casu, adhuc differentia potest dici realis, saltem secundum quid, et tamen divisio seu distinctio erit non realis. — Sic e. g. animalitas et rationalitas distinguuntur in homine distinctione rationis : unde nullo modo, nec adaequate nec inadaequate, possunt dici res divisae vel distinctae realiter. Per illam enim unicam formam qua homo est animal, est etiam rationalis. Tamen posita hac distinctione rationis, iam habentur duo quae possunt dici diversificari *secundum rem* seu realiter, non quia distinguantur realiter, sed quia animalitas et rationalitas, quae in proprio conceptu adaequate spectatae sunt aliud et aliud, sunt quid reale.

Item differentia substantive accepta, est, ut diximus, id quod additur supra aliquid commune, tanquam id *quo* plura diversificantur inter se : unde, ut sit realis simpliciter, requiritur et essentia *realis,* et realis *additio.* Atqui potest accidere quod essentia sit realis, sed additio non sit realis : e. g. rationale dicit essentiam quamdam realem, non tamen *realiter additam* supra animal. Ergo dari potest differentia secundum quid, realis : et in casu, rationale bene dici potest differentia realis quae viget e. g. inter hominem et asinum, eo vel magis quod homo et asinus propter illam ipsam differentiam, *realiter differunt* [1]).

Sic e. g. totum et pars, ut in sequentibus ostendemus, non distinguuntur realiter ; tamen profecto realitas totius non est realitas partis et quidem independenter ab intellectu. Ergo etiam hic habetur differentia realis secundum quid, nempe quantum ad unum elementum, quantum ad rationem seu realitatem importatam, non vero quantum ad distinctionem.

292. Probatur 3ª pars. — *Quamvis ea quae hoc secundo modo differunt dici possint differre secundum rem, nullo modo dici possunt differre ut realiter differentia.* — Ut iam dictum est supra, differentia adiective dicta, importat relationem : est enim praedicatum eorum quae diversificantur inter se, licet conveniant in

---

[1]) Patet autem quod nullo modo habetur differentia realis, quando non solum non additur realiter, sed neque additur aliquid *reale :* dantur enim quoque differentiae rationis, sicut bonum, verum, quae addunt super ens aliquid mere rationis. (*De Verit.* q. 21 a. 1. c.)

aliquo uno. Ea ergo tantum dici poterunt differre ut realiter differentia, inter quae viget relatio realis. Atqui relatio realis, ut vidimus cum S. Th. non potest vigere nisi inter extrema realiter distincta. Ergo duo quae realiter non distinguuntur, dici non debent differre *ut duo realiter differentia.*

E contra optime dici possunt differre *secundum rem vel differre reali differentia*: nam per hoc non insinuatur realis distinctio, sed tantum significantur rationes reales quin distinctio realis asseratur [1]).

293. Nota 1ª. Ea quae dicimus de differentia reali, manifeste valent quoque de diversitate: nam differentia non est nisi quaedam diversitas, ut dictum est. Unde *diversa realiter secundum quid,* seu potius *diversificari realiter* secundum quid dici possunt rationes illae reales, quae inveniuntur in uno et eodem indistincto secundum rem. Hoc modo plures formae quae inveniuntur in unica anima humana virtualiter, dici possunt *diversificari secundum quid realiter.* Tamen sicut proprie dici non debent *differre ut realiter differentia* ea quae non distinguuntur realiter (ut probavimus), eodem, imo potiori iure, dici non debent simpliciter *diversa realiter* ea quae non distinguuntur realiter: ad summum dici possent *diversificari secundum rem:* pluralitas enim nominis adiectivi (sive hoc sit *differens* sive *diversum*) infert *pluralitatem* et consequenter *distinctionem* ipsarum rerum. — Tamen sine ratione sufficienti, tali locutione non est utendum, propter facilitatem aequivocationis.

Nota 2ª. Imo, propter eamdem rationem, nempe ad praecavendas aequivocationes, quamvis, ut probatum est, quandocumque duo distincta per intellectum in uno et eodem, important rationes *reales* possint dici *differre secundum rem,* aptius, secundum modum loquendi S. Thomae adhibenda videtur talis locutio, speciatim cum in uno indistincto secundum rem est accipere additamentum reale (h. e. differentia realis substantive accepta) super aliam partem, quae in ipso est, quaeque ratione

---

[1]) Adverte quod differentia realis *simpliciter dicta* et *secundum quid* non conveniunt inter se nisi analogice: nil ergo mirum si rationes quae attenduntur in utraque differentia sint simpliciter diversae.

tantum distinguitur ab ipso (sive distinguatur realiter sive non ab alio composito seu a praedicto additamento). Quod quidem contingit quando agitur de *toto* et de *parte*, sive pars sit realiter distincta ab alia comparte sive non. Illud enim quod totum addit supra partem est *additamentum reale* (sive sit additum *realiter* sive non), non vero additamentum *rationis* (sicut evenit e. g. in transcendentibus). Ad hoc denotandum, totum ipsum dici debet *differre secundum rem* a parte: convenit enim cum ipsa, et addit aliquid *reale*: hoc modo intelligi datur quod non differt totum a parte secundum additamentum rationis tantum, ut contingit e. g. in transcendentibus sicut verum differt ab ente, sed secundum aliquid reale, quamvis realiter indistinctum ab ipso.

Nota 3ª. Haec doctrina quae tota desumpta est ex libris Metaphysicis S. Th. inserviet praecipue ad intelligendum quomodo suppositum differat secundum S. Th. a natura: ex confusione enim inter distinctionem et differentiam realem, auctores devenerunt in inextricabiles difficultates, ut videbimus suo loco. Contra, mens S. Th.ae est lucidissima. Suppositum denominative dictum, nempe individuum naturae corporae *addit* supra naturam principia individuantia, non tamen *addit realiter,* quia haec ab ipso, ut vidimus in Logica, realiter non distinguuntur. Habemus ergo *differentiam realem secundum quid,* quae nempe est realis secundum *rationem* importatam, non vero secundum *divisionem.* Unde dici debet quod " in talibus etiam *secundum rem differt* natura a supposito, *non quasi omnino aliqua separata* (seu divisa aut distincta), sed quia in supposito includitur ipsa natura speciei et *superadduntur* quaedam alia quae sunt *praeter rationem* speciei (en differentia secundum unum *elementum* nempe secundum *rationem* seu essentiam, non vero secundum *divisionem)* „. (3. p. q. 2. a. 2.). Unde suppositum et natura, non differunt *ut duo differentia realiter,* sed differt etiam *secundum rem* suppositum a natura.

Item *suppositum formatum* seu includens esse, *addit* supra naturam accidentia et esse; non tamen *addit realiter* quia licet esse distinguatur realiter a natura, suppositum, utpote totum, non distinguitur realiter a parte. Iterum ergo habemus *differentiam realem secundum quid,* nempe realitate *rationis* importatae

(alia est enim realitas totius, alia realitas partis), non vero realitate *divisionis*. Hinc S. Th. dicit quod in omni creatura, etiam in angelo, suppositum *differt secundum rem a natura* (*Comp. Theol.* c. 211 : 3. D. 5. q. 1. a 3. etc.). Et iterum haec non differunt tanquam *duo differentia realiter, sed differt* etiam *secundum rem* suppositum a natura.

Nota 4ª. Ex hoc quod diximus quod differentia realis *secundum quid* non importat *realem* distinctionem, cave ne inferas quod si quando S. Th. dicit essentiam *differre secundum rem* ab existentia in creatis, hoc intelligendum sit de differentia *reali* quae non sit *distinctio realis*. Nam hoc profecto inepte prorsus diceretur. Oportet enim in singulis casibus ponderare vim verborum et notare rationem propter quam aliqua dicuntur differre realiter: si enim, ut vidimus realitas se tenet tantum ex parte formae additae vel importatae, differentia erit realis tantum secundum quid; sed si realitas se tenet ex parte ipsius divisionis, ut puta si unum se habeat ad aliud tanquam actus ad potentiam in ordine reali, etc. tunc procul dubio distinctio quoque est realis. Ceterum S. Th. ut vidimus, dicit quod inter essentiam et esse datur *compositio realis:* porro compositio realis importat realem distinctionem, ut nimis evidenter constat.

Nota 5ª. Ex dictis autem nullo modo sequitur quod differentia realis possit praedicari de Deo. Nam differentia importat in suo conceptu quod sit perficiens et ideo supponit aliquid perfectibile. Unde vidimus quod distinctio rationis in Deo est *penes explicitum et implicitum* (Logica [n. 488]). Generatim: cum prima radix distinctionis et multiplicationis et diversitatis sit oppositio contradictoria quae est inter *ens* et *non ens,* in absolutis autem haec oppositio causetur ex mixtione potentiae et actus, ad dignoscendum utrum aliquid *distinguatur* ab alio *realiter,* oportet videre utrum sit *realis* potentia vel actus necne, et unum se habeat ad aliud ut potentia ad actum *in ordine reali:* non sufficit enim ut sint rationes *reales quae* quandocumque se habeant ut potentia et actus: potest enim esse quod sint rationes reales, quae se habeant ut potentia et actus per solam operationem rationis, ut animal et rationale in homine.

THESIS VI.ª — 1º **Cum in omni distinctione inadaequata**

quae attenditur inter id quod habet rationem totius et eius partem, intellectus utatur uno et duobus; 2° non potest distinctio inadaequata ut sic esse realis. 3° Facta tamen hac multiplicitate terminorum per intellectum, quae ipsa est distinctio, 4° si fiat comparatio inter partem et totum, 5° verum erit dicere quod totum addit aliquid reale supra partem, et per id quod superaddit, realiter differt a parte, 6° quin tamen per hoc importetur inter totum eiusque partem realis distinctio.

294. Praenotanda. — In hac thesi haec declaranda sunt:

1° Quod in distinctione inadaequata intellectus solus constituit duos terminos in re una, seu utitur uno ut duobus:

2° Quod propter hanc causam distinctio inadaequata nequit esse *realis,* ut sic, quamvis forte accipiatur in aliquo in quo sit multiplex distinctio realis aliunde et aliorum.

3° Quod supposito quod modo praedicto intellectus in uno accipiat duos terminos se habentes ad modum totius et partis, per hoc ipsum facit distinctionem aliquam, quae est *mere rationis.*

4° Quod posita tali multiplicitate terminorum facta per intellectum (et solum consequenter ad hanc) potest fieri eiusdem secundum partem, ad seipsum secundum totum, aliqua comparatio.

5° Quod facta tali comparatione, verum erit dicere quod totum aliquid *reale addit* supra partem, quod *realiter differt a parte, quod realiter non est idem* totum et pars, quae omnia important comparationem iam distinctorum.

6° Quod tamen per hoc non importatur inter totum et partem distinctio realis.

295. Declaratur 1ª pars. — *Quod in distinctione inadaequata intellectus utitur uno ut duobus.* — Loquimur hic de distinctione inadaequata quae attenditur inter totum aliquod et id quod habet in ipso quomodocumque rationem partis. — Quando intellectus accipit v. g. totam hanc virgam, eiusque totius comparationem instituit cum eius parte aliqua signata in eadem, *profecto bis accipit partem eamdem, semel in toto, et iterum eamdem seorsum;* bis autem sumere prorsus idem, hoc nunc vocamus uti

uno ut duobus. Erit quidem *realis distinctio partis a parte,* ubi situaliter unum est extra aliud ut in continuis, sed non poterit esse *realis* inter totum et partem, quia intervenit fictio rationis accipientis bis idem, dum contra *idem* non potest esse *bis.* Et praecise tota distinctio quae est inter totum et partem est ex hoc.

Declaratur 2ª pars. - *Distinctio inadaequata non est realis.* - Huius iam habes declarationem ex dictis. Realis enim distinctio est quae non est solum dependenter a consideratione intellectus ; sed distinctio quae est per hoc quod aliquod totum sumitur seorsum, et iterum idem secundum partem a seipso seorsum sumitur, est mere fictio rationis, sicut quando idem a seipso secundum totum seorsum sumitur ; ergo distinctio inadaequata ut sic, in *rigore* loquendo, non *potest esse* realis.

Sit totum *AB* (loquimur enim de illa inadaequata distinctione quae locum habet inter ea quae se habent ad modum totius et partis).



Dicitur totum *AB* distingui a parte *AC.* Quaeritur an distinctio haec quae est inadaequata sit realis formaliter in quantum inadaequata. In casu praesenti, pars *AC* realiter distinguitur a parte *CB,* cum agatur de partibus signatis et determinatis ; poterit ergo ratione huius *realis distinctionis adaequatae, quodammodo* dici realis etiam ipsa distinctio inadaequata, quae attenditur inter totum et partem. Simpliciter tamen loquendo, absolute debet negari quod ratione sui, seu ut *sic,* distinctio inadaequata possit esse realis. Et probo (quamvis mihi videatur omnino in terminis notum). In tantum distinctio inter *AC* et *AB* est inadaequata, in quantum *AC* iterum sumitur in altero termino distinctionis quod est *AB.* Porro *AB* non distinguitur realiter ab *AC* ratione ipsius *AC,* quod iterum sumitur per intellectum, et est unum et idem semper in re. Ergo *AB* realiter distinguitur ab *AC* unice ratione *CB* quae pars est extra *AC.* Ergo realis distinctio est unice inter *AC* et *CB,* quae ta-

men distinctio est omnino adaequata. — Ex quo inferes quod ubi realis adaequata distinctio nulla intervenit, illa quae inadaequate accipitur, ne ratione quidem alterius potest ullo modo dici realis. Habebis solum quod in ratione obiecti cogniti distinguitur totum et pars [1]).

Declaratur 3ª pars. — *Est distinctio rationis.* — Hoc ipsum quod est seorsum sumere totum secundum totum, et seorsum idem secundum partem, hoc ipsum, inquam, est facere distinctionem aliquam, quae *manifesto totaliter est rationis,* ad summum cum fundamento aliquo in re. Sicut enim ea quae seorsim existunt vel ut duo entia, vel saltem coexistunt in uno ente ut duo realia principia vel simili aliquo modo se habent independenter ab operatione intellectus, realiter distinguuntur, ita ea quae *solum secundum* intellectum seorsum accipi possunt ut sunt totum et pars, distinguuntur per solum intellectum quoties de facto sic per intellectum seorsum accipiuntur.

Declaratur 4ª pars. — *Quae distinctio praerequiritur ad comparationem.* - Ad omnem comparationem qua intellectus comparat aliqua inter se, ut cum dicit ea esse aequalia, inaequalia, differentia, diversa, idem, non idem, vel aliquid huiusmodi, *praesupponitur* necessario aliqua *multiplicitas* comparabilium, et proinde necessario praesupponitur distinctio inter se eorum quae sic comparantur, quae distinctio potest esse realis vel rationis. Quando autem comparatio est eiusdem ad seipsum sive secundum totum, sive secundum partem, distinctio quae praesupponitur comparationi ut dictum est, *necessario est rationis tantum.*

Declaratur 5ª pars. — *Totum addit aliquid reale supra partem.* — Si comparo *totum canem* v. g. cum sua cauda, manifestum est quod non *per fictionem* rationis sed *realiter supra caudam totus canis addit aliquid,* et si aliquid addit *reale, differt dicere totus* canis et " cauda canis „ et *realiter non est idem* totus canis et sola cauda. Et tamen haec omnia vere dicuntur

---

[1]) Hic noto statim quod iuxta praedicta, ne inadaequate quidem posset dici distingui *realiter* individuum a natura: et tamen a S. Thoma dicitur differre *secundum rem:* concludendum ergo quod distinctio *realis* non est idem ac differentia realis.

ex *praesuppositione alicuius multiplicitatis terminorum* comparabilium quae multiplicitas et ipsa est distinctio quaedam, et cum fit, ut in casu, manifeste est figmentum rationis.

Declaratur 6ª pars. — *Non tamen realiter distinguitur ab ipsa.* Ratio est evidens ex thesi praecedenti. Nam quamvis totum addat aliquid *reale* supra partem, non tamen addit aliquid *realiter*, quia distinctio ut dictum est, habetur per opus intellectus. Ergo non habetur realis compositio; nec realis divisio inter totum et partem. Ergo habebitur *differentia realis secundum quid dicta,* qua nempe totum realiter differt a parte, non tamen differunt *ut duo differentia.*

Sit v. g. triang. *ABC.*[1]) In hoc uno reali, nulla facta divisione, signo, per mentem, partem *ADE.* Sumo ergo semel in mea consideratione *ABC,* deinde iterum *idem sumo* non secundum totum, sed secundum partem *ADE.* Habeo ne duo realiter, seu quaedam realiter distincta ante operationem intellectus? Profecto non. Non habeo indipendenter ab intellectu duo entia, neque habeo secundum intellectum duo principia realiter distincta unius, quia totum *ABC* non potest esse alterum ex principiis constituentibus ipsum *ABC.* Neque habeo duas partes reales, etiam facta signatione per intellectum, quia *ABC* non est pars ipsius *ABC* sed ipsum totum.



Ergo manifeste *ABC* et *ADE* non distinguuntur realiter. Et tamen facta illa designatione per intellectum, quis neget *ADE* differre realiter a toto *ABC?* et quod *ABC* addat aliquid reale supra *ADE?* et quod non sit omnino idem cum *ADE?* Sed si differunt, non ita differunt, ut quae divisa seu separata existunt, sed ut plura accepta in uno.

---

[1]) Facias ex charta et seces. Habebis duo; *ADE* et *DECB:* ista duo erant in potentia. Secando autem non potest haberi seorsim *ABC* et seorsim *ADE.*

Sit contra triang. *FGH* et seorsim alius triangulus *fgh;* isti trianguli et sunt realiter distincti, et realiter duo, et differunt non quomodocumque, sed ut duo aliqua separata, seu seorsim existentia.



THESIS VII.ª — **Principium identitatis comparatae: " quae sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se „ est verum absolute atque universaliter.**

296. Praenotandum. — Plures theologi ut se expediant a difficultate, quae ex principio identitatis comparatae oritur contra dogma Trinitatis, recedentes in hac re a S. Thoma, negarunt ipsam universalitatem talis principii. Statuerunt nempe: " principium illud: *Quaecumque* etc., si in tota abstractione et analogia entis sumatur, abstrahendo ab ente creato et increato, seu finito et infinito, esse falsum, neque directe demonstrari aut probari posse, sed ad summum inductione posse a nobis ostendi in creaturis. Negamus autem inde recte concludi in tota illa universalitate, quia in rigore fit argumentum ex puris particularibus, et quia in creaturis potest illud oriri ex limitatione earum, et ideo non recte fit illatio ad rem illimitatam „ [1]).

Porro haec omnia nimis difficilia et, nostris hisce praesertim temporibus, nimis periculosa esse videntur. Quare a doctrina S. Thomae nullo modo recedendum esse censemus.

297. Probatur 1ª pars. — I. Ea quae intrinsece et secundum se atque absolute involvunt evidentem contradictionem numquam et in nullo ente censeri debent possibilia. Atqui exceptio contra principium identitatis comparatae, intrinsece et secundum se involvit evidentem contradictionem. Ergo nunquam et in nullo ente censeri debet possibilis. Ergo principium praedictum est absolute et universaliter verum.

Minor declaratur: exceptio praedicta manifeste importaret quod idem simul esset et non esset: nam illud cum quo duo

[1]) Suarez *de Trin.* l. 4. c. 3. n. 7.

inter se diversa absolute, dicuntur absolute identificari, deberet simul *esse idem,* ut supponitur, et *non esse idem,* quatenus respective identicum duobus absolute diversis. Ergo exceptio praedicta infirmat ipsum principium contradictionis: est ergo evidenter impossibilis.

II. Praedictum principium est basis et fundamentum omnium regularum syllogismi. Dicere ergo quod tale principium, legitime sumptum, falli potest in aliquo casu, est destruere omne fundamentum totius humanae cognitionis et aperire viam ad manifestum *agnosticismum.*

298. Nota. *Nec valet dicere* quod forma syllogistica *suo* modo salvatur *formaliter* etiam in hoc mysterio, hac scilicet ratione quod si sumatur *de medio singulari* (in syllogismo nempe expositorio) cum requirat medium perfecte singulare et incommunicabile, quod in casu non verificatur, (quia essentia divina est communicabilis), non potest applicari in divinis quoad rem, sed ad summum quoad vocem tantum; si vero sumatur *de medio communi,* deberet iterum subesse regulis syllogismi communis, quod iterum in casu non potest fieri sine evidenti falsitate alicuius propositionis [1]): *non valet,* inquam, propter evidentem *petitionem principii.* In tantum enim illa res *singularis* statuitur posse esse simul *communis,* et ideo non verificare legem syllogismi expositorii, in quantum supponitur quod idem singulare possit identice communicari pluribus, *seu identificare sibi plura,* contra legem syllogismi expositorii et cuiuscumque syllogismi; quod nempe illud *unum* in quo plura accepta per rationem

---

[1]) ....." forma syllogistica aut consideratur in medio singulari, seu syllogismo expositorio, aut in medio communi. Priori modo vis eius in hoc est quod medium sumatur tanquam perfecte singulare et incommunicabile. Quod si hoc servatur in hoc mysterio, etiam erit optima illatio. Est autem proprium Trinitatis ut in illa sit quaedam res *singularis* et *nihilominus realiter communicabilis,* et inde fit ut illa res sola, etiam singulariter designata, non sit sufficiens medium syllogismi expositorii, quia realiter vim habet termini communis. Atque hac ratione haec illatio et similes: *Haec divinitas est Pater, et haec divinitas est Filius, ergo Filius est Pater* non est bona, non quia forma syllogistica ibi deficiat et non concludat, sed potius quia non servatur neque applicatur forma syllogistica quoad rem ipsam sed quoad vocem tantum. — In syllogismo autem

intelligantur prorsus *identificari,* possit adhuc accipi ut *commune* iisdem pluribus *realiter distinctis,* hoc ipsum est quod ut evidenter impossibile ostenditur per illud principium " *Quae sunt eadem uni tertio sunt eadèm inter se* „. — Simili modo si agatur de syllogismo communi, sine manifesta petitione principii statui non potest *rem* illam *singularem, propter realem communicabilitatem aequivalere naturae communi:* hoc enim est quod ut impossibile apparet per illud principium: " *Quae sunt eadem etc.* „ — Et sane quaero quomodo illa res singularis potest accipi ut *communis* vel *communicabilis pluribus?* Profecto communitas seu communicatio *realis* pluribus supponit *plura realiter dari.* Sed quomodo plura realiter dantur, si illa plura *prorsus* identificantur cum uno et eodem? Illa plura profecto debent *esse plura,* secus nulla communitas, et simul *non esse plura,* secus nulla identitas: illud unum debet *esse unum* ut statuitur, et simul *non esse unum* quia est commune identice pluribus, seu sunt plura. Hoc autem manifeste contradicit principio contradictionis. — Patet ergo quod dici nequit formam syllogisticam suo modo formaliter salvari in hoc mysterio, nisi statuatur ut possibile illud ipsum quod per primum principium syllogisticum ostenditur evidenter atque absolute impossibile.

299. Scholion. — Quamvis ad philosophum non spectet solvere difficultates quae contra principia philosophica ex rebus fidei apparenter induci possunt, placet tamen innuere solutionem quae ut *unice vera* exhibetur a S. Thoma (1. p. q. 28. a. 3. ad 1[m]). " Dicendum quod secundum Philosophum, argumentum illud tenet quod quaecumque uni et eidem sunt eadem,

---

cuius medium est terminus communis, forma vere applicata in hoc mysterio locum habet observando eamdem rem singularem propter realem communicabilitatem aequivalere naturae communi et ideo ex hac parte addendam esse distributionem ut forma servetur. Et propterea haec consecutio: *Essentia non generat, Pater est Essentia, ergo Pater non generat* non valet quia medium commune est et non distributum; esset autem bona illatio si diceretur: *Nulla res, quae est essentia, generat: Pater est res quae est essentia: ergo et Pater non generat:* tamen sicut consequens est falsum ita et maior pars antecedentis „. Id. *ibid.*

sibi invicem sunt eadem, in his quae sunt idem *re* et *ratione,* sicut tunica et indumentum, non autem in his quae *differunt ratione.* Unde ibidem dicit quod licet actio sit idem motui, similiter et passio, non tamen sequitur quod actio et passio sint idem, quia in actione importatur respectus ut *a quo* est motus in mobili, in passione vero ut *qui est ab* alio. Et similiter licet paternitas sit idem secundum rem cum essentia divina, et similiter filiatio, tamen haec duo in suis propriis rationibus important oppositos respectus. Unde distinguuntur ab invicem „. Differentia ergo rationis quae est inter relationem et essentiam, sufficit ut quaedam *secundum rem* praedicari possint et debeant de eodem in quantum verificat rationes relativas, quae praedicari nequeunt de ipso in quantum accipitur ut absolutum. Porro proprium est relationis quod si est realis, ponat realem distinctionem inter terminos : si ergo relationes ponantur subsistentes, utpote identificatae cum ipsa substantia absoluta, iam hoc ipso reales sunt, et si opponantur, sunt *realiter distinctae* inter se. Porro in hoc, nihil habetur contra principium *" quae sunt eadem etc „,* nam *identitas* est in re absoluta, distinctio in re relativa: quamvis autem absolutum secundum rem identificetur cum relativo, differt tamen ratione: exinde autem non sequitur quod relativa ipsa inter se differant *tantum* ratione: nam relativa *inter se* habent oppositionem specialem quam non habent cum absoluto, et quae nullo modo officit perfectissimae identitati reali cum absoluto: imo si quis attente consideret, videbit quod identitas ipsa cum absoluto mirabiliter accipi potest tanquam conditio realis distinctionis: per talem enim identitatem, relationes ipsae constituuntur reales atque subsistentes, atque ideo realiter distinctae si inter se opponantur. Sed haec nunc innuisse sufficiat. — Videsis P. Billot *De Deo Trino* p. 98 ; Cf. *Logica* [n. 363].

QUAESTIO QUINTA.

De Aliquo Transcendentali.

THESIS I.ª — 1° Aliquid quod cum ente convertitur importat ipsum ens divisum a quolibet alio; ac 2° proinde non addit supra ens nisi meram negationem prout dicit ens a quolibet alio divisum; 3° non est idem autem ac suppositum.

300. Probatur 1ª pars. — *Importat ens divisum a quolibet alio.* — Nam, sicut quodlibet ens est in se indivisum, scilicet *unum,* ita quodlibet ens secundum ordinem unius ad alterum, praecise in quantum non est alterum, est divisum ab ipso, ac proinde " aliud quid „ seu " aliquid „, nam aliquid dicitur quasi aliud quid. Ergo aliquid quod convertitur cum ente importat ipsum ens divisum a quolibet alio. *Cf. S. Th. De Ver. q. 1. a. 1.*

Probatur 2ª pars. — *Ac proinde non addit supra ens nisi meram negationem.* — Ratio est quia hoc " **dividi** „ *est, unum eorum non esse alterum.* Cf. S. Th. *de Pot.* q. 9. a. 7. c.

301. Nota. Aliqui auctores dicunt quod divisio quae ab aliquo transcendentali importatur non potest esse mera *distinctio* realis, sed esse debeat vera *divisio.* — Nos autem vidimus quod per se distinctio non est nisi quaedam divisio, quae tamen attendi potest (utpote *minima* divisio) etiam inter ea quae sunt unum subiecto, quaeque proinde minus apte dicuntur divisa simpliciter, quamvis absolute dici possent quoque divisa. Divisio enim est ratio quaedam analoga et universalissima, quae consequitur omne ens. Eo modo ergo quo aliquid est ens, erit quoque divisum, et per consequens dici potest et *aliquid,* sicut *unum verum, bonum* etc.

Unde *entis ens,* sicut minus habet de ratione entis, ita et minus habet de ratione eius quod dicitur *aliquid:* principia au-

tem *entis* adhuc minus; et sic, ut patet, ipsum *aliquid* analogatur, sicut ipsum ens [1]).

Probatur 3ª pars. — *Aliquid transcendentale non est idem ac suppositum, quod significat subsistens distinctum.* — Nam quidquid quomodocumque est, est ens et eo modo quo est ens, est etiam unum et aliquid, at nullo modo asseri potest quod quidquid quomodocumque est, sit etiam suppositum. V. gr. quantitas huius parietis est ens, ac proinde *unum* et *aliquid,* sed nullo modo dici potest quod sit *suppositum,* quia non est subsistens distinctum, scilicet non est sui sed alterius, ac proinde est in supposito, sed non est suppositum.

Nota. De supposito agemus postea, ubi de substantia erit sermo.

THESIS II.ª — Repugnat metaphysice quod individuum replicetur seu multiplicetur: negatio talis repugnantiae ad Agnosticismum logice adducit.

302. Praenotandum. — Theologi plures recedentes a doctrina S. Thomae, qua substantia panis in Christi corpus *praeexistens* et *non mutatum* convertitur, recedentes, inquam, a tali doctrina, propter difficultatem transcendendi sensum et imaginationem, alias vias ad explicandam praesentiam realem J. C. in Sacramento excogitaverunt, quae magis secundum sensum esse viderentur: duae praecipuae viae inventae sunt: via *adductionis* et via *reproductionis.* Praetermissa nunc prima cum absurditatibus quae illam consequuntur, via reproductionis, quae magis communis extitit, statuit nullam repugnantiam involvere

---

[1]) Nota quod licet divisio habeatur, ut dictum est, ex oppositione inter ens et non ens. perperam tamen quis inferret quod *divisum simpliciter* importet *non ens simpliciter;* sed potius dicendum quod divisio simpliciter importat *non unum simpliciter:* quae divisio simpliciter si intelligatur per respectum ad ens ut sic, erit *non ens;* si autem intelligatur relate ad ens *tale,* poterit esse etiam inter entia, et tunc divisio non faciet quod id quod est divisum, non sit ens; sed quod non sit ens tale, et ita habetur *non unum simpliciter* in positivis, seu multitudo in cuius ratione cadit divisio, ut dicit S. Thomas. — Unde, licet ens et unum convertantur, non ens simpliciter et non unum simpliciter non convertuntur: et est simile de ente simpliciter et de bono simpliciter. (Cf. 1. p. q. 5. a. 1. ad 1m).

multiplicationem unius eiusdemque individui corporis Christi; et hoc modo mysterium fidei ab omni apparenti repugnantia solvere existimant. Audiatur Lessius, (*de perfect. div.*, l. 12, n. 119): " Verius igitur mihi semper visum, Christi corpus poni sub speciebus per actionem productivam..... Quod autem Deo istud sit possibile, dubitari non potest. Si enim quod periit, Deus restituere potest....., cur non possit secundo producere id quod mansit? Non enim existentia rei impedit quominus rem illam secundo et tertio et decies et centies et millies alibi producere queat, idem esse et eamdem existentiam conferendo..... Unde sequitur, (Deum) ex uno homine efficere posse integrum exercitum..... Et quamvis res hoc modo replicata in seipsa actu sit una eademque, virtute tamen est multiplex. Nam multis aequipollet..... Potest etiam diversa in diversis locis, atque etiam contraria operari, atque adeo tantum efficere, quantum res numero diversae..... Unde posita huiusmodi replicatione, fieri potest ut una eademque res, hoc loco calescat, illo frigescat, hoc ascendat, illo descendat, hoc desinat et moriatur, illo incipiat et nascatur, qua de re novissime bene scripsit Aegidius Coninck, de Sacram., q. 75, art. 4, dub. 3 „. Haec Lessius. Coninck vero, cuius auctoritas invocatur, loco citato habet: " Secundum hanc sententiam (actionis productivae), explicantur facillime omnia incommoda, quae videntur sequi ex eo quod corpus Christi existat in duobus locis. Cum enim corpus, hoc modo reproductum, sit virtute duplex, et in uno loco omnino independens a seipso prout est in alio loco, sequitur in utroque loco posse eadem agere et pati, quae duo omnino distincta corpora possunt agere et pati. Quod non solum est intelligendum de actionibus et passionibus aliunde illatis, verum etiam de actionibus immanentibus. Unde homo ita replicatus posset uno loco comburi ac mori, peccare, et si vis damnari; et alio frigere, et pergere vivere, et mereri, et salvari, si absolutam Dei potentiam spectemus, quia aequivalet duobus hominibus „.

Item Suarez *De Euchar.* disput. XLVIII. sec. 6: " Mutatio facta in uno loco, non fit in aliis locis distantibus, in quibus idem corpus existit..... Probatur conclusio in integra substan-

tiali mutatione..... Quod ergo corruptio vel mors posset evenire eidem corpori in uno loco, et non in alio, probatur primo ex dictis, etc..... „.

Statuimus ergo repugnare metaphysice replicationem seu multiplicationem unius eiusdemque individui, ideoque talem replicationem incredibile prorsus reddere dogma Praesentiae Realis.

303. Probatur 1ª pars. — Repugnat metaphysice quod aliquid, idem manens, privetur eo quod intrinsece pertinet ad definitionem eius. Atqui de ratione seu definitione individui intrinsece pertinet *indivisibilitas,* cui opponitur *divisio,* quae requiritur ad *multitudinem.* Ergo repugnat metaphysice quod individuum replicetur quomodocumque seu multiplicetur.

Declaratur minor. " Individuum est quod est *in se indistinctum,* ab aliis vero distinctum „ (1. p. q. 29. a. 4. c.); ex alia vero parte " unum opponitur privative multis in quantum in ratione *multorum* est quod sint *divisa* „ (1. p. q. 11. a. 2 ad 4m); unde si quid est " divisum *simpliciter,* erunt *multa* simpliciter „ (*ibid.* a. 1. ad 2m), et ideo " manifestum est quod illud unde aliquod singulare est *hoc aliquid, nullo modo* est multis communicabile „ (*ibid.* a. 3. c.).

Aliis verbis. Ut aliquod individuum replicetur seu multiplicetur necesse est quod sint " *multa* „, ut patet in terminis et quidem " *multa simpliciter* „, secus non multiplicatur illud *idem.* Atqui de ratione individui est quod *non sint multa,* sed unum. Ergo repugnat metaphysice quod individuum multiplicetur.

Iterum. Ut individuum replicetur, debet esse 1 et 1, (hoc enim est de ipso conceptu replicationis). Atqui $1 + 1 = 2$. Ergo ut individuum replicetur, deberet esse $1 = 2$; quod est metaphysice repugnans.

Hinc sapienter P. Billot De Sacr. p. 316: " res tum in coelo, tum in Eucharistia per omnia mundi altaria praesens, est *unum individuum corpus* natum e Virgine, oblatum in Cruce, videntibus Apostolis elevatum et assumptum in gloria. Nunc, si quaeratur in quo sita sit individui ratio, respondere debebunt omnes, individuum esse indivisum in se, et divisum a quolibet alio; debebunt etiam confiteri indivisionem esse rationem individui essentialem, quam ne ipse quidem Deus immutare po-

test, cum contradictoria non sint divinae obiectum omnipotentiae. Atqui huic essentiali indivisioni repugnat in primis reproductio, per quam individuum multiplicaretur. Potes equidem reproducere picturam, imaginem, statuam; at quo sensu? Quatenus facere potes novam picturam vel imaginem simillimam ei quae iam existebat, sed non potes facere ut pictura a te producta, sit illa numero eadem quae prius existebat. Et ratio est evidens, quia per quamcumque actionem productivam aliquid novum fit et educitur e nihilo sui; nisi autem velimus adstruere identitatem contradictoriorum, res de novo facta non potest esse ipsa res non facta de novo, sed iam ab antiquo in esse perseverans. Ergo terminus actionis reproductivae non est individuum a quo reproductionis denominatio sumitur, sed individuum aliud simile ei, imo forte simillimum, non ipsum „[1]).

304. Probatur 2ª pars. — Sequitur manifeste ex praedictis; nam si idem manens idem potest fieri duplex et suscipere praedicata contradictoria substantialiter, non apparet cur non possit esse verum quod idem sit simul verum et falsum..... quod Christus Dominus hystorice sit merus homo, secundum fidem sit Deus, quod historice non resurrexerit a mortuis, secundum fidem resurrexerit etc. — Patet ergo quam periculosum sit recedere a sapientissima doctrina S. Thomae ut quis sequatur doctrinas quae minus forte contraddicunt sensui et imaginationi, sed aperte repugnant intellectui.

---

[1]) Adverte quod nullo modo contendimus repugnare quod Deus non possit restituere idem numero individuum : ut enim ostendimus [nn. 204, 205] ratio cur non potest dari *naturaliter* regressus a privatione ad habitum eiusdem numero actus, est quia non potest reparari idem numero motus, ideoque nec idem numero terminus, quae repugnantia non respicit primum agens quod agit sine motu. Sed repugnat quod *iterum* reproducatur illud idem iam existens, propter rationes dictas.

QUAESTIO SEXTA.

De Vero Transcendentali.

THESIS I.ª — 1º Verum transcendens dicit id ipsum quod ens in quantum exprimit convenientiam, quam unum, quodque ens ex seipso importat ad intellectum: 2º hinc verum transcendens convertitur cum ente, et 3º est omnino aliud a veritate formali sive in seipsa spectata, sive prouti extrinsece denominante ipsas res.

305. Probatur 1ª pars. — *Verum transcendens dicit id ipsum quod ens.* — Nam verum transcendens significat expresse modum generaliter consequentem ad omne ens, quatenus omne ens est conforme intellectui divino et conformabile intellectui humano: est autem unumquodque conforme vel conformabile intellectui quia est cognoscibile. Sed unumquodque in tantum est cognoscibile in quantum habet de esse. Ergo verum transcendens dicit id ipsum quod ens in quantum exprimit convenientiam quam unumquodque ens *ex se ipso* importat ad intellectum.

Probatur 2ª pars. — *Convertitur cum ente.* — Nam si verum transcendens importat id ipsum quod ens in quantum exprimit convenientiam entis ad intellectum, sequitur quod quidquid est ens est etiam verum, et quod quidquid est verum est ens. Ergo.

Probatur 3ª pars. — *Est omnino aliud a veritate formali, sive in se spectata, sive prouti extrinsece denominante ipsas res.* — Quod sit aliud a veritate formali in se ipsa spectata patet: veritas enim formalis est veritas *intellectus* et non potest esse nisi in intellectu, cum tota quanta est, non sit nisi perfectio intellectus conformis rei. Quod autem aliud quoque sit a veritate formali prouti extrinsece denominante ipsas res, sic patet: Licet ratio veri primo competat intellectui, ideoque ratio veritatis transcendentalis semper sit per ordinem ad *veritatem for-*

malem quae est veritas intellectus, tamen dupliciter possumus considerare res ipsas habere ordinem ad veritatem intellectus: 1° quidem modo in quantum veritas ipsa intellectus intelligitur derivari quodammodo in ipsas res, ipsasque denominare extrinsece, sicut ratio ipsa sanitatis animalis intelligitur quodammodo derivari diminute in medicinam et cibum, ipsaque denominare: porro hoc modo res non denominantur verae nisi a forma extrinseca, ut patet: constat ergo quod talis non potest esse ratio veri transcendentalis, quia debet esse intrinseca in omnibus, sicut ipsa ratio entis: 2° modo quatenus praeintellecta ipsa veritate formali, ipsa entitas rei concipitur habere aliquem ordinem ad intellectum, sicut praeintellecta ratione *sanitatis* animalis, cibus denominatur sanus a qualitate sibi inhaerente quae accipitur se habere modo quodam proportionali qualitati illi qua animal denominatur sanum, licet, ut patet, qualitates istae sint simpliciter diversae. Unde S. Thomas *De Verit.* q. 1. ar. 4. ait: " Denominantur autem res verae a veritate quae est in intellectu divino vel intellectu humano, sicut denominatur cibus sanus a sanitate quae est in animali et non sicut a forma inhaerente; sed a veritate quae est in ipsa re (quae nihil est aliud quam entitas intellectui adaequata, vel intellectum sibi adaequans) sicut a forma inhaerente, sicut cibus denominatur sanus a qualitate sua, a qua sanus dicitur „.

Sic patet quod verum transcendens non est ipsa relatio conformitatis vel conformabilitatis rerum ad intellectum, sed ipsa rerum entitas cum ordine ad talem relationem. Et ideo S. Thomas (1. q. XVI. a. 3. ad 1m) ait: " Verum quod est in rebus convertitur cum ente secundum substantiam, sed verum quod est in intellectu, convertitur cum ente ut manifestativum cum manifestato „.

THESIS II.a — 1° **Verum et ens sunt idem re, seu verum nihil addit realiter supra ens; et** 2° **nihil addit reale, sed** 3° **addit tantum differentiam rationis;** 4° **quae consistit in quodam respectu rationis ad intellectum;** 5° **quod tamen sufficit ut non sit inutilis repetitio dicere: " ens verum „.** (I. q. 16. a. 3. ad 1m; *de Verit.* q. 21. a. 1. c.).

306. Praenotandum. — Ut bene intelligatur quid et quo-

modo verum (sicut et cetera transcendentia) addat supra ens, praestat audire quae dicit S. Th. (q. 21 *de Verit.* a. 1.).

" Tripliciter potest aliquid super alterum addere. *Uno modo,* quod addat aliquam rem, quae sit extra essentiam illius rei, cui dicitur addi; sicut album addit super corpus, quia essentia albedinis est praeter essentiam corporis „. — Hoc nempe modo, id, quod additur, est *realiter distinctum* ab eo, cui additur, cum eoque *realiter componit:* additio enim realis importat manifeste compositionem realem.

" *Alio modo* dicitur aliquid addi super alterum per modum contrahendi et determinandi, sicut homo addit aliquid super animal; non quidem ita quod sit in homine alia res quae sit penitus extra essentiam animalis, alias oporteret dicere, quod non totum quod est homo esset animal, sed animal esset pars hominis; sed animal per hominem contrahitur, quia id quod determinate et actualiter continetur in ratione hominis, implicite et quasi potentialiter continetur in ratione animalis; sicut est de ratione hominis, quod habeat animam rationalem, et de ratione animalis est quod habeat animam, non determinando ad rationalem vel non rationalem; ista tamen determinatio, ratione cuius hominem super animal addere dicitur, in aliqua re fundatur „. — Ex his verbis patet, quod id quod additur hoc secundo modo non est penitus extra *essentiam* rei, cui additur, quod est dicere, non est *realiter distinctum* ab eo, cui additur (" quasi sit in homine *alia res* quae sit penitus extra essentiam animalis „) quae potentialiter continetur in ipso, sed tamen est determinatio, quae potest dici *realis,* hoc ipso, quod in " aliqua re fundatur „. — Ubi tamen advertendum est, quod caute adhibenda est talis locutio, ne forte quis putet quod determinatio ista utpote *realis, addatur realiter,* quod est omnino falsum, hoc enim importaret realem distinctionem ab eo cui additur.

" *Tertio modo* dicitur aliquid addere super alterum secundum rationem tantum; quando scilicet aliquid est de ratione unius, quod non est de ratione alterius; quod tamen nihil est in rerum natura, sed in ratione tantum; sive per illud contrahitur id cui dicitur addi, sive non. Caecum enim addit supra

hominem, scilicet caecitatem, quae non est aliquod ens in natura, sed rationis tantum, secundum quod ens est comprehendens privationes; et per hoc homo contrahitur, non enim omnis homo caecus est; sed cum dicimus talpam caecam, non fit per hoc additum aliqua contractio „. — Adverte igitur, quod secundum hunc tertium modum, nihil additur *realiter,* quod nempe sit extra essentiam eius, cui additur, et praeterea nihil additur *reale;* importatur enim secundum rem illud idem, quod prius importabatur, sed tamen " aliquid est de ratione unius, quod non est de ratione alterius „ superadditur nempe aliquid *rationis.* (*De Verit.* q. 21. a. 1.).

307. Probatur 1ª pars. — *Verum nihil addit realiter supra ens.* - Patet, quia ens est transcendens: nihil ergo hoc modo additur supra ens. Unde S. Th. *(ibid.).* " Non autem potest esse quod super ens universale, aliquid addat aliquid primo modo, quamvis illo modo possit fieri aliqua additio super aliquod ens particulare; nulla enim res naturae est, quae sit extra essentiam huius entis „.

Probatur 2ª pars. — *Verum nihil quoque addit reale supra ens.* - Quamvis enim aliqua addant hoc secundo modo supra ens (determinatus enim modus essendi est aliquid *reale,* quamvis non extra essentiam entis, ideoque realiter indistinctum ab ente) tamen hoc non faciunt transcendentia; peculiariter autem de *vero* est dicendum, quod ipse ordo, quem habet verum ad cognitionem, utpote qui consistit in hoc, quod unaquaeque res, propria entitate, seu in quantum habet de esse, et non per aliquid additum ad modum extraneae naturae, habeat ordinem ad intellectum, ipse ordo, inquam, quem habet verum ad cognitionem, totus etiam importatur ab ipso ente, quamvis non exprimatur. Unde S. Th. (ibid). " Secundo modo inveniuntur aliqua addere supra ens, quia ens contrahitur per decem genera, quorum unumquodque addit aliquid supra ens; non aliquod accidens vel aliquam differentiam, quae sit extra essentiam entis: sed determinatum modum essendi, qui fundatur in ipsa essentia rei. Sic autem bonum (idem dic de vero) non addit aliquid super ens, cum bonum dividatur aequaliter per decem genera, ut ens, ut patet in 1 *Eth.* (cap. 6); et ideo oportet quod vel nihil addat

super ens, vel si addat, quod sit in ratione tantum, si enim adderetur aliquid reale, oporteret quod per rationem boni contraheretur ens ad aliquod speciale genus „.

Probatur 3ª pars. — *Addit tamen differentiam rationis.* Nam verum transcendens addit super ens, solum comparationem ad intellectum, quae quidem comparatio, licet importaretur etiam ab ente, ab ipso tamen non exprimebatur. " Cum autem ens sit id, quod primo cadit in conceptione mentis, ut dicit Avicenna, oportet quod omne illud nomen vel sit synonimum enti, quod de bono (idem dic de vero) dici non potest, cum non nugatorie dicatur ens bonum; vel addat aliquid ad minus secundum rationem; et sic oportet quod bonum, ex quo non contrahit ens, addat aliquid super ens, quod sit rationis tantum. Id autem quod est rationis tantum, non potest esse nisi duplex (negatio scilicet et relatio). Omnis enim positio absoluta aliquid in rerum natura existens significat.

Sic ergo supra ens, quod est prima conceptio intellectus, unum addit id quod est rationis tantum, scilicet negationem; dicitur enim unum quasi ens indivisum; sed verum et bonum positive dicuntur: unde non possunt addere nisi *relationem,* quae sit *rationis tantum.* Illa autem relatio, secundum Philosophum in 5° *Metaphys.* (text. 20), dicitur esse rationis tantum, secundum quam dicitur referri id quod non dependet ad id ad quod refertur; sicut patet in scientia et scibili, sensu et sensibili, scientia enim dependet a scibili, sed non e converso, unde relatio, qua scientia refertur ad scibile, est realis, relatio vero, qua scibile refertur ad scientiam, est rationis tantum: dicitur enim scibile referri, secundum Philosophum (lib. 6 *Metaphys.* text. 7) non quia ipsum referatur, sed quia aliud refertur ad ipsum; et ita est in omnibus aliis, quae se habent ut mensura et mensuratum, vel perfectivum et perfectibile.

Oportet igitur quod verum et bonum super intellectum entis addant respectum perfectivi. In quolibet autem ente est duo considerare: scilicet ipsam rationem speciei, et esse ipsum, quo aliquid aliud subsistit in specie illa: et sic aliquod ens potest esse perfectum dupliciter. Uno modo secundum *rationem speciei* tantum; et sic ab ente perficitur intellectus, qui perfi-

citur per rationem entis; nec tamen ens est in eo secundum esse naturale: et ideo hunc modum perficiendi addit verum super ens. Verum enim est in mente, ut Philosophus dicit in 6° *Metaph.*, et unumquodque ens in tantum dicitur verum, in quantum conformatum est vel conformabile intellectui; et ideo omnes recte definientes verum, ponunt in eius definitione intellectum. Alio modo ens est perfectivum alterius, non solum secundum rationem speciei, sed etiam *secundum esse,* quod habet in rerum natura: et per hunc modum est perfectivum bonum; bonum enim in rebus est, ut Philosophus dicit in 6° *Metaph.* (com. 8). In quantum autem unum ens est secundum esse suum perfectivum alterius et conservativum, habet rationem finis respectu illius, quod ab eo perficitur; et inde est quod omnes *recte* definientes bonum, ponunt in ratione eius aliquid, quod pertineat ad habitudinem finis; unde Philosophus dicit in 1 *Ethic.* (in princ.) quod *bonum optime definiunt dicentes, quod bonum est id quod omnia appetunt* „.

Probatur 4ª pars. — *Quae differentia rationis, consistit in quodam respectu rationis ad intellectum.* Ex verbis S. Thomae manifeste patet quod verum nihil addit supra ens nisi aliquid rationis, nempe relationem rationis: quaenam autem sit ista relatio rationis, a S. Doctore determinatum non est nisi per comparationem ad intellectum creatum: manifeste enim ratio *perfectivi* non potest respicere nisi intellectum creatum. Tamen generatim statuere possumus quod id quod verum transcendens addit supra ens, non est nisi respectus quidam (utique rationis) ad intellectum. Quod quidem hoc modo declaratur: Verum simpliciter sumptum consistit in adaequatione intellectus et rei: est ergo *formaliter relatio* quaedam *praedicamentalis* quae est realiter in intellectu qui mensuratur a re, (*rationis* in re quae mensurat intellectum), et iterum realiter in re quae mensuratur ab intellectu (*rationis* autem in intellectu qui mensurat ipsam rem). De hoc *vero* S. Thomas (qui semper loquitur sub maxima analogatione) generatim statuit: " Hoc est quod addit verum supra ens, scilicet conformitatem sive adaequationem rei et intellectus „. — Ex hoc plures inducti sunt ad putandum quod verum addat aliquid *reale* supra ens, et ut salvarent eius tran-

scendentiam, dixerunt quod relatio quae additur non est praedicamentalis sed *transcendentalis*, quae non distinguitur ab entitate rei relatae. (Cf. Remer *Met.* n. 101).

Iterum cum relativa *secundum dici* dicantur illa quae important aliquid absolutum ad quod consequitur relatio ut *scientia,* relativa vero secundum esse ea quae significant ipsum respectum, sicut nomen *pater* etc. quidam dixerunt quod omnia relativa secundum dici sunt relativa relatione transcendentali : ideoque verum, bonum etc. quia important entitatem cum respectu, hoc ipso sunt relativa relatione transcendentali.

Ad hoc autem intelligendum, oportet ostendere 1° quid veniat nomine relatione *transcendentalis* proprie dictae, 2° quomodo se habeat relatio transcendentalis ad relationem *secundum dici,* 3° quomodo se habeat relatio transcendentalis ad relationem *rationis.*

1° Dico ergo quod nomine relatione transcendentalis, prout distinguitur a praedicamentali venit ordo ille mutus quem habent invicem entia incompleta, quae hoc ipso quod incompleta sunt, comprincipium suum exigunt atque appellant : viget enim semper non inter res absolutas atque completas sed inter potentiam et actum. (Cf. P. Billot *De Deo Trino* q. 28. *de relat. disquis.*). — Ad hoc ergo quod duo dicantur referri invicem transcendentaliter non sufficit ut secundum se tota nempe secundum totas entitates proprias, invicem referantur, sed omnino requiritur quod *nulla media* vel connotata relatione ab ipsis distincta referantur : imo in hoc consistit tota ratio distinctionis essentialis inter relationem transcendentalem et praedicamentalem : relatio enim praedicamentalis est accidens realiter distinctum ab absoluto, contra relatio transcendentalis consistit in ipso absoluto incompleto quod *seipso, sine ullo accidente medio,* est alterius absoluti. Sic relatio transcendentalis inter materiam et formam nihil aliud est quam ipsa entitas materiae quae tota quanta est, est formae, et ipsa entitas formae, quae tota quanta est, est materiae. Hinc statim sequitur quod dari potest relatio qua aliquid *secundum se totum* referatur ad aliud, nec tamen relatione transcendentali, quia ad ipsum refertur media relatione, quae hoc ipso quod est distincta ab iis quae referuntur, est relatio praedicamentalis. Sic creaturae secundum se totas referuntur ad Deum tamquam ad princi-

pium secundum rationem causae efficientis atque exemplaris, et ideo secundum se totas habent dependentiam a Deo et quantum ad rationem *entis* et quantum ad rationem *veri,* quae tamen relationes sunt reales et praedicamentales, ut explicite docet S. Th. *De Pot.* q. 7. ad 9m, ubi explicite dicit quod praedictae relationes sunt *aliquid in creatura;* non sunt ergo ipsa creatura sed accidens ipsius.

Ex hoc primo discrimine inter relationem transcendentalem et praedicamentalem, iam sequuntur alia: nempe quod relâtio transcendentalis viget inter entia incompleta, et perdurat etiam cessante termino ad quem est relatio: sicut cessante corpore, semper manet in anima ordo ad corpus et desinente substantia panis in Eucharistia semper manet ordo quantitatis ad ipsam quod non verificatur in relatione *praedicamentali.*

Et ex his licet iam inferre quod impossibile prorsus est quod inter creaturam et Deum vigeat relatio transcendentalis proprie dicta: impossibile est enim quod Deus habere possit rationem entis incompleti et comprincipii, sive quod creatura se habere possit ad Deum tanquam potentia ad actum, et iterum impossibile est quod possit concipi relatio creaturae ad Deum, amoto Deo. Et ideo non potest dici quod verum importet relationem transcendentalem ad intellectum divinum. Nullus enim dicit quod conformatio ad intellectum divinum sit ipsa entitas creaturae, nec quod talis relatio importet aliquam rationem incompletionis ex parte creaturae, nec consequenter, quod manere possit talis relatio si, per impossibile, intellectus divinus intelligeretur auferri.

Breviter: relatio *praedicamentalis* est accidens distinctum ab absoluto: relatio *transcendentalis* est ordo inter actum et potentiam: ordo enim qui viget inter absoluta ipsa, qui non sit relatio, non potest esse nisi ordo potentiae et actus, ut saepissime docet S. Thomas.

Hinc cum impossibile sit quod inter Deum et creaturas vigeat ordo sicut inter actum et potentiam [1]) impossibile quoque

---

[1]) In mysterio Incarnationis et Visionis intuitivae, Deus *terminat* et nullo modo *actuat*, proprie loquendo, creaturam.

est quod inter Deum et creaturam vigeat relatio transcendentalis proprie dicta.

2° Falsum est quod omnia relativa *secundum dici* sint relativa relatione *transcendentali*. Ad hoc enim ut habeatur relatio transcendentalis non sufficit quod importetur aliquid absolutum ad quod sequitur relatio, sed, ut dictum est, requiritur ut relatio ipsa nihil aliud sit quam ipsum absolutum: in hoc enim consistit essentiale discrimen inter relationem praedicamentalem et transcendentalem. Ergo divisio relativorum in relativa *secundum esse* et *secundum dici*, non est nisi divisio relationis praedicamentalis, et nullo modo relationis transcendentalis proprie dictae.

3° Quantum denique ad relationem *rationis*, dicendum quod convenit relatio rationis cum relatione transcendentali in hoc quod nihil reale addat super absolutum: sed relatio transcendentalis proprie non est nisi ipsa entitas absoluta: contra relatio rationis intelligitur *addi* super absolutum. Unde relatio transcendentalis est realis non quidem quasi aliquid realiter additum absoluto, sed quia est ipsum absolutum. Contra relatio *rationis* non identificatur secundum rationem cum absoluto: non enim relatio conformitatis ad intellectum e. g. est ipsa entitas, sed de necessitate intelligitur advenire ipsi, et in sua ratione formali numquam identificatur cum absoluto, quamvis utique non sit nisi aliquid confictum ab intellectu.

Hisce positis iam patet 1° quod relatio veri non potest esse relatio transcendentalis; 2° neque potest dici quod sit relatio realis praedicamentalis quae viget inter Deum et creaturam; sic enim, ut patet, verum non esset transcendens; sed est ipsa entitas creaturae cum respectu quodam *rationis* ad hanc ipsam relationem praedicamentalem rei ad intellectum divinum, (quae relatio in creatura est realis) et etiam ad intellectum creatum (quae est rationis): et consequenter ad terminos ipsarum relationum seu ad intellectum *ut sic*. Ut enim dicit S. Th. " Quandoque intellectus accipit duo ut ordinabilia ad invicem, inter quae non est ordo medius, immo alterum ipsorum essentialiter est ordo, sicut cum dicit relationem accidere subiecto, unde talis relatio relationis ad quodcumque aliud, rationis est tantum „. (De Pot. 7. a. 11.).

Probatur 5ª pars. — *Ideo non est inutilis repetitio: ens verum.* Quia aliquid exprimitur nomine veri quod non exprimitur nomine entis, nempe comparatio ad intellectum modo explicato. (Cf. S. Th. *De Verit.* q. 1. a. 1. ad 1m in contrar.).

Nota. Quae hucusque dicta sunt valent iuxta definitionem veritatis transcendentalis, quae tradita est, quaeque tanquam propria habenda est. Quia tamen auctores diversimode in hac re loquuntur, advertendum est, quod omnis relatio transcendentalis potius quam *ad aliud* dicit *ab alio.* Sed relatio transcendentalis proprie dicta ea est, quae viget inter ea quorum utrumque dicit *ab alio,* nempe inter causas intrinsecas, quae mutuo se appellant atque complent (hoc ipso quod mutuo sunt causae), et quidem *nulla mediante seu consequente relatione praedicamentali,* quae nec importatur, nec connotatur ab ipsis, hoc ipso quod relatio praedicamentalis proprie non viget, nisi inter entia absoluta *completa.* — Haec igitur relatio transcendentalis dividitur contra relationem praedicamentalem, et consequenter contra relationem sive *secundum esse,* sive *secundum dici,* quae non sunt nisi subdivisiones relationis praedicamentalis; et de hac tantum relatione nos locuti sumus in thesi, et hanc prorsus exclusimus atque excludimus a ratione veri transcendentalis.

Sed praeter hanc relationem transcendentalem consideratur a quibusdam, et habetur ut transcendentalis, illa quae viget inter ea, quorum *unum* est *ab alio,* nempe inter causam extrinsecam et effectum, quaeque proinde connotant, praeter absolutum quod dicunt, relationem praedicamentalem.

Sic ergo iuxta Ioannem a S. Thoma (*De relat.* q. XVII.ª a. 2.) relatio transcendentalis illa est, " quae non importat ex principali significato relationem, sed aliquid absolutum, ad quod sequitur, vel sequi potest relatio: dicitur autem transcendentalis quia cum importet aliquid absolutum, hoc ipso vagat per omnia genera „. — Patet, quod hoc modo relatio transcendentalis omnino coincidit cum relatione *secundum dici,* quae " erga terminum se habet potius *fundando relationem*, quam *actu respiciendo „ (ibid.).* Hoc modo dici possunt relativa transcendentaliter ea omnia, quae quocumque modo dicunt aliquid absolutum

involvens dependentiam ab altero, ut causa et effectus, perficiens et perfectibile, etc.; nec est necesse quod talis relatio transcendentalis involvat mutuam dependentiam realem; quamvis enim effectus realiter pendeat a causa, et perfectibile a perficiente, et scientia a scibili, non tamen viceversa. Convenit ergo haec relatio transcendentalis cum prima in hoc, quod utraque importat aliquid absolutum, quod pendet ab alio: sed prima, utpote vigens inter absoluta *incompleta,* non connotat relationem praedicamentalem: secunda vero, utpote vigens inter absoluta *completa,* connotat relationem praedicamentalem [1]). Hoc modo Deus et creatura, actus et obiectum, etc. dicuntur relativa transcendentaliter. — Nunc ergo applicando dico, quod si relatio transcendentalis accipiatur hoc secundo modo, bene dici potest quod verum importet relationem transcendentalem seu secundum dici. Importat enim aliquid absolutum, totam nempe entitatem prouti fundantem relationem realem ad intellectum divinum et rationis ad intellectum humanum: porro ratio absoluti prouti fundantis seu connotantis relationem praedicamentalem, est praecise id quod requiritur ad relationem transcendentalem secundo modo acceptam, seu ad relationem *secundum dici.* — Tamen sedulo notandum, quod adhuc id quod *addit* verum supra supra ens non est nisi relatio *rationis.* Nam licet relatio transcendentalis dicto modo accepta importet totam entitatem cum respectu ad relationem praedicamentalem, tamen totum id quod habetur absoluti in hac ratione, iam totum importabatur per ens; ergo id quod *addit* verum transcendens (nempe praedicta relatio transcendentalis) supra ens, non est nisi *respectus* ad relationem fundatam, qui respectus non est nisi relatio rationis.

Dicere ergo quod verum *importat* relationem transcendentalem seu secundum dici, idem omnino est ac dicere quod verum *addit* supra ens relationem rationis. Ubi adverte quod non dico quod relatio *transcendentalis* idem sit ac relatio *rationis,* sed dico quod id quod praedicta relatio transcendentalis *addit* supra ens, non est nisi relatio rationis.

---

[1]) Quod ista relatio transcendentalis connotet relationem praedicamentalem, patet vel ex hoc solo, quod S. Th. passim docet *scientiam* importare relationem *realem* ad scibile, non viceversa.

Adverte denique quod nullo modo est dicendum, quod *relatio rationis,* quam verum addit supra ens, *fundet* relationem realem praedicamentalem; hoc enim omnino est absonum. Sed dicendum quod ratio fundamenti relationis praedicamentalis, quae importatur a vero, nullam realitatem dicit, praeter eam quae importatur per ens; et ideo supra ens non addit nisi relationem rationis. Hoc autem necessario debet dici, si cum S. Th. admittitur quod verum addit supra ens relationem *rationis, tantum.*

Corollarium. — Ex his quae dicta sunt, patet quod a pluribus non satis distincta est ratio *veri simpliciter dicta,* a ratione *veri transcendentalis* quae tamen sunt rationes simpliciter diversae, quamvis conveniant analogice. Ratio ergo veri transcendentalis neque est ipsa relatio creaturae ad intellectum divinum, neque est ipsa essentia creaturae cum hac relatione, neque proprie loquendo *dddit* supra ens rationem fundamenti talis relationis [1]) sed est ipsa essentia creaturae prouti in ipsa consideratur respectus *rationis* ad intellectum. Ex hoc ipso enim quod quaelibet creatura habet relationem realem ad intellectum divinum (et consequenter *rationis* ad intellectum humanum), intellectus potest considerare rem ipsam non solum absolute (quod facit dum considerat rationem *entis* vel *rei*), sed cum respectu ad has ipsas relationes (ad intellectum divinum vel creatum), et consequenter ad terminos ipsorum nempe ad *intellectum* ut

---

[1]) Dicimus quod *proprie loquendo,* verum transcendens *non addit* supra ens rationem fundamenti relationis realis ad Deum et rationis ad intellectum creatum. Quamvis enim dicta locutio sub aliquo sensu sustineri possit (et nos quoque ea usi simus in Logica [n. 664 III]), tamen aliqua videtur afferre inconvenientia: nam ratio ista *fundamenti* praedictarum relationum, quamvis dicatur et sit *realiter indi stincta* ab ente, videtur tamen ratio *realis:* porro vidimus quod S. Th. negat quod transcendentia aliquid addant *reale* (non solum *realiter*) supra ens; quod si dicatur quod illa ratio in quantum est realis, iam importatur per ens, et ideo verum non *addit* supra ens aliquid reale, statim sequitur quod nos dicimus, nempe quod ratio fundamenti proprie non additur supra ens: id autem quod additur est *unice relatio rationis,* ut dicit S. Thomas.

sic, et iste *respectus rationis* est id quod verum transcendens addit supra ens.

Ut autem hoc ulterius intelligatur, sufficiat advertere quod verum transcendens non dicit nisi ens cum ordine ad intellectum *ut sic,* non vero ad talem vel talem intellectum, sicut bonum transcendens non dicit nisi ens cum ordine ad appetitum *ut sic* (non vero ad talem vel talem). Quamvis autem contingat quod relatio quaedam ad aliquem intellectum sit realis et praedicamentalis, non ista relatio importatur per verum transcendentalem, sed relatio ad intellectum ut sic, quae relatio semper est *rationis,* hoc ipso quod non est ad aliquod obiectum *reale determinatum,* sed ad obiectum indeterminatum et abstractum: nulla autem relatio realis potest esse ad aliquod obiectum indeterminatum. Ubi adverte quod quamvis non sufficiat ad habendum ens rationis quod aliquid abstrahatur a modo essendi in rerum natura (animal enim non est ens rationis, quamvis non existat *ut sic* in rerum natura), tamen ut relatio non sit realis et ideo evadat ens rationis, sufficit ut terminus ipsius accipiatur ab intellectu aliter ac est in natura: totum enim esse relationis est esse *ad aliud:* si ergo hoc *aliud* non est reale in ea ratione obiectiva qua accipitur ab intellectu, iam impossibile est quod relatio ad ipsum qua tale, sit *realis.* Porro relatio ad intellectum *ut sic indeterminate sumptum,* non datur in rerum natura, quamvis detur relatio realis ad intellectum divinum: ergo praedicta relatio tali modo accepta est *rationis tantum.* Patet ergo quomodo verum non addat supra ens nisi relationem rationis.

Breviter: " Sicut bonum habet rationem appetibilis (nempe respectum ad appetitum) ita verum habet ordinem ad cognitionem (respectum nempe ad intellectum). Sed unumquodque in quantum habet de esse, in tantum est cognoscibile (respectus enim ad intellectum consequitur rationem essentialem alicuius, sicut respectus ad appetitum consequitur eius ultimum actum). Et ideo sicut bonum convertitur cum ente, ita et verum. Sed tamen sicut bonum addit *rationem appetibilis* supra ens, ita verum comparationem ad intellectum „ (intelligibilitatem nempe seu conformabilitatem intellectui latissime sumptam). Quod deinde ista conformatio ad intellectum de facto detur per rela-

tionem realem, vel per rationem, hoc est praeter rationem comparationis ad intellectum *ut sic,* hoc ipso quod consequitur comparationem ad intellectum *divinum* vel *creatum.* Unde verum transcendentale non addit nisi relationem rationis, quamvis *verum simpliciter dictum,* semper importat aliquam relationem realem et praedicamentalem. Eodem modo: quamvis ratio *appetibilitatis* includat in creatis dependentiam a primo appetibili, tanquam a causa finali, non hoc tamen importatur per *bonum transcendens* [1]).

308. Obiectiones. — Ob. 1ª. Quod est in aliquo determinato praedicamento se habet ex additione ad ens secundum

---

[1]) *Aliis verbis:* Si oculus meus haberet talem vim ut videndo produceret ipsum obiectum, manifeste obiectum haberet relationem quamdam realem dependentiae a meo oculo, quam non haberet per comparationem ad ceteros oculos: quod si relatio ista obiecti ad oculum meum dicatur *visibilitas,* patet quod talis visibilitas esset relatio omnino diversa ab illa *visibilitate,* nempe ab illa relatione rationis quam haberet idem obiectum relate ad ceteros oculos, a quibus non pendet in esse: convenirent tamen analogice tales relationes in hoc nempe quod utraque exprimit determinatum quemdam modum se habendi ad oculum. Patet ergo quod si quis nomine *visibilitatis* intelligeret quemdam modum se habendi ad oculum, per hoc non intelligeret determinate neque relationem realem quam habet obiectum ad oculum meum, neque relationem rationis quam habet ad oculos aliorum, sed indeterminate *relationem seu respectum* quemdam conciperet in ipso obiecto ad oculum, quae relatio, hoc ipso quod esset sic indeterminata, non esset nisi *rationis.* — Porro hoc est quod exprimit nomen *veri* supra ens: *respectum* nempe ad intellectum indeterminate, quod posset dici *cognoscibilitas* seu *intelligibilitas,* ita ut verum definiatur *ens intelligibile,* sicut bonum *ens appetibile:* et talis intelligibilitas seu appetibilitas non diceret, formaliter loquendo, neque relationem entis ad intellectum vel voluntatem divinam, neque relationem eiusdem ad intellectum vel voluntatem creatam, sed indeterminate relationem ad intellectum seu voluntatem. — Et hic notandum quod quamvis *in re* praecipuus ordo attendatur ad intellectum et voluntatem divinam, tamen cum impositio nominum sequatur cognitionem nostram, nominamus verum ens *intelligibile,* bonum ens *appetibile,* quae nomina magis appropriantur relationi quam habent res ad intellectum vel voluntatem creatam quam ad intellectum vel voluntatem divinam: non enim habemus *proprium nomen* ad significandam habitudinem specialissimam quam habent res ad intellectum vel voluntatem divinam: hinc non mirum esse debet quod S. Thomas dicit bonum *ens appetibile,* verum autem *ens cognoscibile* seu *intelligibile,* quae exprimere videntur relationem rei ad facultates nostras.

rem et non tantum secundum rationem. Sed comparatio quam significat verum, importat relationem, quae est unum ex praedicamentis. Ergo verum addit supra ens secundum rem.

Resp. *C.M.* — *D.m.* comparatio quam significat verum *simpliciter,* importat relationem " quae est in genere determinato „ (*De Verit.* q. 21. a. 1. ad 3m) *C.m.:* comparatio quam significat verum *transcendens N.m.* (importat enim relationem *rationis* quae " circuire potest omne ens „ *(ibid.).* — *D.C.:* verum *simpliciter* addit supra ens secundum rem *C.C.:* verum transcendens *N.C.*

Ob. 2a. Conceditur quod verum transcendens addit supra ens *respectum ad intellectum.* Atqui talis respectus ad intellectum, si agitur de intellecto divino, est *realis* et *realiter distinctus* ab entitate rei. Ergo etiam verum transcendens addit supra ens aliquid *reale* et *realiter distinctum* ab ipso.

Resp. *D.M.* Verum transcendens addit supra ens *respectum ad intellectum indeterminate* sumptum *C.M.* addit supra ens respectum ad intellectum divinum determinate *N.M.* — *Cdm.* Respectus ad intellectum divinum est relatio praedicamentalis *realis* et *realiter* distincta ab entitate rei *C.m.;* respectus ad intellectum ut sic *N.m.* — *N.C.* — Hoc ipso quod *respectus ad intellectum* qui ponitur ab intellectu nostro in ente ad habendam rationem veri, est respectus ad intellectum *ut sic,* non vero ad *hunc* vel ad *illum* (ad divinum nempe vel creatum) iam patet quod non potest esse aliquid *reale.* Talis autem respectus ad intellectum seu relatio rationis potest dici, secundum diversa, et antecedere et consequi relationem praedicamentalem in qua consistit veritas simpliciter dicta. In quantum enim ponitur ab intellectu in ipsa simplici entitate rei, antecedit et relationem realem ipsius rei ad intellectum divinum, et relationem *rationis* ad intellectum creatum: in quantum vero non ponitur ab intellectu in re nisi praeintellecta ipsa veritate simpliciter dicta, ad quam habet ordinem, consequitur ipsam.

Ob. 3a. Si relatio realis creaturae ad intellectum divinum, invenitur in omnibus omnino creaturis, bene dici poterit aliquid transcendens, vel saltem verum transcendens dici poterit per ordinem ad illam.

Resp. Transcendens dici debet id quod consequitur omne ens et *convertitūr cum ipso:* porro dicta relatio, hoc ipso quod est distincta realiter ab ipsa essentia, non potest dici convertibilis cum ipsa. — Ratio autem essentiae creatae prout importantis et connotantis dictam relationem, quamvis non sit ratio realiter addita enti, est tamen ratio *realis,* et hoc sufficit ut secundum S. Thomam non possit esse transcendens: contrahit nempe ens saltem ad genus entis *creati* [1]).

Ob. 4ª. Si id quod addunt verum et bonum supra ens non est nisi ens rationis, sequetur tandem quod res erunt verae et bonae, tantum secundum nostrum modum concipiendi non vero in seipsis. Atqui hoc est manifeste falsum. Ergo falsum est quod verum et bonum non addant supra ens nisi relationem rationis.

Resp. *D.M.* Si id quod addunt verum et bonum supra ens, non est nisi ens rationis sequetur quod tantum consequenter ad mentis considerationem res consequentur illos respectus qui importantur per *verum* et *bonum C.S.M.;* tantum consequenter ad mentis considerationem res consequuntur quidquid realitatis importatur per *verum* et *bonum N.S.M. — Cdm. — N.C.* — Ut dicit S. Th. verum et bonum neque dicunt merum respectum, neque meram realitatem sed dicunt *realitatem cum respectu* [2]). Quidquid ergo realitatis importatur per nomen verum et bonum seu, ut alii dicunt per relationem trascendentalem *importatam* a

---

[1]) Nota tamen quod si quis denominaret verum *secundum quid transcendens* ipsum ens creatum per ordinem ad intellectum divinum, seu quatenus importat relationem realem ad intellectum divinum, substantialiter idem diceret. Melius tamen videtur retinendum nomen veri *transcendentis,* pro eo quod dicit ordinem seu respectum ad intellectum *ut sic,* et ideo non addit supra ens nisi relationem rationis: hoc modo enim, vere est transcendens et analogabile ipsi enti divino.

[2]) Ad verum *simpliciter dictum* pertinet secundum S. Th., ipsum verum *formale:* non dicitur tamen verum formale nisi secundum quod existit in intellectu, ut consideravimus in Logica: relatio autem realis rerum ad intellectum divinum convenit cum veritate formali in hoc quod est in praedicamento relationis et quidem realis, sed differt in hoc quod non est ordinis intellectivi, *formaliter ut talis:* bene tamen dicit potest esse *verum simpliciter dictum* et toto caelo distinguitur a *vero transcendentali.*

dictis rationibus, (quae realitas est ipsissima realitas entis) profecto est independens a mentis nostrae consideratione: respectus autem rationis qui in iisdem nominibus importatur seu quem relatio transcendentalis *addit* supra ens, dependet a mentis consideratione, ut patet.

Ob. 5ª. *Ipse respectus ad intellectum* est in vero vel bono independenter a quacumque mentis consideratione. Ergo non potest esse ens rationis.

Resp. *D.A.* Independenter a mentis consideratione habent res relationem realem ad intellectum divinum, quae tamen non importatur per verum et bonum transcendens *C.A.:* habent illum respectum ad intellectum, qui importatur per verum transcendens *N.A.* — *N.C.* — Solutio patet ex his quae pluries dicta sunt.

Ob. 6ª. Quae se habent secundum prius et posterius non videntur converti. Sed verum videtur prius esse quam ens; nam non intelligitur ens nisi sub ratione veri. Ergo videtur quod non sint convertibilia.

Resp. *D.M.* Quae se habent secundum prius et posterius *secundum rem, C.M.*, secundum rationem, *N.M.* - *Ctm.* - *D. rat. ad.:* ens non intelligitur quin ratio veri subsequatur *C.* ens non potest apprehendi nisi apprehendatur ratio veri *N.* - *N.C.* — S. Th. 1. p. q. XVI. a. 3. ad 3ᵐ ait: " Cum dicitur quod ens non potest apprehendi sine ratione veri, hoc potest dupliciter intelligi. Uno modo ita quod non apprehendatur ens, nisi ratio veri consequatur apprehensionem entis; et sic locutio habet veritatem. Alio modo posset sic intelligi, quod ens non posset apprehendi, nisi apprehenderetur ratio veri, et hoc falsum est. Sed verum non potest apprehendi, nisi apprehendatur ratio entis; quia ens cadit in ratione veri. Et est simile sicut si comparemus intelligibile ad ens. Non enim potest intelligi ens, quin ens sit intelligibile. Sed tamen potest intelligi ens, ita quod non intelligatur eius intelligibilitas. Et similiter ens intellectum est verum; non tamen intelligendo ens, intelligitur verum „. *Videas* alias difficultates apud S. Thomam. *De Verit* q. 1. a. 1. ad 3ᵐ, 4ᵐ, 5ᵐ, 6ᵐ, 7ᵐ, et ad 1ᵐ, 2ᵐ, 3ᵐ, 4ᵐ, 5ᵐ, in contrarium.

309. Nota. Hoc modo facile patet quomodo bene componantur omnes loci S. Th. qui prima fronte videntur contrarii,

Quando enim dicit quod *verum addit supra ens adaequationem* etc..... quod *verum nihil aliud* est *quam entitas rei adaequata intellectui*..... quod res naturales dicuntur *verae in quantum assequuntur similitudinem specierum quae sunt in mente divina*, etc, manifeste loquitur de ipsis rebus in quantum formaliter subiiciuntur relationi praedicamentali in qua consistit proprie ratio *veri simpliciter dicti* [1]). Quando vero dicit quod verum non addit supra ens nisi *respectum sive relationem rationis*, quod *ab eo non differt nisi ratione*..... quod *convertitur cum ente propria conversione*, tunc et *tunc tantum* loquitur de vero *transcendentali*.

QUAESTIO SEPTIMA.

De bono transcendentali.

THESIS I.ª — 1° Bonum et ens sunt idem secundum rem; 2° sed differunt secundum rationem. (Cf. S. Th. 1. p. q. 5. a. 1.; *De Verit* q. 21. a. 1-2-3).

310. Praenotandum. — Ad pleniorem intelligentiam eorum quae dicta sunt, et dicentur de rationibus quae addunt transcendentia supra ens, iuvat audire quae habet S. Th. *De Verit.* q. 21. a. 6. " Sciendum est quod aliquod nomen potest respectum importare dupliciter. Uno modo sic quod nomen imponatur ad significandum respectum, sicut hoc nomen *pater*, vel filius, aut paternitas ipsa. Quaedam vero nomina dicuntur importare respectum quia significant rem alicuius generis, quam *comitatur* respectus, quamvis nomen non sit impositum ad ipsum respectum significandum, sicut nomen scientiae est impositum ad significandum qualitatem quamdam, quam sequitur quidam respectus, non autem ad significandum respectum ipsum.

---

[1]) Haec quandoque vocatur ab ipso *veritas rei:* et res prouti subiectae tali relationi, possunt vocari verae veritate *transcendentali secundum quid* dicta, ut dictum est: quia licet comparatio rerum ad intellectum divinum sit veritas *primaria*, tamen non hoc importatur per verum *transcendens*, quod dicit aliquid communius et analogatur ad ipsum Deum.

Et per hunc modum ratio boni respectum implicat: non quia ipsum nomen boni significet ipsum respectum solum, sed quia significat id ad quod sequitur respectus cum respectu ipso „.

311. Probatur 1ª pars. — Nam ratio boni in hoc consistit, quod sit aliquid appetibile; unde Philosophus (1. Eth. c. 1) dicit quod " bonum est quod omnia appetunt „ h. e. quidquid appetitur a quibuscumque, appetitur sub ratione boni. Manifestum est autem quod unumquodque est appetibile secundum quod est perfectum, nam omnia appetunt suam perfectionem quae non potest esse nisi ab eo quod est aliquo modo perfectum. Atqui in tantum unumquodque est perfectum, in quantum est in actu; solus enim actus perfectio est. Ergo manifestum est quod in tantum est aliquid bonum in quantum est ens; esse enim est actualitas omnis rei, ut ex superioribus patet. Ergo manifestum est quod bonum et ens sunt idem secundum rem.

Probatur 2ª pars. — Bonum supra ens dicit rationem appetibilis. Atqui ratio appetibilis sicut est in omnibus aliis, quae se habent ut mensura et mensuratum, vel perfectivum et perfectibile, non est nisi relatio rationis tantum. Ergo bonum differt ab ente et differt *ratione.*

312. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** S. Thomas 1. p. q. 16. a. 3. ait " bonum addit rationem appetibilis supra ens „. Sed appetibilitas est aliquid. Ergo bonum addit supra ens aliquid. Ergo bonum et ens non sunt idem secundum rem.

Resp. *C.M.* — *D.m.* Appetibilitas est aliquid quod nihil importat praeter ens nisi relationem *rationis C.m.:* importat aliquid reale supra id quod importatur per ens *N.m.* — *N.C.*

Ob. 2ª. S. Thomas *De Verit.* q. 1. a. 1. ait quod " convenientiam entis ad appetitum exprimit hoc nomen bonum „. Sed convenientia est in praedicamento *ad aliquid.* Ergo bonum addit aliquid secundum rem supra ens.

Resp. *C.t. et D.S.* Et haec convenientia entis non est nisi appetibilitas entis, quae est relatio rationis tantum *C.S.* et haec convenientia entis ad appetitum importat relationem realem praedicamentalem. *N.S.* — *C.m.* — *N.C.*

Ob. 3ª. Non potest intelligi ratio boni sine habitudine ad

primum bonum ; atqui habitudo ista est realis in creatura. Ergo ratio boni addit supra ens aliquid reale.

Resp. *D.M.* Idest habitudo ad primam causam realiter habetur in eo quod dicitur bonum *C.M.:* ipsa habitudo ad primam causam est id quod exprimitur per *bonum* et additur super ens *N.M.* — *C.m.* — *D.C.* nihil potest esse bonum nisi habeat habitudinem realem ad primam causam finalem ; sicut nihil potest esse verum quin habeat relationem realem conformitatis ad intellectum divinum tamquam ad principium mensurans *C.C.:* ipsa relatio ad Deum exprimitur et separadditur super ens, dum accipitur ut *bonum* sive ut verum *N.C.* — " Sicut in aliis generibus causarum, habitudo secundae causae dependet ex habitudine causae primae : primae vero causae habitudo non dependet ex aliquo alio : ita est in causis finalibus, quia secundi fines participant habitudinem causae finalis ex ordine ad ultimum finem, ipse autem ultimus finis habet hanc habitudinem ex seipso : et inde est quod essentia Dei, quae est ultimus finis rerum, sufficit ad hoc quod per eam dicatur Deus bonus : sed essentia creaturae posita non dicitur res bona nisi ex habitudine ad Deum, ex qua habet rationem causae finalis „ (*De Verit.* q. 21. a. 1 ad 1[m]). Hoc autem exprimitur dum dicitur quod creatura non est *bona per essentiam:* per hoc enim exprimitur quod ipsa est aliud quid quam habitudo ad Deum. Sed sicut dictum est de *vero* transcendentali, ita proportionaliter hic dicendum de bono : bonum enim transcendens non significat nisi ipsum ens cum habitudine seu cum respectu *rationis* ad appetitum, sicut verum non significat nisi ipsum ens cum respectu *rationis* ad intellectum, quomodocumque tales respectus ponantur, et quidquid sit illud quod necesse est praeintelligere ut respectus illi rationis in ente ponantur.

Ob. 4[a]. Bonum dicit rationem perfecti, quod est appetibile. Sed non omne ens est perfectum. Ergo bonum et ens non convertuntur.

Resp. *D.M.* Bonum dicit rationem perfecti vel simpliciter vel secundum quid, *C.M.* dicit semper rationem perfecti simpliciter dictam, *Sbd.* Bonum simpliciter dictum, *C.M.* bonum secundum quid dictum, *N.M.* — *D.m.* non omne ens dicit perfectionem simpliciter dictam, *C.m.* quasi possit esse aliquod

ens, quod sit privatum omni perfectione seu actualitate, *N.m.* -- *D.C.* bonum simpliciter non convertitur cum ente simpliciter, et bonum secundum quid non convertitur cum ente secundum quid, *C.C.* bonum non convertitur cum ente quasi possit esse aliquod bonum, quod non sit ens, vel aliquod ens quod non sit bonum, *N.C.* - Ut iam notavimus agendo de *uno,* licet bonum et unum convertantur cum ente, non tamen sequitur quod *non unum simpliciter* sit *non ens* simpliciter, et eodem modo quod bonum simpliciter sit ens simpliciter: nam, ut dicit S. Th. 1. p. q. 5. ad 1m " cum ens dicat aliquid proprie esse in actu: actus autem proprie ordinem habeat ad potentiam; secundum hoc simpliciter aliquid dicitur ens, secundum quod primo aliquid discernitur ab eo quod est in potentia tantum; hoc autem est esse substantiale rei uniuscuiusque; unde per suum esse substantiale dicitur unumquodque ens simpliciter: per actus autem superadditos dicitur aliquid esse secundum quid, sicut esse album significat esse secundum quid. Non enim esse album aufert esse in potentia simpliciter, cum adveniat rei iam praeexistenti in actu. Sed bonum dicit rationem perfecti, quod est appetibile; et per consequens dicit rationem ultimi: unde id quod est ultimo perfectum, dicitur bonum simpliciter: quod autem non habet ultimam perfectionem, quam debet habere, quamvis habeat aliquam perfectionem, in quantum est actu, non tamen dicitur perfectum simpliciter, nec bonum simpliciter, sed secundum quid. Sic ergo secundum primum esse, quod est substantiale, dicitur aliquid ens simpliciter, et bonum secundum quid, idest in quantum est ens: secundum vero ultimum actum dicitur aliquid ens secundum quid et bonum simpliciter. Sic ergo quod dicit Boet (loc. cit. in arg.) quod in rebus aliud est, quod sunt bona, et aliud, quod sunt, referendum est ad esse bonum simpliciter, et ad esse simpliciter, quia secundum primum actum est aliquid ens simpliciter, et secundum ultimum, bonum simpliciter: et tamen secundum primum actum est quodammodo bonum, et secundum ultimum actum est quodammodo ens „.

THESIS II.a -- 1o **Ens secundum rationem est prius quam bonum** (S. Th. 1. p. q. 5. a. 2.): 2o **verum quoque absolute loquendo est prius ratione quam bonum.**

313. Probatur 1ª pars. — *Ens secundum rationem est prius quam bonum.* — Nam ratio significata per nomen est id quod concipit intellectus de re, et significat illud per vocem. Ergo illud est prius secundum rationem quod prius cadit in conceptione intellectus. Primo autem in conceptione intellectus cadit ens; quia secundum hoc unumquodque cognoscibile est in quantum est in actu. Unde ens est proprium obiectum intellectus, et sic est primum intelligibile, sicut sonus est primum audibile. Ita ergo secundum rationem prius est ens quam bonum.

Probatur 2ª pars. — *Verum absolute loquendo est prius ratione quam bonum.* — 1º Quia verum propinquius se habet ad ens, quod est prius quam bonum, ut dictum est supra. Nam verum respicit ipsum esse simpliciter et immediate (nempe secundum rationem speciei seu essentiae, *De Verit.* q. 21. a. 1.); ratio autem boni consequitur esse secundum quod est aliquo modo perfectum (nempe secundum esse quod habet in rerum natura, *ibid*), sic enim appetibile est.

2º Quia cognitio *naturaliter* praecedit appetitum, hinc axiomata: " nihil volitum, quin praecognitum „, " ignorati nulla cupido „. Unde cum verum respiciat cognitionem, bonum autem appetitum, prius erit verum quam bonum secundum rationem.

3º Prius est esse simpliciter quam esse secundum quid. — Sed verum sequitur ad esse simpliciter, bonum simpliciter ad esse secundum quid. — Ergo verum secundum rationem est prius quam bonum.

4º *Secundum hoc est aliquid prius ratione quod prius cadit in intellectu;* quia ratio, ut dictum est, est id quod apprehendit intellectus de significatione alicuius nominis. Intellectus autem per prius apprehendit ipsum ens, et secundario apprehendit *se intelligere ens,* et tertio apprehendit *se appetere ens.* Ergo primo est ratio entis, secundo ratio veri, tertio ratio boni. — Cfr. S. Th. 1. p. q. 16. a. 4. ad 2m.

314. Obiectiones tum pro hac thesi, tum pro sequentibus, vide immediate in S. Th. 1. p. q. 5. a. 2.; q. 16. a. 4.; nihil enim melius fieri potest.

THESIS III.ª — Omne ens, in quantum est ens, est bonum. (Cf. S. Th. 1. p. q. 5. a. 3.).

315. Probatur. — Nam omne ens, in quantum est ens, est in actu, et quodammodo perfectum, quia *omnis actus perfectio quaedam est.* Sed perfectum habet rationem appetibilis et boni, ut ex dictis supra patet. Ergo sequitur omne ens in quantum huiusmodi, hoc est in quantum habet de actu, seu de perfectione, bonum esse.

Nota. Videas difficultates apud. S. Th. *ibidem.*

THESIS IV.ª — Bonum habet rationem causae finalis. (Cf. S. Th. 1ª p. q. 5. a. 4.).

316. Probatur. — " Cum bonum sit, quod omnia appetunt, hoc autem habeat rationem finis, manifestum est, quod *bonum rationem finis importat:* sed tamen *ratio boni praesupponit rationem causae efficientis, et rationem causae formalis.* Videmus enim, quod id, quod est primum in causando, ultimum est in causato; ignis enim prius calefacit, quam formam ignis inducat: cum tamen calor in igne consequatur formam substantialem; in causando autem primo invenitur bonum, et finis, qui movet efficientem: secundo actio efficientis movens ad formam: tertio advenit forma. Unde e converso esse oportet in causato, quod primum sit ipsa forma, per quam est ens: secundo consideratur in ea virtus effectiva, secundum quod est perfectum in esse; quia unumquodque tunc perfectum est, quando potest sibi simile facere, ut dicit Philosophus in 4 *Meteororum* (et 2. *de Anima tex.* 34.): tertio consequitur ratio boni, per quam in ente perfectio fundatur „.

317. Obiectio. — Bonum laudatur ut pulchrum. Sed pulchrum importat rationem causae formalis. Ergo bonum habet rationem causae formalis.

Resp. *D.M.* Bonum laudatur ut pulchrum, quia sunt idem subiecto ex eo quod super eamdem rem fundantur, scilicet super formam *C.M.* — quasi sit eadem ratio boni et pulchri *N.M.* — *C.m.* — *D.c.* si pulchrum et bonum non differunt ratione *C.c.* — si differunt *N.c.* — Videas explicationem apud S. Th. 1. p. q. 5. a. 4 ad 1ᵐ, ubi et ceteras difficultates videbis.

THESIS V.ª — Ratio boni, secundum quod consistit in perfecto esse, consistit etiam in modo, specie et ordine. (Cf. S. Th. 1. p. q. 5. a. 5.).

318. Probatur. — Unumquodque dicitur bonum in quantum est perfectum, sic enim est appetibile, ut supra dictum est. Perfectum autem dicitur cui nihil deest secundum modum suae perfectionis. Cum autem unumquodque sit id quod est per suam formam, forma autem praesupponat quaedam, et quaedam ad ipsam ex necessitate consequantur; ad hoc quod sit perfectum et bonum, necesse est quod et formam habeat, et ea quae praeexistunt, et ea quae consequuntur ad ipsam. Porro ad formam, praeexigitur determinatio, sive commensuratio principiorum seu materialium seu efficientium ipsam, et hoc significatur *per modum,* unde dicitur quod mensura modum praefigit. Ipsa autem forma significatur per *speciem,* quia per formam in specie unumquodque constituitur. Ad formam consequitur inclinatio ad finem, aut ad actionem, aut ad aliquid huiusmodi, quia unumquodque in quantum est in actu agit et tendit in id quod sibi convenit secundum suam formam, et hoc pertinet ad pondus et *ordinem.* Ergo ratio boni, secundum quod consistit in perfecto esse, consistit etiam in modo, specie, et ordine.

THESIS VI.ª — 1º Bonum in quantum est idem subiecto cum ente dividitur per decem praedicamenta; 2º secundum vero propriam rationem dividitur, non per oppositas res, sed per oppositas rationes — in bonum honestum, delectabile et utile; 3º ut analogum in propria analogata. (Cfr. S. Th. 1. p. q. 5. a. 6.).

319. Probatur 1ª pars. — *Bonum in quantum est idem subiecto cum ente dividitur per decem praedicamenta.* — Nam ens, ut dictum est dividitur in decem praedicamenta. Sed bonum est idem subiecto cum ente, unde bonum et ens convertuntur. Ergo etc. (Cfr. S. Th. ibid. ad 1m).

Probatur 2ª pars. — *...non per oppositas res, sed per oppositas rationes in bonum honestum, delectabile et utile.* — Nam bonum est aliquid in quantum est appetibile, et terminus appetitus. Cuius quidem motus terminatio considerari potest ex consideratione motus corporalis. Terminatur autem motus corporalis *naturalis* simpliciter quidem ad ultimum, secundum quid etiam ad medium per quod itur ad ultimum quod terminat motum, et dicitur aliquid terminus motus, in quantum aliquam partem

motus terminat. Id autem quod est ultimus terminus motus, potest accipi dupliciter: vel ipsa res in quam tenditur utpote locus vel forma; vel quies in re illa. Sic ergo in motu appetitus, id quod est appetibile, terminans motum appetitus secundum quid, ut medium per quod tenditur in aliud, vocatur *utile;* id autem quod appetitur ut ultimum terminans totaliter motum appetitus, sicut *quaedam* res, in quam per se appetitus tendit, vocatur *honestum,* quia honestum dicitur quod *per se* desideratur; id autem quod terminat motum appetitus, ut quies in re desiderata, est *delectabile.* Tamen haec divisio non est per oppositas res, sed per oppositas rationes; nam unum non excludit aliud, et tamen unum excludere deberet aliud si esset divisio per oppositas res. Ergo etc. (*ibid.* ad 2m).

Probatur 3a pars - *...ut analogum in analogata.* - Ratio quae dividitur in suis inferioribus, (de quibus praedicatur) secundum prius et posterius non est ratio univoca, sed analoga ut in Log. Min. [272] ostensum est. Atqui bonum non dividitur in ista tria, sicut univocum aequaliter de his praedicatum, sed praedicatur secundum prius et posterius: nam prius praedicatur de honesto, secundario de delectabili, tertio de utili. Ergo. (Cf. S. Th. *ibid.* ad 3m).

QUAESTIO OCTAVA.

De Malo.

320. Praenotandum. — Quamvis malum non sit transcendens, tamen occasione *boni,* aliquid innuendum videtur de malo quod ei opponitur; amplior autem tractatio de malo suis locis relinquitur.

THESIS I.a — Malum non significat aliquod esse aut aliquam naturam, sed meram absentiam boni.

321. Probatur. — Nam esse et perfectio naturae habent rationem appetibilis et ideo boni. " Unum oppositorum cognoscitur per alterum, sicut per lucem tenebrae. Unde et quid sit

malum, oportet ex ratione boni accipere. Diximus autem supra (q. 5. art. I. et seqq.) quod bonum est omne id, quod est appetibile: et sic, cum omnis natura appetat suum esse, et suam perfectionem, necesse est dicere, quod esse, et perfectio cuiuscumque naturae rationem habeat bonitatis. Unde non potest esse, quod malum significet quoddam esse, aut quamdam formam, seu naturam. Relinquitur ergo, quod nomine tali significetur quaedam absentia boni. Et pro tanto dicitur, quod malum neque est existens, nec bonum. Quia cum ens, inquantum huiusmodi, sit bonum, eadem est remotio utrorumque „. (1. q. 48. a. 1. c.).

322. Obiectiones. — Ob. 1ª. Omnis differentia constitutiva alicuius speciei est natura quaedam. Atqui malum est differentia constitutiva in moralibus. Ergo malum significat naturam quamdam.

Resp. *C.M.* — *D.m.;* malum est differentia constitutiva speciei ratione boni adiuncti *C.m.;* ratione sui *N.m.* — *D.C. eod. modo.* — " Bonum et malum non sunt differentiae constitutivae, nisi in moralibus, quae recipiunt speciem ex fine, qui est obiectum voluntatis, a quo moralia dependent. Et quia bonum habet rationem finis, ideo bonum, et malum sunt differentiae specificae in moralibus: bonum per se, sed malum, inquantum est remotio debiti finis. Nec tamen remotio debiti finis constituit speciem in moralibus, nisi secundum quod adiungitur fini indebito. Sicut neque in naturalibus invenitur privatio formae substantialis, nisi adiuncta alteri formae. Sic igitur malum, quod est differentia constitutiva in moralibus, est quoddam bonum adiunctum privationi alterius boni. Sicut finis intemperati est non quidem carere bono rationis; sed delectabile sensus absque ordine rationis. Unde malum, inquantum malum, non est differentia constitutiva, sed ratione boni adiuncti „ (ib. ad 2ᵐ).

Ob. 2ª. Utrumque contrariorum est natura quaedam. Sed malum et bonum non opponuntur ut privatio et habitus, sed ut contraria (ut dicit Phil.), quia inter bonum et malum est aliquid medium. Ergo malum significat naturam.

Resp. *C.M.* — *N.m.* — *D. rat. ad.* In moralibus *C.* sim-

pliciter *N.* — Philosophus loquitur de bono et malo, secundum quod inveniuntur in moralibus. Sic enim inter bonum et malum invenitur medium, prout bonum dicitur, quod est ordinatum, malum autem, quod non solum est deordinatum sed etiam nocivum alteri. Unde dicit Philosophus in 4 Ethic. (cap. I. cir. med.) quod *prodigus vanus quidem est, sed non malus.* Ab hoc etiam malo, quod est secundum morem, contingit fieri reditum ad bonum, non autem ex quocumque malo : non enim ex caecitate fit reditus ad visionem, cum autem caecitas sit malum quoddam.

Ob. 3ª. Quod non est non agit. Sed malum agit quia corrumpit bonum. Ergo est quoddam ens.

Resp. *D.M.* Quod non est non agit formaliter *N.M.* finaliter et efficienter *Sbd.* ratione sui *C.M.* ratione adiuncti *N.M.* — *Cdm.* — *N.C.* — Aliquid agere dicitur tripliciter. *Uno modo* formaliter, eo modo loquendi, quo dicitur albedo facere album. Et sic malum etiam ratione ipsius privationis dicitur corrumpere bonum; quia est ipsa corruptio, vel privatio boni. *Alio modo* dicitur aliquid agere effective; sicut pictor dicitur facere album parietem. *Tertio modo* per modum causae finalis, sicut finis dicitur efficere movendo efficientem. His autem duobus modis malum non agit aliquid per se, idest secundum quod est privatio quaedam, sed secundum quod ei bonum adiungitur. Nam omnis actio est ab aliqua forma; et omne, quod desideratur ut finis, est perfectio aliqua. Et ideo ut Dionysius dicit 4 cap. de Divin. Nom. *(part. 4. lect. 23)*: malum non agit, neque desideratur, nisi virtute boni adiuncti : per se autem est infinitum, et praeter voluntatem, et intentionem.

Ob. 4ª. Ad perfectionem universitatis rerum non pertinet nisi quod est ens et natura quaedam. Sed malum pertinet ad perfectionem universitatis rerum. Ergo est natura quaedam.

Resp. *D.M.* per se *C.M.;* per accidens *N.M.* - *Cdm.* malum pertinet ad perfectionem universitatis rerum per accidens ratione boni adiuncti *C.m.;* per se et ratione sui *N.m.* — *N.C.* — Partes universi habent ordinem ad invicem, secundum quod una agit in alteram, et est finis alterius, et exemplar. Haec autem, ut dictum est (in solut. ad 2. arg.), non possunt conve-

nire nisi ratione boni adiuncti. Unde malum neque ad perfectionem universi pertinet, neque sub ordine universi concluditur, nisi per accidens, idest ratione boni adiuncti.

THESIS II.ª — **Ad perfectionem universi pertinet ut bona dentur quae possunt deficere, et ideo malum invenitur in rebus.**

323. Praenotandum. — Maximi momenti est thesis ista, in qua assignatur vera et ultima ratio cur malum inveniatur in rebus: haec autem ratio breviter ac sapienter assignatur a S. Doctore.

324. Probatur. — Ad perfectionem universi pertinet inaequalitas in rebus, ut impleantur omnes gradus bonitatis. Atqui aliquis gradus bonitatis est, ut sit aliquod bonum quod deficere possit, sive quantum ad *esse*, sive quantum ad *essentiam* vel *perfectionem ipsius*. Ergo ad perfectionem universi pertinet, ut sit aliquid quod deficere possit. — Sed ratio mali consistit in defectione a bono. Ergo. — Audiatur S. Th. " Perfectio universi requirit inaequalitatem esse in rebus, ut omnes bonitatis gradus impleantur. Est autem *unus* gradus bonitatis, ut aliquid ita bonum sit, quod nunquam deficere possit. *Alius* autem gradus bonitatis est, ut sic aliquid bonum sit, quod a bono deficere possit, qui etiam gradus in ipso esse inveniuntur. *Quaedam* enim sunt, quae suum esse amittere non possunt, ut incorporalia. *Quaedam* vero sunt, quae amittere possunt, ut corporalia. Sicut igitur perfectio universitatis rerum requirit, ut non solum sint entia incorruptibilia, sed etiam corruptibilia: ita perfectio universi requirit, ut sint quaedam, quae a bonitate deficere possint, ad quod sequitur ea interdum deficere. In hoc autem consistit ratio mali, ut scilicet aliquid deficiat a bono. Unde manifestum est, quod *in rebus malum invenitur, sicut et corruptio*. Nam et ipsa corruptio malum quoddam est „. (1. p. q. 48. a. 2. c.).

325. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Quidquid invenitur in rebus vel est ens, vel privatio, scilicet non ens. Sed Dionysius dicit, quod *malum distat ab existente et adhuc plus distat a non existente*. Ergo malum non invenitur in rebus.

Resp. *D.M.* Quidquid invenitur in rebus vel est ens vel

privatio stricte vel late dicta *C.M.;* vel privatio late tantum dicta *N.M.* — *Cdm.* quia est privatio et non pure negatio *C.m.* — secus *N.m.* — *N.C.*

Ob. 2ª. Ens et res convertuntur. Si ergo malum est in rebus, sequitur quod malum sit res.

Resp. *D.A.* ens quod significat entitatem rei convertitur cum ente *C.A.* ens quod significat veritatem propositionis *N.A.* - *D.C. eodem modo.* - " Ens *dupliciter* dicitur. *Uno modo,* secundum quod significat entitatem rei prout dividitur per decem praedicamenta. Et sic convertitur cum re. Et hoc modo nulla privatio est ens: unde nec malum. *Alio modo* dicitur ens, quod significat veritatem propositionis, quae in compositione consistit, cuius nota est hoc verbum, *est.* Et hoc est ens, quo respondetur ad quaestionem, an est. Et sic caecitatem dicimus esse in oculo, vel quamcumque aliam privationem. Et hoc modo etiam malum dicitur ens. Propter huius autem distinctionis ignorantiam aliqui considerantes, quod aliquae res dicuntur malae, vel quod malum dicitur esse in rebus, crediderunt quod malum esset res quaedam „.

Ob. 3ª. Sicut albius est, quod est nigro impermixtius, ut dicitur in 3º *Topic.,* ita *melius* est quod est malo impermixtius. Atqui Deus facit semper quod melius est, et multo magis quam natura. Ergo in rebus a Deo conditis nullum malum invenitur.

Resp. *D.M.* Melius est in unaquaque parte seorsim sumpta, quod est malo impermixtius, *C.M.* melius est in toto vel in singulis partibus per ordinem ad totum, quod est malo impermixtius, (agendo de creatis) *N.M.* — *Cdm.* — *N.C.* — " Deus et natura et quodcumque agens facit quod melius est in toto, sed non quod melius est in unaquaque parte, nisi per ordinem ad totum, ut supra dictum est (q. 47. a. 2). Ipsum autem totum, quod est universitas creaturarum, melius et perfectius est, si in eo sint quaedam, quae a bono deficere possunt, quae interdum deficiunt, Deo hoc non impediente. Tum quia Providentiae non est naturam destruere, sed salvare, ut Dionysius dicit 4 cap. *de div. Nom.* Ipsa autem natura rerum hoc habet, ut quae deficere possunt, quandoque deficiant. Tum quia,

ut dicit Augustinus in Enchir., *Deus est adeo potens, quod etiam bene potest facere de malis.* Unde multa bona tollerentur, si Deus nullum malum permitteret esse; non enim generaretur ignis nisi corrumperetur aër. Neque conservaretur vita leonis, nisi occideretur asinus. Neque etiam laudaretur iustitia vindicans et patientia sufferens, si non esset iniquitas „.

THESIS III.ª — **Malum est in bono tamquam in subiecto.**

326. Probatur. — Cum malum sit remotio boni privative, requirit subiectum. Atqui subiectum mali debet esse bonum. Ergo malum est in bono ut in subiecto.

Probatur minor. — Subiectum vel est ens in potentia secundum quid et in actu simpliciter (ut homo qui est in potentia ad virtutem), vel in potentia simpliciter. Atqui si 1ᵐ habet formam, quae est perfectio et ideo bonam : si 2ᵐ habet ordinem ad bonum et ideo bonum quoddam est. Ergo.

" Malum importat remotionem boni : non autem quaelibet remotio boni malum dicitur. Potest enim accipi remotio boni et privative, et negative. Remotio igitur boni negative accepta mali rationem non habet. Alioquin sequeretur, quod ea quae nullo modo sunt, mala essent. Et iterum, quod quaelibet res esset mala ex hoc, quod non habet bonum alterius rei, utpote, quod homo esset malus, quia non habet velocitatem caprae, vel fortitudinem leonis. Sed remotio boni privative accepta malum dicitur : sicut privatio visus caecitas dicitur. Subiectum autem privationis et formae est unum et idem, scilicet ens in potentia, sive sit ens in potentia simpliciter, sicut materia prima, quae est subiectum formae substantialis, et privationis oppositae : sive sit ens in potentia secundum quid, et in actu simpliciter, ut corpus diaphanum, quod est subiectum tenebrarum et lucis. Manifestum est autem, quod forma, per quam aliquid est actu, perfectio quaedam est, et bonum quoddam ; et sic omne ens in actu bonum quoddam est, et similiter omne ens in potentia, inquantum huiusmodi, bonum quoddam est, secundum quod habet ordinem ad bonum. Sicut enim est ens in potentia, ita et bonum in potentia. Relinquitur ergo quod subiectum mali sit bonum „. (I. p. q. 48. a. 3. c.).

327. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Unum contrariorum non est su-

biectum alterius. Atqui bonum et malum sunt contraria. Ergo malum non est in bono.

Resp. — *D.M.* Unum contrariorum non est subiectum alterius quod ei opponitur *C.M.:* quod ei non opponitur *N.M.* — *Cdm.* non tamen *cuilibet* bono opponitur quodlibet malum *Cm.:* cuilibet bono opponitur quodlibet malum *N.m.* — *D.C.* malum non est in bono quod ei opponitur *C.C.:* quod ei non opponitur *N.C.* — Bonum circuit omnia genera, et ideo non potest esse quod detur aliquod malum quod opponatur cuilibet bono: tale enim malum non deberet involvere entitatem, et ideo non deberet esse privatio, et ideo non esset malum. Cum ergo malum *ut sic* non detur, sed datur tantum *hoc* vel *illud* malum, ideo datur tantum contrarium *huic* vel *illo* bono, quod ideo nihil prohibet esse in *alio* bono. " Malum non est, sicut in subiecto, in bono, quod ei opponitur, sed in quodam alio bono. Subiectum enim caecitatis non est visus, sed animal. Videtur tamen ut August. dicit *(in Ench.* c. 13), hic fallere Dialecticorum regula, quae dicit, contraria simul esse non posse. Hoc tamen intelligendum est secundum communem acceptionem boni, et mali, non autem secundum quod specialiter accipitur hoc bonum et hoc malum. Album autem et nigrum, dulce et amarum, et huiusmodi contraria non accipiuntur, nisi specialiter; quia sunt in quibusdam generibus determinatis; sed bonum circuit omnia genera; unde unum bonum potest simul esse cum privatione alterius boni „. (I. p̄. q. 48. a. 3. ad 3m).

THESIS IV.ª — Licet malum corrumpat totum bonum sibi oppositum, non tamen corrumpit bonum quod est subiectum ipsius, nec totum bonum quod est habilitas subiecti.

328. Probatur. — *Quod malum tollat bonum sibi oppositum,* patet: sicut tenebrae totaliter tollunt lumen et caecitas visum.

Quod vero non tollat nec minuat bonum quod est subiectum mali, iterum patet: non enim per tenebras aliquid de substantia aëris diminuitur.

Ostendendum ergo quomodo *malum non totaliter tollat bonum quod est habilitas subiecti ad actum.* Pro quo notandum est quod diminutio huius boni non est accipienda per *subtractionem,* sicut est diminutio in quantitatibus, sed per *remissionem,* sicut est

diminutio in qualitatibus et in formis. Sicut autem *intensio* habilitatis accipitur per dispositiones quibus materia praeparatur ad actum, quae quanto magis multiplicantur, tanto habilius reddunt subiectum ad formam, ita *remissio* est per dispositiones contrarias quae quanto magis multiplicantur, tanto magis remittitur potentia ad actum.

Unde si dispositiones contrariae multiplicari non possunt in infinitum, sed usque ad certum terminum, neque habilitas praedicta potest diminui in infinitum : si vero multiplicari possunt in infinitum, et habilitas praedicta in infinitum diminuitur, non tamen tollitur totaliter, quia semper manet in sua radice, quae est substantia subiecti : " sicut si in infinitum interponantur corpora opaca inter solem et aërem, in infinitum diminuetur habilitas aëris ad lumen : numquam tamen manente aëre, tollitur totaliter, quia secundum naturam suam est diaphanus. Similiter in infinitum potest fieri additio in peccatis, per quae semper magis ac magis minuitur habilitas animae ad gratiam : quae quidem peccata sunt quasi obstacula interposita inter nos et Deum, secundum illud Isaiae 59. 2. " Peccata nostra diviserunt inter nos et Deum „. Neque tamen tollitur totaliter ab anima praedicta habilitas, quia consequitur naturam ipsius. (I. p. q. 48. a. 4).

329. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Augustinus dicit quod *malum nocet, in quantum adimit bonum.* Sed bonum est sibi simile et uniforme. Ergo totaliter tollitur per malum.

Resp. *C. tex. D. sens.* malum adimit bonum sibi oppositum *C.M.* : adimit bonum quod est habilitas ipsius subiecti *Sbd.* Nisi talis habilitas, quamvis ex una parte attingat actum, tamen ex alia se teneret cum subiecto quod remanet *C.M.* : si ita est *N.M.* — *D.m.* bonum est sibi simile et uniforme, comparatur tamen ad diversa *C.m.* non comparatur ad diversa *N.m.* — *N.C.*

Ob. 2ª. Malum quamdiu est, nocet et aufert bonum. Sed illud a quo semper aliquid aufertur, quandoque consumitur nisi sit infinitum, quod nequit dici de bono creato. Ergo malum consumit totaliter bonum..

Resp. *C.M.* — *D.m.* nisi sit infinitum per se vel per accidens *C.m.* : nisi semper sit infinitum per se, *N.m.* — *N.C.* —

Quidam dixerunt quod sicut continuum dividitur in infinitum, facta divisione secundum eamdem proportionem, ita in proposito. Sed haec ratio hic locum non habet quia in divisione in qua servatur eadem proportio, semper subtrahitur minus et minus : minus enim est medium medii quam medium totius. Sed secundum peccatum, non de necessitate minus diminuit de habilitate praedicta quam praecedens, sed forte aut aequaliter aut magis. Dicendum est ergo quod licet ista habilitas sit quoddam finitum, diminuitur tamen in infinitum non per se sed per accidens, secundum quod contrariae dispositiones etiam in infinitum augentur, et ideo dici potest quid infinitum per accidens.

THESIS V.ª — Omne malum in rebus voluntariis consideratum aut est poena aut est culpa.

330. Probatur. — Cum malum sit privatio boni, quod in perfectione et *actu* consistit, est duplex : secundum quod privat actu *primo* qui est forma seu integritas rei, vel actu *secundo* nempe operatione, et hoc vel quia omnino non est, vel quia debitum modum et ordinem non habet. Cum autem bonum simpliciter sit obiectum voluntatis, malum quod est privatio boni, secundum specialem rationem invenitur in creaturis rationalibus habentibus voluntatem. Malum igitur quod est per subtractionem formae et integritatis rei, habet rationem poenae (praecipue supposito quod omnia divinae providentiae et iustitiae subdantur) : de ratione enim poenae est quod sit contraria voluntati. Malum autem quod consistit in subtractione debitae operationis in rebus voluntariis, habet rationem culpae : hoc enim imputatur alicui in culpam, cum deficit a perfecta actione cuius dominus est per voluntatem. Sic igitur omne malum in rebus voluntariis consideratum est poena vel culpa [1]). (S. Th. 1. p. q. 48. a. 5).

331. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Omnis defectus videtur esse malum quoddam. Sed in creaturis est quidam defectus quod se in esse conservare non possunt, qui tamen nec poena nec culpa est. Non ergo sufficienter malum dividitur per poenam et culpam.

---

[1]) Nota quod malum, quod est privatio formae et integritatis, in voluntariis est *poena* etiam quando non est inflicta ut *punitio* culpae : semper enim est contrarium *naturali* inclinationi voluntatis.

Resp. *D.M.* Defectus boni quod natum est haberi est malum *C.M.;* cuiuslibet boni *N.M.* — *Cdm.* et est contra rationem creaturae quod in esse conservetur a seipsa *C.m.* non ita est *N.m.* — *N.C.* (*ib.* ad 1m).

Ob. 2a. Tentatio quoddam malum est, nec tamen est culpa, nec poena, quia tentatio praecedit culpam, poena autem subsequitur. Insufficienter ergo malum dividitur per poenam et culpam.

Resp. " Tentatio prout importat provocationem ad malum, semper malum culpae est in tentante: sed in eo qui tentatur, non est proprie, nisi secundum quod aliqualiter immutatur. Sic enim actio agentis est in patiente. Secundum autem quod tentatus immutatur ad malum a tentante, incidit in culpam „ (*ibid.* ad 3m).

THESIS VI.a — Plus habet de ratione mali culpa quam poena.

332. Praenotandum. Pro poena intelligimus hic non solum privationem corporalium bonorum, sed universaliter, secundum quod privatio gratiae et gloriae poenae sunt.

333. Probatur. — 1. Ex malo culpae fit aliquis malus, non autem ex malo poenae. Cum enim bonum simpliciter consistat in actu, bonum hominis simpliciter consideratur in bona *operatione* vel bono *usu* rerum habitarum. Sed utimur rebus per voluntatem. Unde ex bona voluntate, qua homo bene utitur rebus habitis, dicitur homo bonus, et ex mala malus. Sed culpa consistit in deordinato actu, poena vero in privatione alicuius eorum quibus utitur voluntas. Ergo perfectius habet rationem mali culpa quam poena.

2. Cum malum poenae privet bono creaturae (sive accipiatur aliquid creatum, sive increatum, ut carentia visionis intuitivae), malum vero culpae opponatur bono increato (contrariatur enim impletioni divinae voluntatis et divino amori, quo bonum divinum in se ipso amatur, et non solum secundum quod participatur a creatura), Deus est auctor mali poenae non vero mali culpae [1]). Ergo (*ib.* a. 5. c.).

---

[1]) Bene retinenda est haec doctrina, quae ex principiis certissimis tum rationis tum fidei necessario dimanat: sic enim plures difficultates

334. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Culpa se habet ad poenam sicut meritum ad praemium. Sed praemium plus habet de ratione boni quam meritum. Ergo a pari.

Resp. *D.M.* Quia *terminatur* ad poenam sicut etc. *C.M.*: quia intendatur propter poenam sicut meritum propter praemium *N.M.:* (potius e converso, poena inducitur ut vitetur culpa). — *Cdm.* — *N.C.*

Ob. 2ª. Illud est maius malum, quod opponitur maiori bono. Sed poena opponitur bono agentis, quod melius est, culpa bono actionis, quod est minus. Ergo.

Resp. *C.M.* — *D.m.* poena opponitur bono agentis, quod est perfectio prima, culpa vero ordini actionis quod est perfectius bonum *ipsius agentis* utpote perfectio secunda *C.m.;* secus *N.m.* — *N.C.* — Unde argumentum retorquetur.

Ob. 3ª. Privatio *finis,* poena quaedam est, quae dicitur carentia visionis divinae, culpa autem privat *ordine ad finem.* Ergo poena est maius malum quam culpa.

Resp. " Non est comparatio culpae ad poenam sicut finis et ordinis ad finem : quia utrumque potest privari aliquo modo et per culpam et per poenam : sed per poenam quidem, secundum quod *ipse homo* removetur a fine et ab ordine in finem ; per culpam vero, secundum quod ista privatio pertinet ad *actionem,* quae non ordinatur ad finem debitum „. *(ib.* ad 3m).

THESIS VII.ª — 1º Malum non potest habere causam per se ; 2º habet tamen causam per accidens ; 3º nempe bonum.

335. Praenotandum. — Si consideramus malum per ordinem ad diversas causas, patet quod causam *formalem* malum non

---

quae ex levitate simul atque superbia humana contra veritates fidei passim moventur, plenam habebunt solutionem. Multi namque maximam patiuntur difficultatem in intelligendo quomodo Deus, summe bonus, permittere possit aeternam damnationem tot hominum. Isti ponderare deberent quomodo malum culpae sit incomparabiliter maius quolibet malo poenae: si enim vel semel serio meditati fuissent quid mali contineatur in *uno peccato,* aliquid veri in istis quaestionibus percipere possent. — Quare a veritate non aberraret qui assereret praecipuas difficultates quae contra fidem moventur, facile solvi per simplicem considerationem *intrinsecae malitiae unius peccati mortalis.* — Haec ergo et meditare, et suo tempore, Deo adiuvante, meditanda propone.

habet, sed est magis privatio formae : similiter nec causam *finalem,* sed magis est privatio ordinis ad finem debitum : non solum enim finis habet rationem boni, sed etiam *utile,* quod ordinatur ad finem. Cum autem bonum sit subiectum mali, est causa mali per modum causae *materialis,* ut iam ostensum est. Materia autem, in quantum ordinatur in bonum, est bona. Relinquitur ergo quaerendum de causa mali *per modum causae agentis.*

336. Probatur 1ª pars. — *Malum non habet causam per se.* — I. Quod *per se* causam habet, est *intentum* a sua causa : quod enim provenit praeter intentionem agentis, non est effectus per se, sed per accidens. Sed malum in quantum huiusmodi non potest esse intentum nec volitum, quia omne appetibile habet rationem boni. Ergo malum non habet causam per se.

II. Omnis effectus per se habet aliqualiter *similitudinem* suae causae. Sed causa agens agit secundum quod actu est, quod pertinet ad rationem boni. Ergo malum non assimilatur causae agenti *secundum id quod est agens,* et ideo non habet causam *per se.*

III. Omnis causa per se habet certum et determinatum ordinem ad suum effectum : quod autem fit secundum ordinem, non est malum, sed malum accidit in praetermittendo ordinem. Ergo malum secundum quod huiusmodi non habet causam per se.

Probatur 2ª pars. — *Malum habet causa per accidens.* — Malum non naturaliter *inest* [1]) : quia defectus, qui inest rei naturaliter, non potest dici malum eius, sicut non est malum homini non habere alas. Atqui quod non naturaliter inest alicui debet habere causam. Unde malum debet habere causam, et quia non per se, ut probatum est, sequitur quod *per accidens.*

Probatur 3ª pars. — *Causa mali est bonum per accidens.* — Omne quod est per accidens reducitur ad illud quod est per se. Sed malum non habet causam per se, ut probatum est. Ergo solum bonum habet causam per se. Sed causa per se boni non potest esse nisi bonum, cum causa per se causet sibi simile. Ergo cuiuslibet mali, bonum est causa per accidens.

---

[1]) Dico — *inest* — quia malum non potest esse aliquid per se existens, utpote privatio.

337. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Unum contrariorum non potest esse causa alterius. Sed malum est contrarium bono. Ergo bonum non potest esse causa mali.

Resp. *D.M.* Per se *C.M.:* per accidens *N.M.* — *C.m.* — *D.C.* Bonum non potest causare malum illud, quod est sibi contrarium *C.C.;* quoddam aliud et per accidens *N.C.* — " Bonitas ignis causat malum aquae, et homo bonus secundum suam naturam, causat malum actum secundum morem „. (I. p. q. 49. a. 1. ad 2.m).

Ob. 2ª. Dicitur *Matth.* 7 : " Non potest arbor bona fructus malos facere „. Sed fructus dicitur effectus causae. Ergo bonum non potest esse causa mali.

Resp. *C. tex., D. sens.* Idest ex bona voluntate non procedit opus malum, nec ex mala voluntate opus bonum *C.s.;* ita quod ipsa mala voluntas, ex qua procedit opus malum, non sit ex aliquo bono, sicut et ipsa mala arbor causatur a terra bona *N.s.* — *C.m.* — *D.C. ut in M.* — " Si aliquis effectus malus causetur ex causa mala, quae est bonum deficiens, tamen oportet devenire ad hoc, quod malum causetur per accidens a bono non deficiente „. (1ª *De Malo* a. 3. ad 1m).

Ob. 3ª. Effectus habet similitudinem cum sua causa, et ea quae sunt effectus, substantialiter praeexistunt in causa. Ergo si malum causatur a bono, et similitudo et ratio mali praeexistit in bono.

Resp. *D.A.* In causis per se *C.A.:* per accidens *N.A.* — *N.C.*

THESIS VIII.ª — Malum causatur ex bono in quantum bonum est deficiens et per accidens: sed prima causa reducitur ad secundam.

338. Probatur. — *In rebus naturalibus* de facili apparet: causa enim corruptionis aquae est virtus activa ignis, quae principaliter intendit formam ignis inducere, cui coniungitur ex necessitate non esse aquae, et sic est *per accidens* quod ignis faciat non esse aquae. — Et hoc modo malum causatur *ex ipsa virtute et perfectione agentis:* quanto enim ignis fuerit perfectior in virtute, tanto perfectius imprimit formam suam, et consequenter corrumpit contrarium. Huius vero mali, quod est monstruositas in planta, causa est *virtus deficiens* in semine. Tamen causa huius defectus in semine est aliquod principium alterans, quod induxit

qualitatem contrariam qualitati, quae requiritur ad bonam dispositionem seminis : unde ultimo causa est bonum, quod est causa mali *per accidens,* et non in quantum est deficiens. Unde malum seminis non causatur ex bono inquantum est deficiens, sed causatur ex bono in quantum est perfectum, sed per accidens.

Item : Dupliciter dicitur causa per accidens : 1° id, quod est accidens ei, quod est per se causa, sicut musicum dicitur per accidens causa aedificationis, quia musicum accidit aedificatori, qui est per se causa aedificationis : 2° causa, quae producit per se aliquem effectum, cui accidit aliquid aliud, sicut ignis, qui causat formam ignis in ligno, cui accidit privatio formae ligni, dicitur causa per accidens tali privationis. Sic malum dupliciter causam habet per accidens : 1° Causa per accidens est aliquis *defectus* boni, qui accidit causae alicuius boni : sed quia etiam illud malum quod accidit causae, oportet ut aliquo modo causam habeat, ideo 2° quandoque causa *per accidens* mali est aliquod bonum, quod producit effectum bonum, cui accidit privatio alterius boni ; quando nempe aliquod bonum *non defectivum* causat bonum, cui coniungitur aliquod malum.

In voluntariis utroque modo voluntas est causa mali, et in quantum vult bonum cui accidit malum, et inquantum habet ut accidens adiunctum defectum. Quod quidem melius considerabimus in thesi sequenti.

339. Nota. Quando causa mali est *virtus deficiens* (seu accidens in ipso agente), tunc causa mali attenditur *in actione,* propter defectum alicuius principiorum actionis vel principalis agentis (ut defectus in motu propter defectum virtutis motivae, ut in pueris), vel propter solam ineptitudinem instrumenti, ut in claudis. Quando vero causa mali est bonum *per accidens,* tunc malum attenditur *in effectu.* Sed malum in effectu potest considerari dupliciter, vel *a) in effectu non proprio* agentis, et tunc malum causatur per accidens *ex virtute* ipsius agentis et tunc malum est *tantum* in effectu et nullo modo in actione. Et sic ad formam ignis sequitur privatio formae aëris vel aquae, et quanto ignis fuerit perfectior in virtute, tanto perfectius imprimit formam suam, et per accidens corrumpit contrarium : vel *b) in effectu proprio ipsius agentis,* et tunc malum causatur vel propter

defectum *actionis,* et tunc habetur malum quoque *in actione ;* vel ex *indispositione* materiae. Sic: si sit defectus in effectu proprio ignis, puta quod deficiat a calefaciendo, hoc est vel propter defectum actionis, vel ex indispositione materiae, quae non recipit actionem ignis agentis. — Sed semper malum in *actione* consequitur rationem mali *in effectu :* malum enim in actione includit defectum in principio agente, qui defectus debuit habere aliquam causam bonam, quae per ipsam suam virtutem, dum intenderet bonum per se, produxit malum per accidens ; et sic prima causa mali non potest esse *agens defectivum,* sed perfectum : primus autem defectus debet inveniri in effectu non vero in causa. (Cf. 1. p. q. 49. a. 1).

THESIS IX.[a] — **Voluntas est causa mali 1° in quantum fertur in aliquid, quod est bonum secundum quid, sed habet coniunctum quod est simpliciter malum: 2° in quantum ipsa, ut principium actionis, habet coniunctum aliquem defectum, nempe defectum conformitatis cum regula legis divinae.**

340. Declaratur. Licet voluntas per se non intendat malum qua malum, tamen dum vult tale bonum, cui cognoscitur esse semper coniunctum malum, quod causatur per accidens, est revera voluntarium. Praeclare S. Thomas : " Aliquando, ait, accidens alicuius effectus coniungitur ei ut in paucioribus et raro; et tunc agens dum intendit effectum per se, non oportet quod aliquo modo intendat effectum per accidens. Aliquando vero huiusmodi accidens concomitatur effectum principaliter intentum semper vel ut in pluribus, et tunc accidens *non separatur* ab intentione agentis. Si ergo bono, quod voluntas intendit, adiungitur aliquod malum ut in paucioribus, potest excusari a peccato (adhibita scilicet debita diligentia) ; sicut si aliquis incidens lignum in sylva, per quam raro transit homo, proiiciens lignum interficiat hominem. Sed si semper, vel ut in pluribus, adiungatur malum bono, quod per se intendit, non excusatur a peccato, licet illud malum non per se intendat „. Addito tamen quod alicui bono semper coniungitur malum, nempe privatio ordinis iustitiae, dicit voluntatem, si illud velit, non excusari a peccato ; " quia ex hoc ipso, quod eligit bonum, cui semper coniungitur malum (et cognoscitur coniungi), etsi non velit malum

secundum seipsum, magis tamen vult incidere in hoc malum, quam carere tali bono „. (*De Malo* q. 1. a. 3. ad 15m).

Secundo modo voluntas causat malum in quantum ipsa ut principium actionis habet coniunctum aliquem defectum. Immo semper ac malum causat priori modo praedicto, habet ipsa, ut est principium actionis, coniunctum defectum, ita quod mala operatio, seu mala electio boni, cui est coniunctum malum, procedat a voluntate ut principio deficiente.

Pro quo sciendum est, quod in omnibus, quorum unum debet esse regula et mensura alterius, esse regulatum et mensuratum a regula et mensura, est bonum ipsi, quod debet regulari et mensurari; non esse vero regulatum seu mensuratum, seu defectus regulationis et mensurationis, est malum ei. Quando ergo aliquod principium actionis non est per seipsum sibi norma rectitudinis suae actionis, erit principium non defectivum, si erit regulatum ab eo, quod est norma rectitudinis; et sic ab eo erit operatio bona: si vero non sit ab eo regulatum et mensuratum, erit principium actionis defectivum, a quo proinde erit operatio mala. Sic ex. gr. si manus artificis non sit per se ipsam regula rectae incisionis, sed debeat regulari ab alio; si erit regulata, faciet rectam incisionem; si vero non facit rectam incisionem, hoc est in quantum deficit a conformitate suae regulae. Et quidem defectus ille conformitatis cum regula in eo, quod est principium actionis, non semper est vera privatio, idest defectus perfectionis, quam debeat habere: nam non est necesse ut principium actionis semper sit actu conforme suae regulae, et quandoque hoc esset etiam impossibile. Sed tunc ille defectus conformitatis ad regulam accipit rationem privationis perfectionis debitae, quando cum tali defectu illud actionis principium procedat in actum. Sic artifex non tenetur semper esse actualiter conformis regulae artis, sed defectus talis conformitatis esset privatio debitae perfectionis et malum, si cum tali defectu artifex procederet ad agendum.

Sic ergo voluntas, quae ipsa sit norma iustitiae, numquam poterit esse principium deficiens, a qua procedat operatio mala, per quam eligatur bonum, cui est coniunctum malum, ita quod etiam malum non sit separatum ab intentione agentis: sed talis

voluntas semper habebit volitionem bonam et erit de bono, ita ut non intendat ullo modo malum, quod forte sit adiunctum alicui bono, sed tantum illud permittat. Et huiusmodi est sola Voluntas divina.

Voluntas autem creata non est per se ipsam norma iustitiae, sed debet regulari et mensurari secundum regulam legis divinae, quae manifestatur a ratione. Tunc ergo voluntas creata erit actionis principium non defectivum, quando habebit regulationem et conformitatem cum regula legis divinae. Et tunc erit actionis principium defectivum, quando habebit defectum dictae conformitatis cum regula legis divinae. Et hic conformitatis defectus non semper erit privatio alicuius perfectionis debitae, ideoque nec malum, neque culpae, neque poenae, sed pura negatio, quia anima nec tenetur, nec potest attendere ad huiusmodi regulam semper in actu. Sed tunc primo habebit rationem culpae, quando voluntas cum tali defectu conformitatis ad regulam divinae legis, procedit in actum operationis. Ex ipsa enim applicatione ad opus fit voluntati debitum illud bonum quo caret, scilicet attendere actu ad regulam rationis, et legis divinae. Itaque defectus conformitatis in voluntate non habet rationem privationis, seu mali et culpae, secundum quod praeintelligitur malae operationi.

Huius proinde privationis, secundum quam voluntas se habet ut principium deficiens, non oportet aliam causam quaerere praeter ipsam solam voluntatem. Est enim voluntas facultas in cuius potestate est suum agere vel non agere. Unde quod agat cum defectu conformitatis ad regulam, et consequenter quod iste defectus habeat rationem privationis, ab ipsa voluntate dependet (Cf. S. Th. *de Malo* q. 1. a. 3).

Aliis verbis : voluntas numquam exercet actum amoris vel odii circa aliquod particulare obiectum praesentatum ab intellectu, quin velit saltem implicite ipsam cogitationem intellectus et suum agere circa obiectum : et cum etiam possit nolle cogitationem intellectus et nolle suum agere, potest quoque abstinere ab omni actu sive amoris sive odii circa obiectum praesentatum. Quod si voluntas transiret in actum aliquem, antequam intellectus adverteret suam cogitationem de obiecto et

antequam proponeret illud voluntati vel ut appetibile conformiter ad regulam legis divinae, vel ut appetibile difformiter ab ea, vel ut appetibile praescindendo a tali conformitate; ille actus non esset liber, ideoque nec bonus nec malus moraliter ut voluntarius.

Ut ergo actus voluntatis sit bonus moraliter, necesse est ut intellectus proponat voluntati obiectum ut appetibile conformiter ad regulam. Et quando intellectus ita se gerit, voluntas, quae semper potest acceptare talem cogitationem vel eam non acceptare, si acceptat, et procedit ad electionem, agit ut principium non deficiens a debita perfectione conformitatis ad regulam.

Ut autem actus voluntatis sit moraliter malus, necesse est ut intellectus proponat voluntati obiectum ut appetibile vel difformiter a regula legis divinae, vel saltem non habito respectu ad eius conformitatem cum lege divina, quasi non curando de ea. Et quando intellectus ita se gerit, voluntas, quae potest acceptare vel non acceptare cogitationem intellectus, si eam acceptat et procedit ad electionem, agit ut principium deficiens a debita proportione conformitatis cum sua regula.

Et quod intellectus proponat obiectum ut appetibile difformiter a lege, vel nihil curando de conformitate ad regulam legis divinae, secundum se consideratum nondum habet rationem mali. Et consequenter, ut dictum est, quod voluntas sit deficiens a tali conformitate, prout subest intellectui praedicto modo se habenti, secundum se consideratum non habet rationem mali. Sed tunc ista acquirunt rationem verae privationis et mali, quod est culpa, quando voluntas acceptans cogitationem de obiecto ut appetibili vel difformiter a regula, vel nullo habito respectu ad conformitatem cum regula divinae legis, transit ad electionem.

Quia ergo ipsa voluntas est causa acceptationis potius quam non acceptationis illius cogitationis intellectus, sub qua ipsa est deficiens a conformitate cum regula, et ipsa sic acceptando procedit ad electionem obiecti, in quo est malum ut privatio connexa cum tali bono; manifestum remanet non esse quaerendam aliam causam illius privationis, qua voluntas est actionis principium deficiens, quam ipsam voluntatem.

341. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Si bonum est causa mali in

quantum est deficiens, sequitur quod bonum est causa mali in quantum praehabet in se aliquod malum, et tunc redibit quaestio de illo malo. Aut ergo procedendum in infinitum, aut oportebit reducere in aliquod primum malum, quod sit causa mali, aut oportebit dicere quod bonum in quantum huiusmodi est causa mali.

Resp. *D.A.* Et tamen non est necesse quod causa mali sit semper bonum deficiens *C.A.*; quando hoc contingit, ut in voluntariis, in quibus causa mali est semper bonum deficiens *Sbd.:* si ille defectus haberet rationem culpae vel poenae, secundum quod praeintelligitur peccato *C.A.;* si non habet talem rationem et non oportet ulterius huiusmodi defectus causam quaerere *N.A.* — *N.C.* — " Cum ergo dicitur quod bonum, in quantum est deficiens, est causa mali, si ly *in quantum* designat aliquid praeexistens, non est universaliter verum; si autem designet concomitantiam, sic verum est universaliter, quia omne quod causat malum est deficiens, idest defectum causans, sicut si diceretur quod omne calefaciens calefacit, in quantum est calefaciens „. (*ib.* ad 6[m]). " Sic autem Deus est causa mali poenae: non enim in puniendo intendit malum eius qui punitur, sed ordinem suae iustitiae imprimere in rebus, ad quod sequitur malum huius qui punitur, sicut ad formam ignis sequitur privatio formae aquae „ (*ib.* ad 10[m]).

Ob. 2[a]. Sicut se habet perfectio ab bonum, ita defectus ad malum. Ergo commutatim, sicut se habet defectus ad bonum, ita perfectio ad malum. Sed aliquis defectus in quantum est defectus est causa boni, sicut fides in quantum est visio aenigmatica, quod ad defectum visionis pertinet, est causa meriti. Ergo bonum in quantum est perfectum et non in quantum est deficiens potest esse causa mali.

Resp. " Dicendum quod *Fides non est meritoria ex hoc, quod est cognitio aenigmatica:* sed ex hoc quod tali cognitione voluntas bene utitur, assentiendo scilicet his, quae non videt, *propter Deum* [1]). Nihil autem prohibet quod etiam aliquis bene utendo

---

[1]) Nota diligenter ista verba in quibus habes iterum iterumque confirmatam doctrinam circa fidem, quam late exposuimus in Logica: patet

malo mereatur: sicut e contrario aliquis male utendo bono demereatur „.

Tractatus IV.us

De Praedicamentis in genere.

342. Introductio. — Quid et quot sint praedicamenta, sive logice, sive metaphysice accepta, habes ex Logica Maiori. Nunc autem agendum est in particulari de *Substantia,* et de *Accidente* in communi. De singulis autem praedicamentis in speciali, agemus in Cosmologia.

QUAESTIO PRIMA.

De Substantia.

THESIS I.a — Substantia, quae a substando vel a subsistendo dicitur, bene definitur definitione essentiali: " Res cuius quidditati debetur esse in se et non in alio „ vel (accipiendo tamen esse ut quid realiter distinctum ab essentia): " Ens per se subsistens „. — (Cfr. S. Th. *De Pot.* 7. a. 3. ad 4m).

343. Praenotandum. — Nota quod suprema genera ex iis sunt, quae *proprie* definiri non possunt; et hoc retine de omnibus definitionibus, quae dandae erunt de singulis praedicamentis.

344. Probatur 1a pars. — *Substantiae nomen a substando vel a subsistente dicitur.* — Nam substat accidentibus, et subsistit in se, seu sistit sub suo esse, seu habet esse in se et non in alio.

---

enim quod secundum S. Thomam, nullo modo meritum fidei pendet ex obscuritate obiecti, sed totum pendet a *bona* voluntate, quae de se est quid extrinsecum rationi *fidei ut sic.*

Declaratur. — Ad huius evidentiam considera, quod differentia horum nominum *essentia, subsistentia, substantia,* sumitur secundum significationem actuum a quibus imponuntur, scilicet *esse, subsistere, substare.* Patet enim quod *esse* commune quoddam est, et non determinat aliquem modum essendi; *subsistere* autem dicit determinatum modum essendi, prout scilicet aliquid est ens per se, non in alio sicut accidens: *substare* autem idem est quod sub alio poni. Inde patet quod *esse* dicit id, quod est commune omnibus generibus: sed *subsistere* et *substare,* id quod est proprium primi praedicamenti, secundum duo, quae sibi conveniunt, quod scilicet sit *ens in se completum,* et iterum quod omnibus aliis substernatur accidentibus, quae in substantia esse habent. Unde *essentia* dicitur cuius actus est esse; *subsistentia* cuius actus est subsistere; *substantia* cuius actus est substare. (Cfr. S. Th. 1. D. 23. q. 1. a. 1.; *De Pot.* q. 9. a. 1. ad 4m). Quod ut magis intelligas adverte, quod nomen *substantiae* tripliciter dicitur. Uno modo dicitur substantia *quidditas rei,* quam significat definitio, secundum quod definitio significat substantiam rei, quam quidem substantiam Graeci *οὐσίαν* vocant, nos autem *essentiam:* sed haec non pertinet ad speciale praedicamentum, essentiam enim habent etiam accidentia suo modo, licet non eo modo quo substantia. Sic quando Commentator apud S. Th. *De Ente et Essentia* cap. 1. dicit: "Ens primo modo dictum quod significat substantiam rei „ accipit substantiam pro essentia; nos autem, ut nunc loquimur de substantia, non in hac significatione usurpamus nomen. — Alio modo dicitur substantia (graece *ὑπόστασις*) subiectum vel suppositum, quod subsistit in genere substantiae, de quo infra ex professo agemus; at neque in hoc significato nos hic usurpamus substantiae nomen. (Cfr. S. Th. 1.a p. q. 29. a. 2.) — Tertio modo tandem *substantia* designat primum praedicamentum, nempe praedicatum quod se habet ad subiectum ita, ut sit idem ac subiectum; et in hoc sensu nos nunc loquimur de substantia. Ergo substantia praedicamentalis non est idem ac essentia: non est idem ac suppositum, quamvis tamen suppositum quodlibet, ut videbimus, sit *individua* substantia praedicamentalis, seu, uti dici solet, *substantia prima,* h. e. *substantia individua in oppositione*

ad substantiam universalem seu secundam, et *ad particularem,* quae tamen sit alterius; v. g. manus vel caput meum est substantia et est etiam substantia particularis, sed non est suppositum quia est alterius: item v. g. homo ut sic non est suppositum, quia est quoddam universale, tamen est substantia praedicamentalis.

Probatur 2ª pars. — Definitur: " *res, cuius quidditati debetur esse in se, non in alio* „. Uti vidimus in tractatu de actu et potentia, res ad invicem non distinguuntur secundum quod esse habent (intellige de distinctione secundum genus vel speciem); sed propter hoc differunt, quod habent diversas naturas, quibus acquiritur esse diversimode. Ergo diversitas in modo essendi licet non faciat diversitatem naturae, tamen notificat diversitatem naturae. Atqui affirmare quod aliquid est " res cuius quidditati debetur esse in se et non in alio „ est idem ac dicere quod est aliquid, quod se habet ad subiectum de quo praedicatur ita, ut sit id quod subiectum, h. e. substantia. Ergo substantia bene definitur definitione essentiali: " res cuius quidditati etc. „.

Probatur 3ª pars. — Definiri potest: " *ens per se subsistens* „. Constitutivum enim substantiae non est negatio essendi in alio, neque substare accidentibus, sed subsistere in se, quod est radix aliorum, quae a substantia dicuntur: unde definiri potest: " ens per se subsistens „; sicut accidens definiri potest ens existens in alio, seu cui debetur esse tali vel tali modo, per se, vel in alio. Cf. C. G. l. 1. c. 25.

345. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Pars definitionis substantiae est ly " *et non in alio* „ quae est pars negativa. Sed negatio nequit esse constitutiva generis. Ergo tradita definitio substantiae non est bona.

Resp. *D.M.* Est pars explicativa *C.M.;* constitutiva *N.M.* — *D.m.* Et tamen manifestat, seu declarat aliquod positivum, quia negatio est magis nota quoad nos *C.m.;* secus *N.m.* — *N.C.* — Utique verissimum est quod constitutivum proprium substantiae non est " esse non in alio „ cum negatio nequeat esse constitutiva generis, sed est e contra quod substantiae conveniat subsistere in se, unde in definitione primo loco dicitur: " Res cuius

quidditati debetur esse in se „ : tamen negatio, ut oppositum affirmationis, explicat proprium constitutivum.

346. Ob. 2ª. Deus est substantia et non accidens. Sed in Deo essentia non est realiter distincta ab esse. Ergo non recte affirmatur, quod in definitione substantiae accipi debet essentia ut distincta realiter ab esse.

Resp. *D.M.* Deus est substantia sumendo substantiam latissimo sensu prouti analogatur etiam ad Deum *C.M.;* Deus est substantia in sensu praedicamentali, cuius definitionem dedimus. *N.M.* — *C.m.* — *D.C.* Si daretur definitio substantiae prouti analogatur etiam ad Deum *C.C.;* si e contra datur definitio substantiae prouti constituit primum praedicamentum *N.C.* — Deus non est in ullo praedicamento, cum sua essentia sit suum esse. (Cf. S. Th. 1. p. q. 7. a. 5.).

THESIS II.ª — Substantia praedicamentalis bene definitur definitione descriptiva: " id quod substat accidentibus „.

347. Probatur. — Nam substare accidentibus, vel saltem habere naturalem exigentiam ad essendum sub accidentibus est passio propria substantiae. Atqui per passionem propriam alicuius bene notificatur et describitur eius essentia. Ergo substantia praedicamentalis bene definitur definitione descriptiva: *" id quod substat accidentibus „.*

348. Obiectiones. — Ob. 1ª. Bene definitur substantia cum Cartesio: — *Res quae nulla alia re indiget ad existendum.* — Sed haec definitio nullo modo convenit cum iam datis. Ergo definitiones traditae reiciendae sunt.

Resp. *N.M.* — *C.m.* — *N.C.* — Nam haec definitio optime aptatur etiam illi summae Rei, qui est Deus: nam et ipse est res, quae nulla alia re indiget ad existendum. Porro bona definitio alicuius non debet res confundere, quia tunc non definiret, h. e. signaret limites.

Ob. 2ª. Bene definitur substantia cum Spinoza: *Per substantiam intelligo id, quod in se est, et per se concipitur: hoc est id, cuius conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat.* — Atqui haec non convenit etc..... Ergo etc.

Resp. *N.M.* - Nam ly " per se in se „ in ore Spinoza, qui est

Pantheista, significat quod unaquaeque res habet esse a se vel melius ex se, h. e. quod non est creata.

Ob. 3ª. Bene definitur substantia cum Cousin: " Ens quod nihil ultra se subaudit ad existendum „. Ergo, etc.

Resp. *N.A.* — *N.C.* — Nam substantia praedicamentalis subaudit causam effectricem divinam ad essendum, unde ex seipsa est indifferens ad esse et non esse.

Ob. 4ª. Cum Wolff et Galuppi bene definitur substantia: " Subiectum perdurabile et modificabile „ (modificabile intellige per accidentia). Ergo, etc.....

Resp. *N.A.* — *N.C.* — Nam sunt etiam substantiae corruptibiles quaeque proinde non sunt perdurabiles; insuper omnia creata decidere possunt in nihilum per subtractionem virtutis divinae, et Deus potest omnia redigere in nihilum. Cf. S. Th. 1. p. q. 104. per totum. Ergo non est de essentia substantiae " perdurabilitas in esse „.

Ob. 5ª. Cum Leibnitz et Kant bene definitur substantia: " Ens agendi vi praeditum „. Ergo, etc.....

Resp. *N.A.* — *N.C.* — Etiam accidens, etiam Deus est ens agendi vi praeditum; quia sunt actus.

Ob. 6ª. Cum Gioberti bene declaratur substantia dicendo quod " Substantia in realitate seu in negatione nihili posita est, et quoniam negatio nihili est operatio, substantia est causa seu vis, nempe est principium operationis, per quam ipsa nihilum negat „. Ergo, etc.....

Resp. *N.A.* — *N.C.* — Nam accidens in negatione nihili positum est; insuper absurdum est quod constitutivum alicuius *realis* in negatione sit; et quod ista mera negatio sit principium agendi.

Ob. 7ª. Iuxta Locke, substantia est: " Complexio qualitatum, quas sensu percipimus, ignota ratione coexistentium „. Ergo, etc.

Resp. *N.A.* — Accidentia igitur erunt sine subiecto, ergo accidentia substantia sunt, et substantia est accidens, quia est qualitas.

THESIS III.ª — 1° **Illa sola substantia ponitur in praedicamento cuius quidditas est realiter ab esse distincta;** 2° **Talis autem est omnis creata substantia;** 3° **Unde non solum**

substantiae corporeae sed etiam spirituales veniunt sub praedicamento substantiae. (Cf. S. Th. 3. p. q. 77. a. 1. ad 2m).

349. Probatur 1a pars. — Illa sola substantia ponitur in praedicamento, quae potest habere genus et speciem; praedicamentum enim logice est coordinatio generum et specierum. Sed omnis et sola substantia, cuius quidditas est realiter ab esse distincta, potest habere genus et speciem. Ergo...

Prob. minor: quia omnis et sola substantia, cuius quidditas est realiter ab esse distincta, habet *terminationem;* ipsum enim Esse subsistens nullam habet terminationem. Sola insuper talis substantia est cui realiter competit esse per se seu subsistere, tanquam aliquid, quod non est ipsa, sed ab ipsa distinguitur. (Cf. C. G. I. 25).

Probatur 2a pars. — *In omni substantia creata, essentia realiter distinguitur ab existentia.* " Quidquid non est de intellectu essentiae vel quidditatis, hoc est adveniens extra et faciens compositionem cum essentia; quia nulla essentia sine his, quae sunt partes essentiae, intelligi potest. Omnis autem essentia vel quidditas intelligi potest sine hoc, quod aliquid intelligatur de esse suo facto... Ergo patet quod esse est aliud ab essentia vel quidditate „. *De Ent.* Et expressius Ql. III. q. 8. a. 20 : " Omnis substantia creata est composita ex potentia et actu. Manifestum est enim quod solus Deus est suum esse, quasi essentialiter existens (vi formae suae), in quantum scilicet esse est eius substantia, quod de nullo alio dici potest: esse enim subsistens non potest esse nisi unum, sicut nec albedo subsistens potest esse nisi una. Oportet ergo quod quaelibet alia res sit *ens participative,* ita quod aliud sit in eo substantia participans esse, et aliud ipsum esse participatum „. Omne autem participans se habet ad participatum sicut potentia ad actum; unde substantia cuiuslibet rei creatae se habet ad suum esse sicut potentia ad actum. Actus vero et potentia realiter distinguuntur, accepta, ut hic, in ordine reali.

Probatur 3a pars. — Quia sub praedicamento substantiae venit omne, quod suscipit univoce definitionem substantiae. Atqui non solum substantiae omnes materiales eandem definitionem

suscipiunt, sed etiam substantiae spirituales. Ergo non solum substantiae corporeae sed etiam spirituales veniunt sub praedicamento substantiae. (Cf. definitionem supra).

Insuper omnis substantia hàbens terminationem essentiae suae potest habere genus et differentiam. Sed quod est tale venit sub praedicamento. Ergo...

THESIS IV.ª — Praecipuae partitiones substantiae praedicamentalis sunt: 1º prima et secunda; 2º completa et incompleta; 3º simplex et composita.

350. Declaratur 1ª pars. — *Prima et secunda.* Cum dividitur substantia in primam et secundam, haec divisio non est generis in species, quum nihil contineatur sub secunda substantia, quod non sit in prima, sed est divisio generis secundum diversos *modos essendi.* Nam *secunda* definitur: " Quae non est in subiecto, sed dicitur de subiecto „ (Cf. 5 *Metaph.* tex. 15); et significat naturam generis vel speciei secundum se absolutam h. e. universale; *prima* vero substantia significat eam ut *individualiter subsistentem*, h. e. suppositum alicuius naturae, et definitur: " Quae neque de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est „ unde magis est divisio analogi quam generis; hinc " persona „ vel " suppositùm „ continetur quidem in genere substantiae, licet non ut species, sed ut specialem modum existendi determinans. (Cf. S. Th. *De Pot.* q. 9. a. 2. ad 6m; et 1. p. q. 29. a. 1. ad 2m).

Declaratur 2ª pars. — *Completa et incompleta.* Completa substantia illa dicitur, quae terminationem habet, ac proinde et genus et differentiam habet, ut v. g. homo; incompleta substantia dicitur illa, quae non est in aliqua determinata specie, sed vel est in via, vel pars physica alicuius completae substantiae, ut v. g. anima humana: hae autem incompletae substantiae reductive pertinent ad praedicamentum substantiae. Audiatur S. Thomas: " Substantia, secundum quod est genus, non proprie praedicatur de parte: manus enim si esset substantia, cum sit animata, esset animal (h. e. pars esset totum); nihil enim est in genere quasi directe contentum sub ipso, nisi quod habet naturam aliquam complete; tamen dicitur manus esse substantia secundum quod substantia dividitur contra accidens, et similiter

dico de natura humana in Christo. Cum igitur dicitur quod omnis substantia particularis est hypostasis, intelligendum est de illis, quae *directe* recipiunt praedicationem generis, et haec sunt quae significantur ut res completae per se subsistentes „ (3. D. 6. q. 1. a. 1. Sol. 1. ad 1m). — Et idem S. Doctor (2. D. 3. q. 1. a. 1.) ait: " De ratione substantiae (completae) est quod subsistit quasi per se ens, et ideo forma et materia, quae sunt partes compositi, quum non subsistant, non sunt in praedicamento substantiae sicut species, sed solum sicut principia „.

Declaratur 3a pars. — *Simplex et composita.* Nam, ut vidimus de actu et potentia, quoddam ens est simplex, h. e. actus purus in suo ordine, e contra quoddam aliud est compositum ex actu et potentia praecise in ordine substantiae et essentiae. Ergo.

THESIS V.a — Proprietates substantiae sunt: 1o non esse in subiecto; 2o significare hoc aliquid; 3o non habere contrarium; 4o non suscipere magis et minus; 5o esse susceptivum contrariorum; 6o praedicari univoce de inferioribus.

351. Praenotandum. — Hae proprietates non omnes verificantur relate ad substantiam primam et relate ad substantiam secundam; sed quaedam sunt propriae substantiae primae et secundae, quaedam vero alterutrius tantum, ut ex probatione patebit.

352. Probatur 1a pars. — *Non esse in subiecto.* Valet pro substantia prima et secunda simul. Nam substantia prima dicitur — quae neque de subiecto dicitur, *neque in subiecto aliquo est;* — substantia vero secunda dicitur: — *quae non est in subiecto,* sed dicitur de subiecto. — Ergo conveniunt in hoc quod non *sunt in subiecto.*

Probatur 2a pars. — *Significat hoc aliquid.* Valet de substantia prima tantum; nam tantum ipsa importat et designat substantiam *individualiter subsistentem.*

Probatur 3a pars. — *Non habere contrarium.* Valet de utraque substantia: nam nec Petrus, substantia prima, nec homo, substantia secunda, contrarium ullum habent.

Probatur 4ª pars. — *Non suscipere magis et minus.* Valet de utraque: nam nullus esse potest quod sit v. g. magis vel minus homo quam alter.

Probatur 5ª pars. — *Esse susceptivum contrariorum.* Valet de substantia prima, nam unaquaeque substantia est in potentia ad contrarias formas accidentales successive habendas.

Probatur 6ª pars. — *Praedicari univoce.* Valet de substantia secunda tantum, ut patet.

QUAESTIO SECUNDA.

De Supposito.

THESIS I.ª — 1º Suppositum bene definitur: "subsistens distinctum „; 2º persona vero: "rationalis naturae individua substantia „.

353. Declaratur 1ª pars. — Suppositum est nomen intentionis, secundum quam aliquid accipitur ut id, quod supponitur omnibus praedicationibus, seu ut id, de quo omnia praedicamus et quod de nullo praedicatur, et consequenter relate ad nostrum intellectum se habet ut de quo et in quo omnia intelligimus, quaecumque intelligimus. Atqui hoc competit ei, quod est *subsistens distinctum.* Ergo suppositum bene definitur definitione reali: *subsistens distinctum.*

Probatur minor. — Nam: 1º *accidentia* essentialiter habent ordinem ad substantiam, et sunt aliquid illius, unde potius quam entia, dici debent entis entia. Non potest ergo ratio suppositi convenire alicui accidenti. Et ideo suppositum oportet esse aliqua *substantia,* sumendo nunc *substantiam,* non stricto sensu praedicamentali, secundum quem dicit solum *ens creatum cui competit per se esse,* sed prouti analogatur ad omnia, quorum esse non est in alio, et extenditur ad ipsum Esse increatum. 2º Inter substantias, illae quae vocantur *secundae* seu *universales,* ut genera et species, tribuuntur individuis, quae sub infimis speciebus collocantur, quaeque dicuntur *primae substantiae.* In

tantum enim dantur genera et species, in quantum dantur individua, ex quorum comparatione ratio adinvenit rationes generícas et specificas. Quare a propria ratione suppositi excludi debent substantiae secundae seu universales. 3° In ipsis autem primis substantiis seu substantiae individuis est considerare aliqua, quae habent rationem partis, et aliquid, quod habet rationem totius: sicut ex. gr. Socrates habet rationem totius; manus autem et cor et alia huiusmodi habent rationem partis. Sed partes in quantum tales non sunt suipsius, sed sunt totius, unde ipsi toti tribuuntur. Proinde nihil, quod aliquo modo habet rationem partis, poterit vocari suppositum, sed solum id, quod est totum, si partibus constat; aut quod est simplex in ratione substantiae: unde dicitur, quod suppositum debet esse *substantia prima integra.* 4° Porro inter substantias primas atque integras quaedam sunt, quae licet ipsae in proprio ordine essentiae substantialis sint totum et non pars; tamen in ordine existentiae componunt simul cum *actu essendi,* et constituunt *unum per se existens:* unde non secus ac ipse actus essendi, se habent ut pars alicuius, *quod est,* ut totum ex essentia et esse. Quare ipsa substantia prima et integra invenitur esse tamquam pars in aliquo toto *quod est:* eique tribuitur ut alter ex principiis *quibus est.* Et consequenter ratio suppositi non erit tribuenda ipsi substantiae primae atque integrae, quae est pars in toto; sed *ipsi toti* constituto ex tali substantia et esse. Quod totum vocatur *subsistens,* seu *quod est per se.* Si vero aliquid datur, quod *sit* per identitatem cum suo esse, et non sit compositum; et ipsum dici poterit *subsistens,* quantum requiritur ad rationem suppositi. 5° Iamvero inter ea quae subsistunt, est quaedam Essentia, quae, ut fide novimus, una et eadem numero est in Tribus indivisa atque indistincta. Unde talis Essentia intelligitur esse Trium; non autem incommunicata sicut requiritur ad hoc ut *nulli tribuatur.* Et ideo non omne subsistens habebit proprie rationem suppositi: sed tantum *subsistens incommunicatum,* seu *subsistens distinctum* nullo modo intelligi potest tribui alteri, sed perfecte in seipso existit: et proinde propriam rationem *suppositi* suscipit; quod est illud quod nulli alteri tribuitur, sed est in se. Est itaque suppositum *subsistens distinctum.*

Nota 1ª. Ex hac definitione statim colligitur accidentia, substantias secundas, partes substantiae sive integrales, ut brachium et cor, sive essentiales, ut anima et corpus, non esse supposita, sed potius esse tribuenda, alicui supposito. Haec enim omnia non sistunt in seipsis sed communicantur seu tribuuntur alteri. Item colligitur humanam Christi naturam non habere proprium suppositum distinctum a Supposito divino ; quod est Verbum : non enim ipsa est totum *quod est,* sed solum est *id, quo* Verbum est Homo : nec proinde habet *esse* nisi in ipso Verbo, cuius est secunda natura, et cui tribuitur ut aliquid ipsius. Pariter ostenditur quod Essentia divina non est suppositum distinctum a Tribus, in quibus invenitur numerice eadem. Est enim aliquid, quod pluribus tribuitur. At suppositum intelligitur esse id, quod nulli potest attribui. Apparet etiam cur tres divinae Relationes internae sint tria supposita. Hae namque relationes et sunt subsistens, propter identitatem realem, quam singulae habent cum Essentia divina, quae est ipsum Esse subsistens; et sunt inter se realiter distinctae, propter oppositionem, quam habent ad invicem in quantum relationes sunt.

Nota 2ª. Hoc nomen *suppositum* sicut iam supra dictum est proprie non est nomen significativum rei, quae est *subsistens distinctum* : sed est nomen intentionis specialis, qua accipimus in intellectu hoc, quod est subsistens distinctum. Res autem cui applicamus intentionem suppositi seu *suppositalitatem,* tribus nominibus nominatur, quae proprie sunt *nomina rei.* Dicitur enim *res naturae, subsistentia,* et *hypostasis,* secundum triplicem considerationem, quam habere potest. Secundum enim quod non tribuitur alteri, seu quod non est in alio ut ei communicatum, sed subsistit in seipso, vocatur *subsistentia.* Secundum vero quod supponitur alicui naturae communi ut individuum ipsius, dicitur *res naturae,* sicut *hic homo* est res naturae humanae. Secundum autem quod supponitur accidentibus ut ea sustentans, dicitur *hypostasis* vel *substantia.* Quae tamen nomina nonnumquam indifferenter usurpantur ad denotandum ipsum, quod subiicitur intentioni suppositi, scil. *subsistens distinctum.*

Declaratur 2ª pars. — Quod praedicta nomina significant communiter in toto genere substantiarum, hoc nomen *persona*

significat in genere intellectualium substantiarum, nempe humanae, angelicae ac divinae, et definitur a Boetio (De duabus naturis): " rationalis naturae individua substantia ". In qua definitione hoc, quod dicitur *individua substantia*, convenit non solum personae sed generatim omni supposito: quod autem additur *rationalis naturae* pertinet ad specialem significationem personae. Vox autem rationalis stat pro *intellectuali:* vox *individua* determinat non solum substantiam *singularem* in oppositione ad *universalem,* sed etiam *incommunicabilitatem* ipsius alteri: tandem nomen *substantia* sumitur non solum pro substantia praedicamentali prout dividitur per primam et secundam; sed pro substantia prout analogatur ad omnia, quae habent esse per se, et non in alio.

THESIS II.ª — 1° **In substantiis compositis;** 2° **iisdemque tantum, suppositum denominative sumptum differt secundum rem a natura communi speciei;** 3° **non tamen ab ea realiter distinguitur;** 4° **suppositum autem formaliter sumptum, in omnibus creatis differt secundum rem a natura singulari;** 5° **non tamen ab ea realiter distinguitur;** 6° **quare suppositum et natura numquam dicenda sunt differre ut plura realiter differentia.**

354. Praenotiones. I. Suppositum apud S. Thomam sumitur dupliciter: aliquando sumitur *denominative* et tunc significat *id, quod subsistit* nempe determinatam naturam, quae est subiectum actus essendi seu subsistentiae: ideoque hoc modo accipitur *materialiter* pro subiecto formalis subsistentiae et idem prorsus est ac *individuum completum.* Hoc modo illa natura dicitur suppositum per se subsistens, seu identificatur cum supposito, quae spectatis unice principiis essentialibus potest subsistere, idest in se existere vel poni sub esse suo: iuxta illud S. Thomae: " Subsistere dicitur aliquid inquantum est sub esse suo, non quod habeat esse in alio tanquam in subiecto ". (1. d. 23. q. 1. ad 3m).

Suppositum *formatum* seu formaliter sumptum est natura individua subsistens prouti actuatur illa forma, a qua habet ut denominetur, nempe ab existentia, sub qua esse debet, ut dici possit formaliter subsistens. Sic nulla natura creata est per se

subsistens et identificatur cum supposito, quia nulla natura creata est suum esse [1]).

II. Thesis non est nisi corollarium eorum, quae dicta sunt [n. 289 et seqq.], ubi locuti sumus de ratione distinctionis et differentiae, et [n. 294, 295], ubi locuti sumus de comparatione inter totum et partem.

Hic ergo quam maxime revocanda est differentia, quam ex Aristotile desumpsimus inter *distinctionem realem* et *differentiam realem:* propter confusionem enim harum vocum, inextricabiles difficultates ortae sunt in intelligentia S. Thomae apud ipsos Thomistas. Aliqui enim (ut Caietanus in prooemio ad opus *de Ente et Essentia,* P. De Maria *Ont.* Tract. II. q. 3. a. 3.) ex hoc quod S. Thomas dicit *differre secundum rem* suppositum (denominative, nempe individuum) a natura in corporeis, statuunt quod quidditas composita *realiter distinguatur a principiis individuantibus,* et consequenter a singularibus (quod quidem fal-

---

[1]) "Suppositum *realiter* (formaliter) sumptum dicit totum compositum ex essentia et esse, quorum utrumque in sui ratione intrinseca claudit: *denominative* autem acceptum dicit tantum substantiam individuam, connotando esse, quod ab illa habetur, quandoquidem omne subiectum habens perfectionem a perfectione habita recte denominari potest. Et simile est de albo, quod realiter consideratum dicit compositum ex subiecto et albedine, sed denominative dicit solum subiectum connotando albedinem, quae illud efficit et in eo recipitur. Et haec est ratio cur S. Thomas aliquando dicit quod *esse* pertinet ad ipsam constitutionem subsistentis (3. q. 17. a. 1. ad 4^{m}: *Quodl.* 9. a. 3. ad 2^{m}), aliquando vero excludit *esse* ab eo quod importat in recto ratio suppositi: (e. g. C. G. II. c. 54: "in intellectualibus est unica tantum compositio actus et potentiae, quae scilicet est ex substantia (supposito) et esse, quae a quibusdam dicitur ex *quod est* et *esse* vel ex *quod est* et *quo est.* In substantiis autem compositis ex materia et forma est duplex compositio actus et potentiae etc.„). Sed nulla est ibi contradictio, quia ut bene advertit Capreolus in III. D. 5. q. 3: "Album est duplex, denominativum et formale: ita etiam persona vel suppositum potest dici dupliciter. Primo modo *denominative* et sic suppositum dicitur illud individuum, quod per se subsistit. Secundo modo *formaliter* et sic suppositum dicitur compositum ex tali individuo et ex sua subsistentia„. Non mirum igitur videri debet si S. Thomas rem subsistentem, modo una, modo altera ratione accipiat, et per consequens, sibi semper constare dicendus sit, licet quandoque verba discordare videantur„. P. Billot, *De Verbo Incarn.* Q. II. *Princip. S. Th.* etc.

sum esse ostendimus in Logica [n. 489]); alii vero recte statuentes distinctionem mere rationis inter individuum et naturam, nullam rationem assignare poterunt cur S. Thomas dicat quod in compositis suppositum *differat secundum rem* a natura, *non vero* in angelis: ita P. Remer *Metaph.* n. 147 [1]).

Omnia autem bene componuntur per dictam distinctionem.

355. Probatur 1ª pars. — *In substantiis compositis suppositum denominative sumptum differt secundum rem a natura communi speciei.* Nam suppositum denominative sumptum nempe individuum naturae corporeae addit super naturam speciei quaedam alia, *quae sunt praeter naturam* speciei, et pertinent ad individuationem; quae quidem sunt aliquid *reale* et non mere *rationis:* id enim, quod addit Petrus supra naturam humanam, non est aliquid mere rationis, sed aliquid reale, quo constituitur et est *hic homo* et quidem differens *realiter* ab aliis; quod quidem est praeter rationem hominis ut sic. Atqui quandocumque aliquid addit supra rationem quamdam communem aliquid *reale,* dici potest *differre secundum rem* ab illa (ut dictum est ubi de differentia). Ergo suppositum denominative sumptum, in natura corporea differt secundum rem ab ipsa natura communi speciei. — Hinc S. Thomas: " Contingit in quibusdam rebus subsisten-

---

[1]) P. Billot vero, postquam optime statuerit compositionem naturae et principiorum individualium non esse realem *(De Verbo Inc.* Q. II. introd. p. 50) ad difficultatem, quae ex verbis S. Thomae manifeste oritur, dicit S. Doctorem numquam dicere rationes individuantes realiter distingui a natura *in uno eodemque individuo,* sed dicere tantum quod in corporalibus individuum naturae secundum rem differt a natura speciei, hoc est a natura *prout in multis, imo infinitis aliis potens est* existere, quia in compositis unum individuum non est ipsa species, in simplicibus e contra. *(ibid. nota).* Sed dicendum verum esse quod comparatio non statuitur a S. Doctore inter individuum et *naturam prout in hoc* sed inter individuum et *naturam abstractam* seu naturam universalem: adhuc tamen remanere difficultatem (si *differre* idem sit ac *distingui)* quod natura abstracta seu universalis dicatur differre seu *distingui realiter* ab individuo: hoc enim est contra ea, quae S. Doctor passim docet, ubi de universalibus.

Pro hac quaestione de supposito cf. omnino 1ª p. q. 3. a. 2; q. 29. a. 2.; 3. p. q. 2. a. 2.: 3. D. 5. q. 1. a. 3.: *De Pot.* q. 9. a. 1.: *de Anima* l. III. l. 8.: QQ. DD. *de Anima* a. 17. ad 10 etc.

tibus inveniri aliquid quod non pertinet ad rationem speciei, scilicet accidentia et principia individuantia, sicut maxime apparet ex his quae sunt ex materia est forma composita : et ideo in talibus etiam *secundum rem differt natura* et suppositum, non quasi omnino aliqua separata (vel distincta, ut mox videbimus), sed quia in supposito includitur ipsa natura speciei et superadduntur quaedam alia, quae sunt praeter rationem speciei. Unde suppositum significatur ut totum habens naturam ut partem formalem et perfectivam sui, et propter hoc in compositis ex materia et forma, natura non praedicatur de supposito : non enim dicimus quod hic homo sit sua humanitas „. (3. p. q. 2. a. 2. : cf. 1. p. q. 3. a. 3).

356. Probatur 2ª pars. — *Tantum in substantiis corporeis suppositum denominative sumptum differt secundum rem a natura.* — Nam si natura est immaterialis, ipsa est quae subsistit in sua specie (ut vidimus in trac. *de actu et potentia*), seu ipsum simplex est sua quidditas. Ergo in huiusmodi, suppositum non differt secundum rem a natura. — Hinc S. Thomas : " Natura, secundum quod hic loquimur, est quidditas rei, quam signat definitio, persona autem est *hoc aliquid,* quod subsistit in natura illa. In simplicibus autem, quae carent materia, ipsum simplex est sua quidditas : quidditas vero compositi non est ipsum compositum : humanitas enim non est homo... Est ergo ratio personae quod sit subsistens distinctum et omnia comprehendens quae in re sunt : natura autem tantum essentialia comprehendit. In simplicibus autem *non differt re* natura et persona : quia natura non recipitur in aliqua materia per quam individuetur, sed est per se subsistens : tamen in quantum considerantur essentialia rei, sic dicimus ibi naturam : in quantum autem invenitur ibi aliquid subsistens, *sic dicimus ibi* personam „. (3. d. 5. q. 1. a. 3. ; cf. 1. p. q. 3. a. 3.).

" Quidquid est in re ad naturam communem pertinens, sub significatione essentiae continetur : non autem quidquid est in substantia particulari est huiusmodi. *Si enim quidquid est in substantia particulari ad naturam communem pertineret, non posset esse distinctio inter substantias particulares eiusdem naturae ;* hoc autem quod est in substantia particulari praeter naturam

communem est natura individualis, quae est singularitatis principium et per se consequens accidentia individuantia etc. „ *De Pot.* q. q. a. 1.

357. Dices. Etiam in angelis est distinctio realis inter accidentia et naturam : aliquid ergo (et quidem reale) importatur a supposito, (quod dicit totum) quod non importatur a natura ut sic. Ergo etiam in angelis differt secundum rem natura a supposito.

R. Concedimus quod etiam in angelis est distinctio realis inter naturam et accidentia, sed quando opponitur natura supposito non consideratur natura tantum secundum quod dicit *substantiam* nempe tantum *secundum substantialia,* sed *secundum essentialia,* ut dicit S. Thomas : unde consideratur quoque cum accidentibus, quae consequuntur necessario ipsam naturam. Quando ergo comparamus naturam cum supposito in angelis, non comparamus substantiam angeli in praecisione ab accidentibus, puta ab intellectu et voluntate, cum ipsa ut subsistente ; sed comparamus totam naturam completam per sua accidentia, cum ipso subsistente, totam Michaëleitatem cum Michaële : et dicimus quod Michaël est Michaëleitas : dum contra non possumus dicere quod Petrus sit sua humanitas. — Accidentia ergo quae importantur a supposito et non importantur a natura, sunt tantum illa, quae sunt *praeter rationem speciei completam,* nempe ea, quae pertinent exclusive ad *haecceitatem* et nullo modo ad *taleitatem :* porro huiusmodi accidentia nullo modo inveniuntur in angelis, sed inveniuntur tantum in natura corporea.

358. Probatur 3ª pars. — *Non tamen suppositum denominative sumptum distinguitur realiter a natura.* — Haec pars probata est in Logica [n. 489] : suppositum enim denominative sumptum, idem est ac individuum seu singulare, natura vero est ratio abstracta seu universale materiale. Sed numquam in uno et eodem, natura abstracta distinguitur realiter ab individuo : hoc ipso enim quod talis distinctio habetur *tantum* per operationem intellectus, (ut patet ex ipsis terminis : agitur enim de natura *abstracta* per intellectum ab individuo), non potest esse realis. — Hinc S. Thomas : " Animal commune vel homo communis non est *aliqua substantia* in rerum natura. Sed hanc

communitatem habet forma animalis vel hominis *secundum quod est* in *intellectu,* qui unam formam accipit ut multis communem. in quantum abstrahit eam ab omnibus individuantibus „. VII. *Met.* l. 13. — cf. 2. D. 30. q. 3. a. 1.

359. Nota. 1° Comparatio hic statuitur inter individuum et naturam : sed patet quod idem esset dicendum si comparatio institueretur inter notas individuantes et naturam : non enim notae individuantes adduntur *realiter* supra naturam specificam, et ideo *non componunt realiter* cum ipsa. " Unde per S. Thomam duplex tantum datur *secundum rem* in rebus corporalibus compositio substantialis, scilicet materiae et formae tanquam principiorum intrinsecorum essentiae, ac deinde ipsius essentiae compositae et esse : si autem distinctio naturae a rationibus individuantibus esset realis, daretur secundum rem compositio triplex, quod alienum videtur a doctrina Angelici „ (Billot, *ibid.* nota).

2° Hinc minus recte procedere videtur P. De Maria (*loc. cit.* p. 499) dum ex hoc, quod essentiae compositae *non sunt adaequate idem* cum substantia prima seu cum subiecto, quod ipsis addit principia individuantia, quae sunt praeter principia quidditativa, et ideo non ponuntur in definitione hominis in quantum est homo, etc., deducit quod essentia in corporalibus *realiter distinguatur* a principiis individuantibus et ab individuo : haec enim omnia non probant nisi *realem differentiam* et nullo modo realem *distinctionem.*

360. Probatur 4ª pars. — *Suppositum formaliter sumptum, in omnibus creatis differt secundum rem a natura singulari.* — Nam suppositum formaliter acceptum importat ultimam perfectionem et ipsum actum essendi seu subsistendi in se, per quem natura singularis constituitur ultimo incommunicabilis seu subsistens distinctum. Atqui in omnibus creatis, *esse* realiter distinguitur ab essentia, ideoque id, quod in se includit *esse* non potest *identificari* cum eo, quod est praeter *esse.* Ergo in omnibus creatis, suppositum formaliter sumptum *differt secundum rem* a natura singulari. — Hinc S. Thomas : " Accidunt etiam compositis ex materia et forma, praeter rationem speciei, multa alia, quae *non* sunt determinativa essentialium principiorum, *ut*

est esse. Substantiis vero immaterialibus creatis, non accidunt aliqua quae sunt determinativa essentiae speciei : quia ipsa natura speciei non individuatur per materiam, sed per seipsam, ex hoc quod talis forma non est nata recipi in aliqua materia : unde per seipsam non est multiplicabilis, neque praedicabilis de pluribus. Sed *quia non est suum esse,* accidit ei aliquid praeter rationem speciei, scilicet *ipsum esse,* et alia quae attribuuntur supposito et non naturae. Propter quod suppositum (etiam) in eis *non est omnino idem cum natura* „. (*Quodl.* 2° a. 4.).

361. Probatur 5ª pars. — *Tamen suppositum formaliter sumptum dici non debet distingui realiter a natura.* — Quamvis enim suppositum formaliter sumptum includat *esse* quod realiter distinguitur a natura, tamen includit ipsam naturam : comparatur ideo ad naturam ut totum ad partem. Atqui ut demonstravimus [n. 295] *totum* dici non debet *realiter distingui a parte,* hoc ipso quod in toto iam includitur pars, nihil autem realiter distinguitur a seipso vel ab eo, quod includitur in seipso. Ergo suppositum formaliter sumptum dici non debet realiter distingui a natura singulari.

362. Nota. — Quidam contendunt quod suppositum distinguatur realiter *inadaequate* a natura : sed, ut iam demonstravimus, distinctio inadaequata proprie non est realis. Si quis autem intelligeret distinctionem istam realem inadaequatam hoc modo quod totum, non quidem ratione sui, sed *ratione illius partis* quam realiter addit supra aliam partem, realiter distinguitur ab ipsa, recte intelligeret. Tamen notamus, quod hoc modo distinctio *realis* non est proprie inter totum et partem sed inter partem et partem : in casu autem nihil aliud importaret nisi quod *esse,* quod includitur in supposito, realiter distinguitur a natura, quod quidem est praeter quaestionem : quaerimus enim utrum *suppositum ipsum* realiter distinguatur a natura. Praeterea notamus quod talis modus dicendi aptus non esset ad explicandum quomodo in corporalibus suppositum ipsum *denominative* sumptum differat *secundum rem* a natura. Patet enim quod suppositum denominative sumptum non includit in se aliquid quod realiter distinguatur a natura et ratione cuius et ipsum dici debeat realiter inadaequate distingui : notae enim individuantes

non distinguuntur realiter a natura. Unde talis modus dicendi non omnino aptus esse videtur.

363. Probatur 6ª pars. — *Quare suppositum et natura nunquam dicenda sunt differre realiter ut duo realiter differentia.* — Sequitur ex praedictis. Nam, ut vidimus, differentia realis, quae viget inter suppositum et naturam, sive sumatur suppositum *denominative* sive *formaliter*, non est differentia *realis* simpliciter dicta seu *perfecta:* non est enim realis secundum utramque notam importatam a differentia, quae est *distinctio* in *substantia,* nempe et secundum *distinctionem* et secundum *substantiam* seu essentiam. Agitur enim in utroque casu de ratione aliqua *reali* quidem, at non *realiter addita* super aliam, ideoque non distincta realiter ab ipsa nec componente realiter cum ipsa. — Nam, 1° cum agitur de supposito denominative sumpto, omnino patet quod individuum non est *ratio realiter addita* supra naturam, hoc ipso quod natura includitur in ipso, et tamen est ratio quaedam *realis*, et semel facta per intellectum distinctione inter has duas rationes, utraque apparet *realis,* quamvis una non distinguatur realiter ab alia. Imo, agendo de supposito denominativo, non solum ipsum non est realiter additum supra naturam, sed neque illud, quod tale suppositum (nempe individuum) includit praeter naturam, est realiter *additum ipsi:* non enim notae individuantes realiter distinguuntur a natura: non ergo tale suppositum comparatur ad naturam ut *totum reale,* seu totum *realiter compositum,* quamvis et suppositum ipsum et natura sint rationes *reales.* 2° Si vero agitur de supposito formaliter sumpto, fatemur quod ipsum includit in se aliquid realiter distinctum a natura, nempe *esse,* unde haberi debet ut *totum reale, realiter compositum:* attamen, cum comparatio instituatur inter *totum* et *partem,* adhuc suppositum dici non debet *realiter distingui* a natura, ut ostensum est, nec *realiter additum* ipsi, nec *componere realiter* cum ipsa (quae omnia sibi aequivalent), quamvis etiam hic ratio suppositi sit manifeste ratio *realis,* sicut *realis* est ratio naturae.

Ergo, sive agatur de supposito denominative sumpto in comparatione cum natura speciei, sive de supposito formaliter sumpto in comparatione cum natura singulari, invenimus *diffe-*

rentiam quandam realem absque distinctione reali, seu differentiam *realem secundum quid.* Atqui, iuxta ea quae statuta sunt [n. 292], in hoc casu ea quae differunt, dici non debent differre ut *plura realiter differentia: pluralitas* enim *realis* manifeste importat realem distinctionem, et iterum praedicatum *differens* (adiective) manifeste importat relationem: *plura* ergo *differentia realiter,* sunt plura habentia realem relationem: sed relatio realis haberi non potest inter terminos non realiter distinctos. Cum ergo suppositum et natura realiter non distinguantur, numquam dici debent differre *ut plura differentia.*

364. Nota. 1° Hinc vide quam accurata sit locutio S. Thomae, qui numquam dicit suppositum et naturam esse duo *realiter differentia,* sicut nunquam dicit esse *duo realiter distincta,* sed dicit quod *non est omnino idem (idem* autem, ut vidimus, opponitur *differenti) secundum rem,* vel *differt secundum rem* suppositum a natura.

Nota. 2° Hinc si ponitur aliqua natura in ordine reali, quam suum proprium esse naturaliter consequitur, illa eadem natura hoc ipso erit suppositum formatum. Sed si per assumptionem ad esse nobilius Personae Divinae impeditur quominus talis natura proprium esse naturale recipiat, tunc illa natura non erit suppositum creatum, sed habebitur una persona subsistens in duabus naturis. Quod si illa creata natura relinqueretur a Persona divina, tunc haberet proprium esse consequens naturaliter naturam illam, et constitueretur formaliter suppositum creatum subsistens in illa natura. „ Esse proprie et vere non attribuitur nisi rei per se subsistenti... Quia ergo in Christo ponimus unam rem subsistentem tantum, ad cuius integritatem concurrit etiam humanitas, quia unum suppositum est utriusque naturae, ideo oportet dicere quod *esse* substantiale quod proprie attribuitur supposito, in Christo est unum tantum: habet enim unitatem ex ipso supposito et non ex naturis. Si tamen ponatur Humanitas a Divinitate separari, tunc Humanitas suum *esse* habebit, aliud ab *esse* divino. Non enim impediebat quin proprium esse haberet, nisi hoc quod non erat per se subsistens „. (*Quodl.* 9. a. 3.: cf. 3. p. q. 17. a. 2.): et iterum: „ In puris hominibus ex unione animae ad corpus constituitur per-

sona: sed hoc ideo in puris hominibus accidit quia anima et corpus sic in eis coniunguntur, ut *per se existant.* Sed in Christo uniuntur ad invicem ut adiuncta alteri principaliori, quod subsistit in natura ex eis composita. Praeterea ex unione animae et corporis in Christo non constituitur nova hypostasis seu persona, sed advenit ipsum coniunctum personae seu hypostasi praeexistenti. Nec per hoc sequitur quod sit minoris efficaciae unio animae et corporis in Christo quam in nobis, quia ipsa conjunctio ad nobilius, non adimit virtutem aut dignitatem sed auget. Sicut anima sensitiva in animalibus constituit speciem, quia consideratur ut ultima forma, non autem in hominibus, quamvis in nobis sit virtuosior et nobilior: et hoc propter adiunctionem ulterioris et nobilioris perfectionis, scilicet animae rationalis „. (3. p. q. 2. a. 5. ad 1[m]).

365. Obiectiones. — **Ob. 1[a].** S. Th. (q. IX. *de Pot.* a. 1.) ait: " hoc quod est in substantia particulari *praeter naturam communem* est materia individualis, quae est singularitatis principium, et per consequens accidentia individuantia, quae materiam praedictam determinant „. Ergo secundum S. Th. natura communis est distincta realiter a singularibus.

Resp. *C. text.* et *D. sens.* Et sensus est quod materia individualis et accidentia individuantia aliquid addant super rationem communem *C. sens. ;* quod realiter distinguantur inter se *N. sens.* — *N.C.* vel *D.C.* ut supra. — "Animal commune vel homo communis *non est aliqua substantia in rerum natura.* Sed hanc communitatem habet forma animalis vel hominis *secundum quod est in intellectu,* qui unam formam accipit ut multis communem, inquantum abstrahit eam ab omnibus individuantibus „ VII. *Met.* l. 13. Unde patet quod *pluralitas* harum rationum non habetur nisi consequenter ad operationem intellectus. Porro quando pluralitas, quaecumque denique sit, non exsurgit nisi consequenter ad opus intellectus, *semper distinctio est rationis* et *nullo modo realis.*

Ob. 2[a]. " Si essentia realiter non distingueretur a principiis individuantibus, in suo conceptu et absolute considerata diceret unitatem realis individuationis, ideoque unitatem numeralem. Iamvero essentia rerum materialium in suo conceptu

seu absolute considerata, non dicit unitatem neque pluralitatem numeralem. Ergo ..... „ (P. De Maria ubi supra — arg. I°).

Resp. *D.M.* Si essentia realiter *non differret* a principiis individuantibus, ipsa absolute importaret unitatem numeralem *C. seq. M.;* si *non distinguitur realiter N. seq. M. — C.m. — D.C. ut in Mai.*

Ob. 3ª. " Essentia identificata cum principiis individuantibus potest in abstracto praedicari de subiecto singulari, quia cum illo unum idemque est. Atqui in substantiis compositis, essentia non praedicatur in abstracto de subiecto singulari, ideoque dici nequit — *Petrus est sua humanitas.* — Ergo „. (P. De Maria ubi supra — arg. II°).

Resp. *D.M.* Essentia *identificata,* ideoque *non differens realiter* a principiis individuationis, praedicatur in abstracto de singulari *C.M.;* essentia *indistincta realiter,* at *differens realiter* a principiis individuationis praedicatur in abstracto de singulari *N.M. - C.m. - D.C. ut in Mai.* — Ut praemonuimus, *identitas* opponitur *differentiae:* porro differentia realis quamvis secundum quid dicta, quae vigeat inter duo, sufficit ut unum non praedicetur de alio per identitatem: porro individuum in natura corporea *differt secundum rem* a natura speciei: addit enim, quamvis *non realiter,* notas quasdam *reales* super illam: unde comparatur ad illam ut totum, (quamvis *non compositum realiter*) ad partem: hoc autem manifeste sufficit ut non possit natura praedicari de individuo: nunquam enim pars praedicatur de toto, quamvis pars, *ut talis* non distinguatur realiter a toto.

Ob. 4ª. " Illud unde Socrates est homo, multis communicari potest: sed *id unde est hic homo* non potest communicari nisi uni tantum. Si ergo Socrates per id esset homo, per quod est hic homo, sicut non possunt esse plures Socrates, ita non possent esse plures homines „. (I. p. q. 11. a. 5.). Ergo manifeste S. Thomas assignat tanquam rationem multiplicationis numericae distinctionem inter naturam et principia individuantia, quae non potest esse nisi independens a nostro intellectu, utpote causans pluralitatem independentem a nostro intellectu. (Ita De Maria ubi sup. — arg. III°).

Resp. Ex illo pulcherrimo testimonio S. Thomae non evincitur nisi *realis differentia* inter naturam et individuum. Nam profecto id, quod addit individuum supra naturam, est aliquid *reale,* ut dictum est: quamvis autem in hoc homine realiter non distinguatur *hic homo* et *homo,* sicut nec realiter distinguuntur principia quibus est *homo* et principia quibus est *hic homo,* quasi per aliqua principia Socrates sit *homo,* et per alia realiter in ipso distincta, sit *hic homo,* tamen ratio *humanitatis* non est ratio *haecceitatis,* et ita quidem ut si Socrates esset homo per ipsam rationem *humanitatis ut sic,* prouti accipitur ab intellectu distincta ab haecceitate, certe impossibile esset quod invenirentur plures homines, sicut impossibile est quod inveniantur plures Socrates. Eodem modo, quamvis *haec albedo* non distinguatur realiter ab *albedine,* tamen si existeret *ipsa albedo,* sicut existit *haec albedo,* non possent inveniri plures albedines. Unde neque est verum quod S. Doctor assignat tanquam rationem multiplicationis numericae, distinctionem realem inter naturam et principia individuantia: sed ratio multiplicationis numericae est receptio actus substantialis in potentia seu materia, quod est quidem per realem distinctionem et compositionem: ex hac autem receptione formae in materia, statim sequitur *haecceitas* (ut vidimus ubi *de principio individuationis*) in natura *communi,* quae tamen natura communis non existit ut distincta ab hac natura, nec accipi potest ut distincta nisi per intellectum: quamvis semel facta per intellectum distinctione, *haec natura* est ratio quaedam *realis* et non est idem cum *natura,* hoc ipso quod addit supra ipsam aliquid *reale* (notas nempe individuantes) non tamen *realiter* distinctum. *Haec natura* ergo differt *secundum rem* a natura: non est omnino idem ac ipsa: et hoc sufficit ut recte dicere possim quod non per *idem,* nempe non per eamdem realitatem Socrates est homo, et est hic homo.

Ob. 5ª. " Non admissa reali distinctione inter quidditatem materialem et principia individuantia, nulla probabilis ratio afferri potest quamobrem obiectum proprium intellectus nostri sit quidditas universalis et non singularis, cum in illa hypothesi res in se et absolute considerata esset singularis, et in suo conceptu quidditativo singularitatem includeret. Atqui obiectum

proprium intellectus nostri est quidditas universalis et non singularis. Ergo „. (De Maria ubi supra — arg. IV°).

Resp. *N. Assertum: ad rat. ad.: D. 1. p.* Res, in illa hypothesi in se et a parte rei considerata esset singularis, et ideo alio modo est in se, nempe a parte rei et alio modo in intellectu *C.;* quia existit in re ut singularis, non potest accipi ab intellectu ut universalis *N.* — *D. 2. p.* In suo conceptu quidditativo singularitatem includit, nempe quidditas ipsa, ut existens a parte rei est singularis *C.;* non potest accipi per intellectum ipsa quidditas in praecisione a singularitate quam habet a parte rei *N.* — *Cdm.* Obiectum proprium intellectus est quidditas ipsa quae evadit universalis per abstractionem intellectus *C.m.:* est quidditas existens ut universalis a parte rei *N.m.* — *N.C.* — Solutio patet ex his quae diximus de universalibus. Universale enim materiale est *reale* non quatenus inveniatur a parte rei extra intellectum aliqua forma universalis, neque quatenus natura *prout existens* a parte rei, apta sit accipere intentionem universalitatis. Nam, ut saepe diximus cum S. Thoma, subiectum universalitatis non est nisi natura prout existens ut *conceptus obiectivus in intellectu:* " hanc *communitatem* (intentionem nempe universalitatis) habet forma animalis vel hominis *secundum quod est in intellectu,* qui unam formam accipit ut multis communem, inquantum abstrahit eam ab omnibus individuantibus „. *Met.* VII l. 13. Ex hoc autem quod dicimus conceptum *obiectivum* esse *ipsam rem,* falso omnino quis existimaret talem conceptum respicere rem ut est a parte rei, et non *secundum quod est in intellectu:* sed dicimus conceptum obiectivum esse ipsam rem, eo modo quo dicimus imaginem quae est in speculo esse ipsam rem: quod quidem omnes intelligunt de re ipsa mere secundum *esse repraesentativum.* — Quod ut melius intelligas, considera differentiam inter conceptum *formalem* et conceptum *obiectivum:* conceptus formalis est ipsa species quae est in intellectu considerata secundum suum esse *physicum* qualitatis nempe talis vel talis rationis: conceptus obiectivus e contra est ipsa species, *formaliter ut repraesentativa,* seu prouti est *res ipsa intentionaliter.* Quia ergo res, quae est extra intellectum, omnino respondet repraesentationi intellectus, dicimus

universale materiale esse in re, esse *reale:* quia vero repraesentatio rei *non est nisi in intellectu,* et *nullo modo in ipsa re,* dicimus conceptum obiectivum esse in intellectu, et nonnisi in intellectu, si accipiatur praecise *ut conceptus:* eodem modo *res repraesentata* in speculo est ipsa *res,* quae est extra ipsum speculum, et tamen, praecise ut repraesentata, non est nisi in speculo. Quae quidem consideratio est magni momenti: quamvis enim res, quae intelligitur sit extra intellectum, et pro tanto universale materiale sit *reale,* tamen modus, quo res est in statu repraesentativo, seu, ut *conceptus obiectivus in intellectu,* non est idem ac modus quo res est in seipsa; nam, ut audivimus a S. Thoma " *secundum quod est in intellectu* (forma hominis vel animalis) intellectus *eam abstrahit ab omnibus individuantibus „ et ideo* tribuere ipsi potest intentionem universalitatis. Deceptio ergo videtur oriri ex hoc, quod quidam putent abstractionem a notis individuantibus pertinere *tantum* ad conceptum formalem, non vero ad *conceptum obiectivum:* sed si adverterent talem abstractionem pertinere ad ipsum *conceptum obiectivum,* nullam haberent difficultatem in intelligendo quod conceptus obiectivus sit res, *ut repraesentata,* seu, *secundum esse repraesentativum ;* seu, ut dicit ipsa vox, sit *res, ut existens obiective in intellectu: — conceptus* — enim dicit aliquid pertinens ad intellectum et existens in intellectu, quamvis illud additum — *obiectivus* — denotet id quod est in intellectu non secundum esse *physicum,* (qualitatis, speciei etc.) sed *mere secundum esse repraesentativum.* Patet ergo quod ex hoc quod quidditas rei, ut existens extra intellectum, sit *singularis,* nullo modo sequitur obiectum proprium intellectus nostri esse singulare, et non universale.

Ob. 6[a]. Formam consequitur esse. Atqui differentia realis dicitur importare distinctionem in essentia seu forma. Ergo differentia realis importat quoque distinctionem in esse. — Sed distinctio in esse, est distinctio realis. Ergo differentia realis semper importat realem distinctionem, et ideo impossibile est quod suppositum differat secundum rem a natura quin ab ipsa realiter quoque distinguatur.

Resp. *D.M.* Formam secundum se realiter distinctam ab aliis formis, sequitur esse distinctum *C.M.;* formas per intel-

lectum distinctas in una eademque re sequitur multiplex esse distinctum *N.M.* — *D.m.* Differentia realis importat distinctionem in forma, non tamen de necessitate distinctionem *realem* in formis, seu importat formas, nempe rationes, *reales* quidem in ratione quidditativa, non vero reales in ratione *distinctionis C.m.;* importat semper distinctionem *realem in formis,* nempe plures formas realiter distinctas *N.m.* — *D.C.* Quandoque *C.C.:* semper de necessitate *N.C.* — *C.m. subs.* (dummodo agatur de esse existentiae) — *N.U.C.* — Manifeste duae formae, seu rationes essentiales, quae habeant esse distinctum independenter ab intellectu, realiter quoque distinguuntur: sed quando non habent esse distinctum, nisi consequenter ad acceptionem intellectus, patet quod non distinguuntur realiter, quamvis inter ipsas attendi possit *realis differentia,* iuxta ea, quae dicta sunt.

Ob. 7ª. Differentia realis est carentia identitatis realis. Atqui contradictorium est in terminis ponere in *eodem realiter,* carentiam identitatis realis. Ergo contradictorium est in terminis ponere in *eodem realiter,* nempe in eo, in quo nulla est realis distinctio, differentiam realem: ideoque, si suppositum differt a natura secundum rem, multo magis distinguitur ab ipsa realiter.

Resp. *C.M.* — *D.m.* Contradictorium est in terminis ponere in eo, quod est *idem* secundum rem, carentiam identitatis realis *C.m.;* ponere in eo, quod est *unum* secundum rem, *non vero omnino idem secundum rem,* carentiam identitatis realis *N.m.* — *D.C.* Contradictorium est in terminis ponere in *eodem realiter* nempe in eo, in quo nulla est realis differentia, differentiam realem *C.C.;* ponere in *uno* realiter, nempe in eo, in quo nulla est realis distinctio, realem differentiam *Sbd.:* differentiam realem perfectam et simpliciter dictam *C.C.;* imperfectam, nempe secundum quid dictam *N.C.* — *N.U.C.* — S. Thomas dicit quod hoc ipso, quod suppositum differt secundum rem a natura, *non est omnino idem* secundum rem cum ipsa: nunquam autem dicit quod non est *omnino unum* secundum rem cum ipsa. Quamvis autem identitas sit quaedam unitas, nempe *unitas in substantia,* nihil prohibet in eo, quod est *plura,* tantum secundum rationem, inveniri differentiam *realem* secundum quid: ad hoc sufficit ut

distinctio rationis cadat super rationes *reales,* et non mere super rationes confictas ab intellectu. Unde certe cum distinctio latius pateat quam differentia, ubicumque datur differentia, datur quoque distinctio et non viceversa (ut patet in Personis SS. Trinitatis quae distinguuntur et non differunt): at ubi datur differentia *realis,* non de necessitate datur distinctio realis; potest enim sufficere distinctio rationis. — Tamen, ut saepe dictum est, quando differentia realis attenditur in eo, quod est indistinctum realiter, seu, quod est *unum* secundum rem, talis differentia, nullo modo ponit *pluralitatem realem differentium* seu pluralitatem *differentium realiter:* hoc enim manifeste involveret contradictionem, unitatem nempe et pluralitatem realem eiusdem, sed ponit tantum quod non est omnino idem, seu, differt secundum rem unum et aliud. — Hoc autem manifestissime patet quando agitur de toto et parte. Totum enim non distinguitur realiter a parte: cum enim additio realiter facta, compositio realis, atque distinctio realis, mutuo sibi respondeant, quando unum distinguitur realiter ab alio, *addit realiter* super illud, et *componit realiter* cum illo. Porro est omnino evidens quod nunquam totum *additur realiter* supra partem: puta nullo modo tota linea *AB* est dicenda *addi realiter* supra lineam *DB:*

patet enim, quod quando aliquid additur realiter super aliud, id quod resultat ex additione, maius est singulis addendis: quare si *AB* adderetur realiter supra *DB,* id quod resultaret, nempe *AB,* maius esset, non tantum quam *DB,* sed etiam quam *AB,* nempe maius esset seipso, quod est omnino falsum. Item non potest dici quod *AB componit realiter* cum *DB*, quia singula, quae componunt realiter aliquid, idem non sunt realiter cum ipso: porro *AB,* quod in casu esset unum ex componentibus, est idem realiter ac ipsum compositum, nempe *AB:* unde absurdum est dicere, quod *AB* componat realiter cum *DB.* Ergo absurdum est dicere, quod *AB* distinguatur realiter a *DB:* distinctio enim realis respondet compositioni reali, atque additioni realiter

factae. Ubi ergo nulla est additio realis vel nulla compositio realis, nulla quoque est distinctio realis. — Tamen manifestum quoque est quod tota linea *AB* profecto non est idem et quidem non est idem *realiter* cum linea *DB:* aliud enim secundum rem est accipere totam lineam *AB* et aliud est sumere fragmentum *DB;* aliud secundum rem est manducare totum panem, aliud manducare dimidiam partem ipsius. Datur ergo differentia realis ubi nulla datur distinctio realis. Quamvis ergo distinctio ista inter differentiam realem et distinctionem realem, prima fronte videri possit inepta subtilitas, tamen attentius consideranti apparet omnino conformis communi modo dicendi: quod quidem maximum est argumentum veritatis.

THESIS III.ª — Hinc suppositum et persona dici non debent constitui per aliquid negativum.

366. Praenotandum. — Scotus opinatur suppositum addere supra naturam tantum negationem duplicis dependentiae: dependentiae scilicet *aptitudinalis,* quam semper retinet anima rationalis, et *actualis,* qualis invenitur in Humanitate Christi. Scotum sequuntur Card. Franzelin et multi moderni, secundum quos natura integra et perfecta constituitur in ratione personae per hoc quod *non sumitur* a nobiliori supposito; si autem uniatur, tunc non est amplius suppositum. Unde natura et suppositum in creatis non differunt nisi ratione (Franzelin: *de Verbo Inc.* Th. 30).

Tiphanius ponit formalem rationem suppositi in hoc quod aliquid est *totum in se,* sed ratio ista totius in se salvatur per hoc, quod natura singularis integra *non assumatur* a nobiliori hypostasi: si enim assumitur retinendo omnia, quae prius habebat et quibus constituebatur suppositum, iam hoc ipso decidit a ratione suppositi: unde patet quod quantum ad rem, opinio Tiphanii coincidit cum opinione Scoti.

367. Probatur. — 1º Nulla natura potest assumi a nobiliori supposito, nisi adhuc possit cum ipso constituere unum per se subsistens. Atqui impossibile est quod id quod habet suum esse ideoque subsistit, immutatum manens uniatur alteri ita ut constituat cum ipso unum per se subsistens: et hoc quidem impossibile est absolute atque intrinsece, utpote involvens intrinsecam repugnantiam — quod unum nempe simul sit duo.

— Ergo impossibile est quod natura completa habens proprium esse assumatur a nobiliori supposito. Atqui si impossibile est quod natura completa et integra habens suum esse, assumatur a nobiliori supposito, iam impossibile quoque est quod talis natura constituatur intrinsece suppositum per negationem talis assumptionis. Missa enim nunc absurditate quod aliquid constituatur in sua ratione maxime positiva per aliquid negativum, adhuc magis manifeste repugnat quod constituatur tale per negationem alicuius quod intrinsece absurdum est.

2° Quod sine ulla mutatione est assumptibile ab alio in unitatem hypostasis, non debet esse completum in linea subsistentis : quod enim est completum in linea subsistentis, si uniatur alteri subsistenti, non unitur nisi accidentaliter, et nullo modo ita ut resultare possit unum per se subsistens. Atqui id quod constituitur suppositum per negationem actualis assumptionis, deberet esse assumptibile ab ipso: ergo non deberet esse completum in linea subsistentis, seu non *subsistens :* ergo quod tale est, deberet esse simul subsistens et non subsistens, suppositum et non suppositum : subsistens nempe, seu suppositum quia hoc statuitur : non subsistens vero et non suppositum quia adhuc est assumptibile, ideoque necessario incompletum est in linea subsistentis [1]).

368. Obiectiones. — Ob. 1ª. Dicit S. Th. : " Naturae assum-

---

[1]) Cf. Billot. *De Verbo Inc.* Q. II. - Patet autem quod hoc modo dicendi non explicatur, imo vero destruitur ipsa unio hypostatica. Nam omnis negatio fundatur in aliquo positivo : unde in omni unitate oportet invenire aliquid positivum in quo fundatur indivisio : si agitur de unitate simplicitatis, positivum illud est ipsa entitas simplicis : si est unitas compositionis, est aliquis actus in quo unita communicant : sicut anima et corpus quae sunt *unum per se* communicant in perfectione unius eiusdemque naturae substantialis, substantia et accidens quae sunt *unum per accidens* communicant in eodem *esse secundum quid*, et lapides in domo communicant in eadem forma domus, quae nihil aliud est quam dispositio et ordo. - Porro in sententia Scoti, Humanitas et Verbum dicuntur unita quin in aliquo positivo communicent, sed " *ratio cur sint unum, est quia indivisa sunt, et ratio cur indivisa sunt est quia divisa non sunt* ". — Patet ergo quod hoc modo dicendi non explicatur, sed revera destruitur ipsa unio hypostatica. (Billot, q. II. § Iª).

ptae non deest propria personalitas propter defectum alicuius quod ad perfectionem humanae naturae pertineat, sed propter additionem alicuius quod est supra humanam naturam, quod est unio ad divinam Personam „. (3. p. q. 4. a. 2. ad 2m). — Ergo manifeste ratio suppositi constituitur non per aliquid positivum sed per meram negationem assumptionis.

Resp. Et sensus est quod natura assumpta non est persona, non quia ipsi desit aliquid quod pertineat ad perfectionem ipsius naturae in *ratione naturae:* tota enim et completa atque individua humana natura non habet propriam personalitatem, quia *per additionem alicuius* quod est supra humanam naturam, iam non potuit habere proprium *esse,* quod est complementum naturae *in linea subsistentis* [1]).

Ob. 2a. " Ex hoc ipso quod compositum ex anima et corpore non adiungitur alteri subsistenti, sequitur quod coniunctum sit homo: unde si Christus humanam naturam, quam assumpsit, deponeret, ex hoc ipso esset homo illud coniunctum ex duabus naturis „. (3. D. q. 1. a. 2. ad 5m).

Resp. Coniunctum esset homo, si Verbum deponeret humanam naturam, quia hoc ipso oporteret dari in coniuncto proprius actus essendi, qui impediebatur propter unionem ad divinam Personam: non ergo negatio unionis, sed illud positivum, quod consequeretur talem negationem seu cessationem unionis, constitueret humanitatem in esse hypostasis [2]). *Ibid.* in corp. docet S. Th. quod Humanitas assumpta non habet esse completum quia " quod habet esse completum in quo subsistit, non potest uniri alteri nisi tribus modis: vel *accidentaliter,* ut tunica homini...: vel *per modum aggregationis,* sicut lapis lapidi in acervo: vel aliquo *accidente,* sicut homo unitur Deo per amorem vel gratiam „.

THESIS IV.a — 1o **Suppositum non constituitur in sua ratione per modum substantialem, sive hic ponatur terminare ipsam naturam et ipsam reddere susceptivam actus essendi; sive dicatur advenire naturae iam actuatae per esse.**

369. Praenotandum. — Primus inventor modorum sub-

---

[1]) Cf. Billot, *ibid.*
[2]) Cf. Billot, *ibid.*

stantialium fuit Caietanus [1]), qui requirit ad constitutionem suppositi in creatis modum realiter distinctum a natura et ab esse, per quem substantia singularis fit incommunicabilis, ultimo terminata, et ideo susceptiva proprii actus essendi: requiritur autem *esse* ad constitutionem suppositi tamquam aliquod consectarium, quia impossibile est quod *esse* proprium non consequatur substantiam tali modalitate affectam. Unde Humanitas Christi non esset persona, non formaliter quia careat *esse proprio,* sed quia caret praedicto modo.

Suarez, et plures alii, qui ipsum sequuntur, conveniunt cum Caietano in hoc quod putant personalitatem constitui per modum substantialem, sed quia identificant essentiam cum esse, necesse est ut dicant talem modum supervenire enti in suo esse substiantiali iam constituto, quod quidem adhuc magis inconveniens esse apparet. (Cf. Billot. *De Verb. Inc.* q. II.).

370. Probatur 1ª pars. — *Suppositum non constituitur per modum substantialem terminantem naturam et ipsam constituentem susceptivam actus essendi.* 1° Substantia creata singularis fit incommunicabilis hoc ipso quod recipit suum esse: nam si habet esse, cum esse sit ultimus actus, non potest ulterius actuari, ergo non habet communicabilitatem *passivam :* ex alia parte, cum esse sit receptum, limitatur a potentia in qua recipitur, ipsi proportionatur et ideo non potest amplius actuare aliam potentiam, seu non habet communicabilitatem *activam.* Frustra ergo inventus est modus substantialis ut substantia reddatur incommunicabilis.

2° Iterum frustra adhibetur modus substantialis ut substantia concipiatur proprium susceptivum actus essendi: nam forma sequitur esse: gratis autem asseritur aliquid aliud requiri ut aliquid possit suscipere actum essendi.

3° Terminus purus nihil positivum est praeter rem ipsam terminatam. Atqui secundum Caietanum, talis modus " non solum est extra genera causarum extrinsecarum, sed etiam extra

---

[1]) Vasquez, fatetur talem modum " numquam fortasse venisse in mentem Sanctis Patribus, eumque scholastica disputatione, non multum abhinc annis *inventum esse* „. (*Disp.* 41 in 3 P.).

causas intrinsecas, quoniam nec in genere causae formalis, nec in genere causae materialis se habet ad naturam, sed ut *terminus* eius „. (In III. p. q. 17. a. 2. ad 1m). Ergo talis modus nihil est praeter rem ipsam terminatam, et nihil reale addit supra illam, seu non est nisi figmentum rationis [1]).

Probatur 2a pars. — *Multo minus suppositum constituitur per modum substantialem, qui dicatur advenire naturae iam actuatae per esse.* — Quidquid advenit rei post esse substantiale, accidentaliter advenit, nisi trahatur in communionem huius esse substantialis: (quod quidem impossibile est si esse identificatur cum essentia). Atqui modus praedictus advenit rei iam ultimo constitutae in suo esse substantiali. Ergo praeter hoc quod impossibile est, secundum S. Thomam, quod adveniat ipsi rei (*esse* enim non potest ulterius actuari), dato quod adveniret, *accidentaliter* adveniret et quidem secundum *accidens praedicamentale*, adeoque esset simul *substantialis* et *non substantialis:* quod omnino repugnat.

Patet ergo quod frustra, seposita vera doctrina S. Thomae circa distinctionem realem inter essentiam et existentiam, nova systemata pro explicatione Dogmatum fidei in medium afferuntur.

QUAESTIO TERTIA.

De Accidente in genere.

THESIS I.a — Accidens praedicamentale bene definitur: "ens in alio„ vel "entis ens„ ita tamen ut intelligatur: "Res seu quidditas cui competit habere esse in alio tamquam in subiecto„. (Cfr. S. Th. 4. Dist. 12. q. I. a. 1. Sol. 1. ad 2m).

371. Probatur 1a pars. — *Ens in alio.*

Illud dicimus accidens quod inest subiecto, et tamen non est ipsum subiectum; scilicet accidens praedicamentale dicitur

---

[1]) Billot, *(ibid.)*.

illa perfectio — quaecumque, demum sit — quae ad modum formae advenientis seu inhaerentis subiecto iam constituto in suo esse simpliciter, solummodo ei confert esse secundum quid. Atqui huiusmodi modus essendi bene notificatur, seu bene definitur " ens in alio „ vel " ens in subiecto „ vel " entis ens „. Ergo etc.

Probatur 2ª pars. — *Res cui competit habere esse in alio tamquam in subiecto.*

Si " esse „ seu " existentia „ esset de essentia substantiae vel accidentis, omnino patet quod definitio propria substantiae esset sine ullo addito vel expresso vel subintellecto: " Ens quod per se subsistit non in subiecto „ vel " Ens per se sine subiecto „ et non " Res cuius quidditati seu essentiae competit habere esse non in subiecto „ et definitio accidentis esset " Ens in subiecto „ vel " Ens in alio „ vel " Entis ens „ et non " Res cuius quidditati seu essentiae competit habere esse in subiecto „. Sed hoc quod est " esse „ non potest esse de essentia substantiae vel accidentis vel cuiuscumque creaturae. Ergo definitio propria substantiae est: " Res cuius quidditati seu essentiae competit habere esse non in subiecto „ et non: " Ens quod per se subsistit non in subiecto „ vel " Ens per se sine subiecto „ nisi subintelligatur " esse „ distinctum realiter ab essentia; et definitio propria accidentis est: " Res cuius quidditati seu essentiae competit habere esse in subiecto „ et non " Ens in subiecto „ vel " Ens in alio „ nisi subintelligatur existentiam esse realiter distinctam ab essentia. (Cfr. S. Th. C. G. l. 1. cap. 25).

Probatur minor. — Si " esse „ esset de essentia vel substantiae vel accidentis, substantia et accidens essent ipsum *esse subsistens,* ac proinde essent aeterna, increata, immutabilia etc., quod absurdum est. Ergo etc.

Hinc S. Th. III. p. q. 77. a. 1. ad 2m ait: " Cum ens non sit genus, hoc ipsum quod est " esse „ non potest esse essentia substantiae vel accidentis. Non est ergo definitio substantiae, ens per se sine subiecto, nec definitio accidentis, ens in subiecto; sed quidditati seu essentiae substantiae competit habere esse in subiecto, quidditati autem sive essentiae accidentis competit

habere esse in subiecto. In hoc autem Sacramento non datur accidentibus quod ex vi suae essentiae non sint in subiecto, sed ex divina virtute sustentante, et ideo non desinunt esse accidentia, quia nec separatur ab eis definitio accidentis, quae *est aptitudo ad subiectum*, quae semper manet in eis, non *actualis inhaerentia*, nec competit eis definitio substantiae „.

372. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Ens est praedicatum omnibus essentiale. Ergo ens est saltem genus, et esse est de essentia substantiae et accidentis. Ergo definitio propria substantiae est " *Ens per se sine subiecto* „ et definitio propria accidentis " *Ens in alio* „ quin aliquid sit subintelligendum.

Resp. *D. Ant.* Ens est praedicatum omnibus essentiale, quia non est accidens respectu eius, de quo praedicatur, et significat ipsam essentiam licet non determinate, sed ut potentiam ad esse *C.A.*; significat ipsam essentiam determinate *N.A.*

Ob. 2ª. In thesi 1ª de ente dicitur quod significat essentiam. Ergo ut prius.

Resp. *D.A.* Significat essentiam h. e. naturam quamlibet in quantum pertinet ad ordinem essendi *C.A.*; per modum absoluti *N.A.* — *N.C.*

THESIS II.ª — **Accidens neque rationem completae essentiae habet, neque pars completae essentiae est, sed sicut est ens secundum quid, ita et essentiam secundum quid habet.**

373. Probatur. — Audiatur S. Th. (*De Ente et Essentia* c. 7): " Quia essentia per definitionem significatur, oportet quod eo modo habeant accidentia essentiam, quo habent definitionem. Definitionem autem habent incompletam, quia non possunt definiri nisi ponatur subiectum in eorum definitione, et hoc ideo est, quia non habent in se esse absolutum per se a subiecto: sed, sicut ex forma et materia relinquitur esse substantiale quando componitur, ita ex accidente et subiecto relinquitur esse accidentale, quando accidens subiecto advenit. Et ideo etiam nec forma substantialis completam essentiam habet, nec materia, quia in definitione formae substantialis oportet quod ponatur illud cuius est forma, et ita definitio eius est per

additionem alicuius, quod extra eius genus est, sicut et definitio formae accidentalis, ut etiam in definitione animae ponitur corpus a Naturali, qui considerat animam solum in quantum est forma physici corporis. Sed tamen inter formas substantiales et accidentales tantum interest, quia sicut forma substantialis non habet per se esse absolutum sine eo cui advenit, ita nec cui advenit, scilicet materia; et ideo ex coniunctione utriusque relinquitur illud esse in quo res per se subsistit, et ex eis efficitur unum per se, propter quod de coniunctione eorum relinquitur essentia quaedam. Unde forma, quamvis in se considerata non habeat rationem completae essentiae, tamen est pars essentiae completae. Sed illud, cui advenit accidens, est ens in se completum consistens in suo esse, quod quidem esse naturaliter praecedit accidens quod supervenit, et ideo accidens superveniens, ex coniunctione sui cum eo cui supervenit, non causat illud esse, in quo res subsistit, per quod res est ens per se, sed causat quoddam esse secundum, sine quo res subsistens intelligi potest esse, sicut primum potest intelligi sine secundo vel praedicatum sine subiecto: unde ex accidente et subiecto non fit unum per se, sed unum per accidens, et ideo ex eorum coniunctione non resultat essentia quaedam, sicut ex coniunctione formae cum materia. Ergo accidens neque rationem completae essentiae habet, neque pars completae essentiae est, sed sicut est ens secundum quid, ita et essentiam secundum quid habet „.

THESIS III.ª — In rebus creatis dantur accidentia realiter distincta a substantia.

374. Praenotandum. — Duo probanda sunt: 1º quod in rebus creatis dantur accidentia realia; 2º quod accidentia realia realiter a substantia distinguuntur.

375. Probatur 1ª pars. — 1º Illud dicimus accidens praedicamentale, quod inest subiecto, et tamen non est ipsum subiectum. Atqui quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, quae realiter dantur, sunt in rebus creatis, nec sunt ipsae illae res, de quibus praedicantur verissime. Ergo in rebus creatis dantur accidentia realia.

2º Potest probari etiam ex mutationibus, quae evidenter

contingunt in nobis et in iis quae, nos circumstant, ex iis inquam mutationibus, quae manifesto non sunt substantiales. Et omnis mutatio non substantialis per hoc est, quod subiectum acquirit actum non substantialem vel amittit; actum autem non substantialem vocamus accidentalem. — Quod accidens huiusmodi sit quid reale ex eo patet, quod res non mutantur per hoc, quod suscipiunt aliquid rationis, aut nihil prorsus suscipiunt vel amittunt.

Probatur 2ª pars. — 1º Accidentia realia se habent ad substantiam ut realis actus ad realem potentiam. Atqui actus et potentia in ordine reali accepta semper realiter distinguuntur, ut dictum est. Ergo accidentia realia realiter a substantia distinguuntur.

2º Per hoc, quod aliquid mutatur accidentaliter, non mutatur substantialiter, uti patet; quod non eveniret, si accidentia essent eadem cum substantia. Ergo.

376. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Haec omnia, quae accedunt et recedunt, sunt substantiae. Ergo.

Resp. *Nego As.* Si unica daretur substantia creata, puta anima tua, tamen mutari posset in se secundum actus, puta intellectus et voluntatis, nulla alia creata substantia existente. Hinc S. Th.: "Quidquid dicatur de potentiis animae, tamen nullus unquam opinatur quod habitus et actus animae sint ipsa eius essentia". *Q.Q. D.D. De Spir. creat* a. 11. ad 1m. Fides spes, caritas, si non essent accidentia realia, essent ipsa essentia animae, et quomodo infuderentur et amitterentur? Quid de speciebus Eucharisticis somniare necesse esset, si non darentur accidentia realia?

Ob. 2ª. Ad explicandam mutationem rerum creatarum, satis est si dicatur ipsa substantia aliter *modificari, quin* admittamus accidentia realiter ab ipsa distincta. Ergo.

Resp. Cum P. Liberatore (*Inst.* n. 115): "Qui ita obiicit vel plane iocatur, vel verba quae profert non intelligit. Nam substantiam aliter modificari, quid est aliud, quam novam modificationem suscipere? Haec autem nova modificatio vel aliquid est, vel nihil. Si nihil est, falso dicitur substantia realiter mutari; non enim realiter mutatur quod nihil amittit vel nihil

recipit. Sin vero modificatio illa est aliquid, erit ens; ens enim et aliquid convertuntur. Hoc autem ens eiusmodi est, ut in se non sit, sed subiecto inhaereat, quod immutat. Erit igitur ens alteri inhaerens, nimirum accidens. Ergo hoc ipso, quod substantia aliter modificari dicitur, admitti oportet accidentia a substantiis realiter distincta „.

THESIS IV.ª — Accidentia realia constant non solum propria essentia, sed etiam proprio esse distincto realiter ab esse substantiae, quod tamen est esse secundum quid ipsius substantiae.

377. Probatur 1ª pars. — Accidentia sunt quaedam formae. Sed ad unamquamque formam sequitur esse; ad formam substantialem esse simpliciter, ad formam accidentalem esse secundum quid, ut diximus de actu et potentia. Ergo.

Probatur 2ª pars. — I.º Cum esse proportionetur naturae uniuscuiusque, sequitur quod sicut accidens est "entis ens„ ita esse accidentis est esse secundum quid ipsius substantiae. Ergo. — Hinc S. Th. 3. p. q. 17. a. 2. ait: "..... Sicut esse album est esse Socratis, non in quantum est Socrates, sed in quantum est albus. Et huiusmodi esse nihil prohibet multiplicari in una hypostasi vel persona, aliud enim est esse, quo Socrates est albus, et quo Socrates est musicus ..... „ Et 1. 2ae, q. 55. a. 4. ad 1m "..... considerandum est quod sicut accidentia et formae non subsistentes dicuntur entia non quod ipsa habeant esse (subsistendo in se), sed quia eis aliquid est, ita etiam dicuntur bona vel una, non quidem aliqua alia bonitate vel unitate, sed quia est eis aliquid bonum vel unum ..... „ Et 3. p. q. 77. a. 1. ad 4m: "Accidentia huiusmodi (panis et vini) manente substantia panis et vini non habebant ipsa esse, sicut nec alia accidentia, sed subiecta eorum habebant huiusmodi esse per ea, sicut nix est alba per albedinem: sed post consecrationem ipsa accidentia, quae remanent, habent esse, unde sunt composita ex *esse* et *quod* est, sicut in prima parte de angelis dictum est (1. p. q. 50. a. 2. ad 3m), et cum hoc habent compositionem partium quantitativarum „.

II.º Diversorum motuum diversi sunt termini. Sed motus ad formam substantialem, — qui est generatio simpliciter, —

motus ad formam accidentalem, — qui est generatio secundum quid vel alteratio, — nequeunt esse idem motus. — Ergo nec terminus potest esse idem; terminus autem generationis simpliciter est esse simpliciter, generationis autem secundum quid, esse secundum quid. — Ergo.

THESIS V.ª — **Accidens praedicamentale ex subiecto individuationem habet, ex quo habet unitatem vel multiplicitatem.**

378. Probatur. — Non enim albedo est haec nisi quia huius subiecti, et illa quia illius subiecti. Et ratio est quia ab eodem res habet esse et unitatem vel multiplicitatem seu multitudinem; unde quia substantia habet per se esse, per se etiam habet suam unitatem et multitudinem. Quia ergo accidentia habent esse in subiecto, etiam ex subiecto suscipiunt unitatem et pluralitatem numeralem seu numericam. " Substantia, ait S. Th. 1. p. q. 29. a. 1, individuatur per seipsam; sed accidentia individuantur per subiectum, quod est substantia: dicitur enim haec albedo in quantum est in hoc subiecto „. Hinc nomina substantiva, quae significant aliquid per modum substantiae, non multiplicantur nisi ad multiplicitatem formae signatae: adiectiva vero, quia significant aliquid per modum accidentis, quod inhaeret subiecto, ex subiecto habent unitatem vel multitudinem. Cf. S. Th. 1. p. q. 39. a. 3.

THESIS VI.ª — **Accidens proprium et per se causatur a subiecto secundum quod est in actu, et in eo recipitur in quantum est in potentia; accidentis vero extranei subiectum est merum susceptivum, causa vero est agens extrinsecum.** (Cf. S. Th. 1. p. q. 77. a. 6., et *De Ente et Ess.* cap. 7).

379. Probatur 1ª pars. — Forma substantialis, ut dictum est in thesi secunda, " facit esse simpliciter, et eius subiectum est ens in potentia tantum; forma autem accidentalis non facit esse simpliciter, sed esse tale, aut tantum, aut aliquo modo se habens, subiectum enim eius est ens in actu. Unde patet quod actualitas per prius invenitur in forma substantiali quam in subiecto. Et quia primum est causa in quolibet genere, forma substantialis causat esse in actu in suo subiecto. Sed e converso actualitas per prius invenitur in subiecto formae acciden-

talis quam in forma accidentali; unde actualitas formae accidentalis causatur ab actualitate subiecti, ita quod subiectum in quantum est in potentia sit susceptivum formae accidentalis, in quantum autem est in actu sit eius productivum. Et hoc dico de proprio et per se accidente „. (S. Th. 1. p. q. 77. a. 6). Et de *Ent.* et *Essent.* cap. 7 ait: " Quia illud, quod dicitur maxime tale et verissime in quolibet genere, est causa eorum quae sunt post in illo genere, sicut ignis, qui in fine caliditatis, est causa caloris in rebus calidis, ut in secundo *Metaph.* dicitur; ideo substantia, quae est principium in genere entis maxime et verissime essentiam habens, oportet quod sit causa accidentium, quae secundario et quasi secundum quid rationem entis participant „.

380. Quaeres. — Cum essentia rerum materialium sit composita ex materia et forma, accidens proprium procedit a substantia materiali ratione materiae, vel ratione formae, vel ratione utriusque?

Respondeo: " Quaedam accidentia (propria) principaliter consequuntur formam, et quaedam materiam. Forma autem invenitur aliqua, cuius esse non dependet a materia, ut anima intellectualis; materia vero non habet esse nisi per formam, unde in accidentibus, quae sequuntur formam, est aliquid quod non habet communicationem cum materia, ut intelligere, quod non est per organum corporale, sicut probat Philos. *3. de An.;* aliqua vero ex consequentibus formam sunt, quae habent communicationem cum materia, ut sentire, sed nullum accidens sequitur materiam sine communicatione formae. — In his tamen accidentibus, quae materiam consequuntur, invenitur quaedam diversitas. Quaedam enim accidentia consequuntur materiam secundum ordinem quem habet ad formam specialem, ut masculinum et femininum in animalibus, quorum diversitas ad materiam reducitur, ut dicitur in *10 Metaph.* l. 12.; unde remota forma animalis, dicta accidentia non remanent nisi aequivoce. Quaedam vero consequuntur materiam secundum ordinem quem habet ad formam generalem, ed ideo, remota forma speciali, adhuc in ea remanent, sicut nigredo cutis est in Aethiope ex mixtione elementorum, et non ex ratione animae; et ideo post

mortem in eo remanet. Et quia unaquaeque res individuatur ex materia et collocatur in genere vel specie per suam formam, ideo accidentia, quae consequuntur materiam, sunt accidentia individui, secundum quae etiam individua eiusdem speciei differunt ab invicem. Accidentia vero, quae consequuntur formam, sunt propriae passiones vel generis vel speciei, unde inveniuntur in omnibus participantibus naturam generis vel speciei, sicut risibile consequitur in homine formam, quia risus contingit ex aliqua apprehensione animae hominis „. S. Th. *de Ente et Ess.* cap. 7. in medio.

Probatur 2ª pars. — " Quidquid est in aliquo, quod est praeter essentiam eius, oportet esse causatum vel a principiis essentiae, vel ab aliquo exteriori „. S. Th. 1. p. q. 13. a. 12. Atqui contingit accidens extraneum esse in aliquo, quod accidens profecto est praeter essentiam eius in quo est. Ergo accidens extraneum vel est causatum a principiis essentiae eius in quo est, vel ab aliquo extrinseco. — Sed non potest esse causatum a principiis essentiae eius in quo est, quia si principia essentiae essent causa accidentis extranei, cum semper remaneant principia essentiae, semper etiam remanere deberet et ipsum accidens, utpote effectus eorum. Ergo accidens extraneum causatur ab aliquo extrinseco principio. Ergo accidentis extranei subiectum est merum susceptivum, causa vero est agens extrinsecum. — (Cfr. S. Th. 1. p. q. 77. a. 6.).

381. Dices. — Si accidentia propria causantur a forma modo explicato, ab ipsa emanant. Sed emanatio quendam motum importat. At nihil movetur a seipso nisi forte ratione partis, quae non est in forma, cum sit simplex. Ergo forma non est causa propriorum accidentium.

Respondeo dicendum quod emanatio propriorum accidentium a subiecto non est per aliquam transmutationem, sed per aliquam naturalem resultationem, sicut ex uno naturaliter aliud resultat, ut ex luce color. (Cfr. S. Th. 1. p. q. 77. a. 6. ad 3m).

THESIS VII.ª — **In accidentibus oportet ut primum genus sumatur ex ipso modo essendi, secundum quod ens diversimode secundum prius et posterius de decem generibus prae-**

dicatur; differentiae vero in eis sumuntur ex diversitate principiorum, ex quibus causantur. — S. Th. de *Ent. de Ess.* cap. 7.

382. Probatur 1ª pars. — "Nam quia in substantiis ex materia et forma substantiali fit unum per se, una quadam natura ex eorum coniunctione resultante, quae proprie in praedicamento substantiae collocatur, ideo in substantiis nomina concreta, quae compositum significant, proprie in genere esse dicuntur, sicut genera vel species, ut homo vel animal non autem forma vel materia est in praedicamento hoc modo nisi per reductionem, sicut principia in genere principiatorum esse dicuntur. Sed ex accidente et subiecto non fit unum per se, unde non resultat ex eorum coniunctione aliqua natura, cui intentio generis vel speciei possit attribui; unde nomina accidentium concretive dicta non ponuntur in praedicamento sicut species vel genera, ut album vel musicum nisi per reductionem, sed solum secundum quod abstracte significantur ut albedo et musica. Et quia accidentia non componuntur ex materia et forma, ideo non potest in eis sumi genus a materia, et differentia a forma, sicut in substantiis compositis, sed oportet ut primum genus, (seu supremum) sumatur ex ipso modo essendi (quatenus notificat naturam), secundum quod ens diversimode secundum prius et posterius de decem generibus praedicatur, sicut dicitur quantitas ex eo quod est mensura substantiae, et qualitas secundum quod est dispositio substantiae, et sic de aliis secundum Phil. 2. Metaph. „.

Probatur 2ª pars. — " Nam quia propriae passiones ex propriis principiis subiecti causantur, ideo subiectum ponitur in definitione eorum loco differentiae, si in abstracto definiantur secundum quod sunt proprie in genere, sicut dicitur quod simitas est curvitas nasi, sed e converso esset, si eorum definitio sumeretur secundum quod *concretive dicuntur:* sic enim subiectum in eorum definitione poneretur sicut genus, quia tunc definirentur per modum substantiarum compositarum, in quibus ratio generis sumitur a materia, sicut dicimus quod simum est nasus curvus. Similiter etiam est, si unum accidens sit alterius accidentis principium, sicut principium relationis est *actio* et *passio*

et *quantitas:* et ideo secundum haec dividit Phil. relationem in 5 Metaph. Sed quia propria principia accidentium non semper sunt manifesta, ideo quandoque sumimus differentias accidentium ex eorum effectibus, sicut congregativum, et disgregativum visus dicuntur differentiae coloris, quae *causantur ex abundantia et paucitate lucis, ex qua diversae species coloris causantur* „. De Ente et Ess. c. 7.

THESIS VIII.ª — Quamvis non possint accidentia naturaliter esse sine subiecto; tamen infallibiliter certum est et probatur non repugnare, quod quaedam accidentia virtute divina exstent separata a proprio subiecto.

383. Probatur 1ª pars. - *Naturaliter non possunt.* - De essentia accidentis est aptitudinalis, seu exigitiva — si ita loqui fas est — inhaerentia in subiecto, non autem actualis; hoc enim constat ex definitione accidentis. Ergo si naturali modo res procedit, omnino necesse est, (nec aliter fieri potest naturaliter) quod cum accidens extra causam ponitur in rerum natura, haec naturalis inhaerentia traducatur in actum; nam *naturaliter* fieri non potest, quod effectus alicuius superet capacitatem, exigentiam, virtutem, quam dicit secundum suam naturam sibi relictam. Ergo.

Probatur 2ª pars. — *Virtute divina existere possunt separata a subiecto.* — Ab esse ad posse valet illatio. Sed de facto scimus accidentia in Eucharistia virtute divina conservari separata a subiecto. Ergo infallibiliter certum est, quod possint conservari, saltem quaedam accidentia, virtute divina, separata a proprio subiecto. Cfr. S. Th. 3. p. q. 77. a. 1.

Probatur 3ª pars. — *Probatur non repugnare.* — Ratio humana potest ostendere non repugnare id, quod fide tenetur de facto accidere.

1º Definitio accidentis est — quidditas, cui debetur esse in alio. — Atqui haec definitio salvatur cum aptitudinali inhaerentia. Ergo.

2º Cum effectus magis dependeat a Causa Prima quam a causa secunda, Deus, qui est Prima Causa substantiae et accidentis, per suam infinitam virtutem, conservare potest in esse accidens, subtracta substantia, per quam conservabatur in esse

sicut per propriam causam, sicut etiam alios effectus naturalium causarum potest producere sine naturalibus causis. (S. Th. 3. p. q. 77. a. 1.).

THESIS IX.ª — Quamvis naturaliter — accidentis non sit accidens — ut dicit Phil., tamen quando accidenti datur divinitus ut per se sit, potest etiam per se alterius accidentis subiectum esse.

384. Probatur 1ª pars. — Accidentis non est accidens, scil. naturaliter non potest esse in alio tanquam in subiecto, quamvis possit in subiecto, quod est substantia, unum accidens praerequiri; ratio est, quia quod non est per se, non potest substentare alium. Atqui accidens non est per se etc. Ergo.

Probatur 2ª pars. — Quando accidenti divinitus datur ut per se sit, licet non evadat substantia, nec ei competat definitio substantiae, quia non datur tali accidenti ut ex vi suae essentiae non sit in subiecto, sed ex divina virtute substentante, ed ideo non desinat esse accidens, quia nec separatur ab eo definitio accidentis, quae est aptitudo ad subiectum, quae semper manet in eo, non actualis inhaerentia (S. Th. 3. p. q. 77. a. 1. ad 2m), tamen est ad modum substantiae, h. e. habet miraculose (scilicet divinitus) actum, vim et proprietatem substantiae; proinde potest supplere vicem substantiae in omnibus et ideo etiam sustentare alia accidentia: ut de facto evenit in Sacramento Eucharistiae relate ad quantitatem panis et vini, quae est subiectum aliorum accidentium. Cf. S. Th. 3. p. q. 77. a. 5. ad 1m, ad 2m et 3m. — Cur potius quantitas dimensiva sit in Eucharistia subiectum aliorum accidentium, quam e converso, exponit S. Th. 3. p. q. 77. a. 2.

THESIS X.ª — Accidens respectu novem generum non est univocum sed analogum.

385. Probatur. — Nam hoc ipsum, quod est esse in alio, vel ut quod inest ei per se et absolute, vel in respectu ad aliud, ut extensivum, ut modificativum, per modum cuiusdam commensurationis ad aliquid extrinsecum etc., important diversos modos essendi in alio. Unde non solum hoc quod est " ens „ analogice dicitur de singulis accidentium generibus, ut iam constat ex dictis de analogia entis, sed etiam hoc quod est " acci-

dens „ analogice dicitur de generibus, analogia tamen secundum esse et intentionem.

Tractatus V.us

De Causis.

386. Introductio. — Quaestio de causis, summi est momenti; scire enim est per causas, et ex iis, quae habuimus de actu et potentia, facile patet causae rationem ad omnia aliquo modo se extendere, unde tractatio de causis omnino pertinet ad metaphysicam, et per ea quae de causis determinantur omnes scientiae iuvantur. Ut igitur haec tractatio clare procedat agemus 1° De causis in communi — 2° De causis materiali et formali — 3° De causa efficiente — 4° De causa instrumentali — 5° De causa finali — 6° De causa exemplari — 7° De causis inter se comparatis.

QUAESTIO PRIMA.

De Causis in communi.

THESIS I.a — Causa prout ad omnem modum causalitatis analogatur bene definitur: — id quod influit esse in aliud — vel — id ad quod sequitur esse alterius [1]).

387. Praenotandum. — Nomen causae quandoque sumitur latius, ut sub se comprehendit omne principium; sic Patres graeci dicunt Patrem aeternum causam Filii, intelligentes principium; quandoque pro sola causa efficiente, quae manifestius est causa: nunc autem in praesenti tractatu sumitur universalius prout nempe ad omnem modum causalitatis analogatur, et

[1]) Cf. S. Th. De Pot. q. 10. a. 1. ad 8m; 2. Phys. l. 10; Opusc. 31.

sic definitur — id quod influit esse in aliud — id ad quod sequitur esse alterius.

388. Probatur. — Nomen causae apud nos respondet effectus, scilicet aliquid effectum seu factum et significat aliquid in essentia *diversum* a quo iugiter dependet id quod effectum est substantia diversum. Atqui haec omnia bene exprimuntur per hoc quod causa dicitur — *id quod influit esse in aliud.* — Ergo causa prout ad omnem modum causalitatis analogatur bene definitur etc.

Pr. m. — Etenim 1° per ly — *esse alterius* — denotatur aliquid effectum; 2° pariter per ly — *esse alterius* — denotatur quod hoc factum est substantia diversum cum causa; quia " *aliud* „ diversitatem importat; 3° per ly — *id ad quod sequitur* — denotatur distinctio effectus a causa cum dependentia in esse. Ergo etc.

THESIS II.ª — Causa differt realiter a principio, a conditione et ab occasione.

389. Probatur 1ª pars. — *Causa differt a principio.* Nam principium latius patet, dicitur enim — id a quo aliquid quomodocumque procedit. — " Dicendum, ait S. Th. 1. p. q. 33. a. 1. quod hoc nomen principium, nihil aliud significat quam id a quo aliquid procedit; omne enim a quo aliquid procedit *quocumque modo,* dicimus esse principium, et e converso „. — Et sic, ut habet *ibid.* ad 1m. : " Principium communius est quam causa, sicut causa communius est quam elementum. Primus enim terminus vel etiam prima pars rei dicitur principium sed non causa.... Unde hoc nomen causae videtur importare diversitatem substantiae et dependentiam alicuius ab altero, quam non importat nomem principii. In omnibus enim causae generibus semper invenitur distantia inter causam et id cuius est causa secundum aliquam perfectionem aut virtutem, sed nomine principii utimur etiam in his quae nullam huiusmodi differentiam habent, sed solum secundum quemdam ordinem, sicut cum dicimus punctum esse principium lineae, vel etiam cum dicimus primam partem lineae esse principium lineae „. — Et *ibid.* ad 3m notat " licet hoc nomen principium quantum ad id a quo imponitur ad significandum, videatur a prioritate sumptum, non

tamen significat prioritatem, sed originem. Non enim idem est quod significat nomen, et a quo nomen imponitur, ut supra dictum est „. Unde quamvis in divinis Pater sit principium Filii, et Pater et Filius sint principium Spiritus Sancti, non tamen est in divinis Personis aliqua prioritas, sed *ordo originis absque prioritate.*

Probatur 2ª pars. — *Causa differt a conditione.* Ratio est quia conditio non est id, ad quod sequitur aliud, consecutione quae est per influxum, ut intelligi debent verba S. Thomae in definitione causae. — Aliis verbis, quia conditio, etsi forte requiratur ut causa influat, non tamen ipsa influit; et si dicitur influere non dicitur influere alio influxu quam eo influxu, quo causa influit, quia quodammodo attribuitur conditioni, qua posita, causa influit.

Probatur 3ª pars. — *Causa differt ab occasione.* Ratio est quia occasio non est nisi quaedam *opportunitas agendi*, et sic minus appropinquat ad causam quam conditio.

THESIS III.ª — Principium causalitatis quod sic effertur: " Quidquid fit vel quidquid incipit esse, causam sui habet „ est omnino indubium et reale.

390. Praenotandum. — Qui impugnant principium causalitatis denegando ei obiectivitatem ac realitatem sunt sceptici, Locke, Hume praesertim etc., contra quos statuitur propositio.

391. Probatur. — 1º Quidquid fit in actu cum prius non esset in actu, fit in actu per aliquid quod est in actu; nihil autem aliud est causare quam facere aliquid in actu. Ergo.

2º Quidquid est, aut est a se, aut ab alio. — Atqui in eo, quod est ab alio, duo attenduntur; id quod est ab alio, et id a quo est aliud: id, quod est ab alio, effectum nominamus, id, a quo est aliud, causam dicimus. Sed experientia constat quod plura sunt entia realia, quae tamen contingentia sunt, scilicet quae non habent rationem sui esse a seipsis. Ergo ab alio. — Ergo principium causalitatis quod sic effertur : " quidquid fit, vel quidquid incipit esse, causam sui habet „ est omnino indubium et reale. Videas S. Th. 1. p. q. 2. a. 3. 3ª via.

392. Dices. — Principium causalitatis haberet valorem obiectivum et realem, si ab experientia (sensuum) deduceretur,

a qua sola ordo obiectivus et realis rerum exurgit. — Sed principium causalitatis non exurgit ab experientia (sensuum); nam experientia non percipimus nisi solam successionem phaenomenorum, et nullo modo connexionem inter causam et effectum; sed haec connexio est solus fructus rationis, effertur enim hoc iudicio — quilibet effectus (quidquid est ab alio) supponit quamdam causam. Ergo etc.

Respondeo. — *D.M.* Si ab experientia sensuum etc., scilicet si haberet fundamentum in rerum naturis extra animam vel realiter positis vel possibile ponendis, *C.M.* [1]); haberet valorem etc., h. e. si verificari et enunciari posset ab experientia (sensuum) *N. Supp.* — *D.m.* Experientia (sensuum) non potest inspicere connexionem inter causam et effectum, quia hoc est munus intellectus; sed ipsa solam successionem phaenomenorum apprehendit *C.m.;* non exurgit ab experientia (sensuum), quasi principium causalitatis non habeat fundamentum in rerum naturis, sed sit solum effectus rationis ac si ratio nostra ex propriis efformet hoc effatum sine ulla dependentia a sensibus *Sbd.:* in schola Kantiana *C.m.;* apud homines *N.m.* — Secundum Kant principium causalitatis non est nisi figmentum rationis; scilicet iudicium merum subiectivum et a priori sine ullo fundamento in re; iudicium proinde quod non habet nisi purum logicum valorem respectu aliarum categoriarum mentis nostrae, scilicet nihil aliud est, quam quaedam necessitas subiectiva mentis nostrae statuendi quamdam connexionem logicam inter ideas mere subiectivas mentis nostrae.

---

[1]) Dupliciter aliquid dicitur reale: 1° quatenus possibile est esse extra animam in rerum natura; 2° quatenus de facto est extra animam in rerum natura. Porro principium causalitatis est reale utroque modo. Nam etiam si non existeret nisi solus Deus, cum etiam in hac hypothesi essent possibilia in infinitum entia participata, h. e. ab alio, et ipsum principium causalitatis esset quid possibile ac proinde reale et non merum ens rationis: sed de facto dantur plura entia contingentia; ergo et de facto datur principium causalitatis, scilicet causa et effectus; et sic principium causalitatis non est solum reale quia possibile, sed etiam reale quia de facto datur in rerum natura; et sic ulterius est obiectivum, si obiectivum dicatur id solum, quod de facto datur.

Omnis nostra cognitio incípit a sensibus utique verum est, sed non est tantum reale id, quod experientia sensuum cognoscimus etc.

393. Nota. *Principium. quod dicunt Rationis sufficientis, differt a Principio causalitatis.* — Nam Principium rationis sufficientis est hoc — quidquid est, rationem sui sufficientem habet — seu nihil est sine ratione sufficienti. — Ex quo patet, quod principium rationis sufficientis respicit esse; principium vero causalitatis, ut effertur, respicit fieri. Sed esse et fieri alicuius rei differt. Ergo etiam principia. Quamvis identidem pro eodem habeatur " causa „ et " ratio sufficiens „ cum sola differentia exposita hic in nota; tamen videtur quod " ratio sufficiens „ latius pateat quam causa. Nam v. g. quamvis de Deo non possimus assignare causam, possumus tamen assignare rationem sufficientem suae existentiae, dicendo " Deum esse suum esse „ et tunc " ratio sufficiens „ sic enunciatur: " quod quid est, rationem sufficientem sui habet „.

THESIS IV.ª — Recta est causae divisio in quatuor genera, in materialem scilicet, formalem, efficientem et finalem.

394. Probatur. — I° Causa dicitur id, quod influit esse in aliud, vel ad quod sequitur esse alterius. Atqui quatuor modis potest aliquid influere esse in aliud. Ergo sunt quatuor genera causarum.

Prob. min. — S. Th. 2° *Phys.* l. 10 in fine: " Necesse est autem quatuor esse causas, quia cum causa sit ad quam sequitur esse alterius, esse eius quod habet causam potest considerari dupliciter: uno modo absolute, et sic causa essendi est forma, per quam aliquid est in actu (ad formam enim sequitur esse, et unumquodque tunc est in actu quando est); alio modo secundum quod de potentia ente fit actu ens (in fieri scilicet et non, ut supra, in facto esse); et quia omne quod est in potentia reducitur ad actum per id quod est actu ens, ex hoc necesse est esse duas alias causas scilicet materiam et agentem, quod reducit materiam de potentia in actum. Actio autem agentis ad aliquid determinatum tendit, sicut ab aliquo determinato principio procedit. Nam omne agens agit quod est sibi

conveniens. Id autem ad quod intendit actio agentis, dicitur causa finalis. Sic igitur necesse est esse quatuor causas; sed quia forma est causa essendi absolute, aliae vero tres sunt causae essendi secundum quod aliquid accipit esse, inde est quod in immobilibus non considerantur aliae tres causae, sed solum causa formalis (ut dicebamus agentes de demonstratione).

IIº Quaestio: propter quid? inquirit de causa. — Ergo tot erunt causae, quot modis responderi potest ad quaestionem " propter quid ? „ — Atqui non respondetur nisi per unum ex quatuor memoratis. — Ergo etc. — Esse causas, ait Arist. 2 Phys. l. 10. et tot esse numero quot diximus patet. Tot enim quaestio propter quid sane complectitur. Nam ipsum propter quid aut ad quid est (forma) reducitur ultimum, ut in immobilibus ceu in mathematicis....; aut id quod primum movet (agens).... ; aut gratia cuius (finis).... ; aut ad materiam.

IIIº. Exemplo utens, consideres artificem facientem statuam. Habes causam agentem, finalem — ex aliqua intentione enim agens agit — materialem, formalem. Ergo etc.

395. Nota Iª. Causa materialis et formalis sunt causae intrinsecae, et constituunt rem ipsam, quae ex eorum causalitate habetur; sed una ut potentia, altera ut actus. Causa vero agens et finalis sunt causae extrinsecae; sed ista movet agentem, illa materiam ad formam, vel totum ens profundit, si est agens primum ; ex quo patet quod tantum analogice conveniunt in ratione causae, quia unaquaeque influit in esse rei, sed diversissimo modo, nempe secundum prius et posterius. Proinde de causa efficiente quod sit vera causa nemo dubitare potest, exceptis Hume vel Kant ; de aliis non dubitabit, nisi quis velit causas eodem modo esse causas, et sic cum negabit causam v. gr. finalem esse causam, negabit revera esse efficientem causam ; idem dic de aliis, et hoc in multis quaestionibus accidit nescientibus vim analogiae.

Nota IIª. Quod analogum absolute prolatum stat pro famosiori significato; hoc noto ut advertas quod apud auctores et S. Thomam, praesertim quando aliquid asseritur de causa ut sic, saepe assertum intelligitur de causa efficiente, etiamsi adda-

tur syncategorema universale " omnis causa „ ; causae enim efficientes quam plurimae sunt et diversissimae; ratio enim principii activi tam late patet quam ens, cum ens actum importet, ad cuius rationem sequitur ratio principii activi. Sic illud S. Thomae Iª 2ae q. 66 art. Iº: " Semper est potior causa suo effectu; et in effectibus, tanto aliquid est potius quanto est causae propinquius „ intelligendum est de causa efficiente; unde non recte affirmatur universaliter de omnibus, causis causam semper esse nobiliorem effectu.

THESIS V.ª — **Quidquid proprie ac simpliciter habet rationem cuiusque causae — ex quatuor generibus — non nisi analogice convenire potest cum proprio et proportionato effectu, h. e. respectu illius rationis, cuius est proprie causa.** — Cf. S. Th. 1. p. q. 13. a. 5 ad 1m — q. 104. a. 1.

396. Probatur. — Quod ita sit, patet inductione percurrendo omnia genera causarum. Ratio est quia, si causa relate ad proprium et proportionatum effectum esset univoca et non analoga, causa esset sibi ipsi causa. — Atqui hoc manifeste repugnat, quia esset et non esset simul et sub eodem respectu. Ergo etc.

Probatur Maior. — Proprius effectus alicuius causae — cui per consequens respondet propria causa, quia causa et effectus relative se habent — dicitur ille, qui non solum est a tali determinata causa, sed insuper non potest esse nisi a tali determinata causa; et e converso propria causa alicuius rationis — cui respondet proprius effectus — dicitur illa, quae unice potest facere aliquid in actu sub tali determinata ratione, ita ut sit impossibile invenire talem rationem in aliquo, nisi sit a tali causa. Atqui, si aliquid praecise in quantum causa, conveniret *univoce* cum illa ratione, respectu cuius aliquid aliud est semper et omnibus effectus huius causae tantum (h. e. effectus proprius), dum ipsa est semper et omnibus et sola effectrix huius determinati effectus; cum, inquam, ex suppositione haec ratio, respectu cuius unum est causa propria, alterum effectus proprius, sit in utroque univoce, haec causa deberet causare seipsam. — Ergo, si causa relate ad proprium et proportionatum effectum esset univoca et non analoga, causa esset sibi ipsi causa.

Declaratur exemplo: si v. g. Petrus (pater) esset causa propria Andreae (filii) praecise in quantum Andreas est homo, cum ratio hominis sit etiam, et quidem univoce, in Petro, Petrus hanc rationem univocam hominis deberet etiam causare in seipso: nam si ratio hominis est effectus proprius Petri (causae), non potest esse nisi a Petro. Sed ex suppositione Petrus est causa propria Andreae, in quantum Andreas est homo. — Ergo ratio hominis non potest esse nisi a Petro, et sic Petrus debet etiam causare seipsum, quia et ipse est homo.

THESIS VI.ª — 1º **Unaquaeque determinata causa non potest habere nisi unum specificum effectum; 2º qui ab alia causa specie diversa nullo modo esse potest.**

397. Probatur 1ª pars. — *Unaquaeque causa non potest habere nisi unum specificum effectum.* Cum nulla actio conveniat alicui rei, nisi per aliquod principium formaliter ei inhaerens, sequitur quod unaquaeque res talem actionem — cui respondet effectus — producat, qualis ipsa est. — (Cf. S. Th. 1. p. q. 18. a. 1.; q. 76. a. 1.; q. 79. a. 4). Sed unaquaeque res non est formaliter multiplex in specie, sed una, et ita una, ut sit impossibile invenire aliam speciem, quae formaliter habeat id quod ipsa habet: sunt enim species sicut numeri. — Ergo sicut unaquaeque res habet unam naturam specie diversam ab omnibus aliis naturis, ita etiam et unam operationem — scilicet unum causare — ac per consequens et unum specificum effectum per se.

Probatur 2ª pars. — *Qui ab alia causa specie diversa esse non potest.* Ratio est quia, si est causa specie diversa a prima, habebit etiam operationem — h. e. causare — specifice diversam a prima, ac proinde et effectum.

398. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Unaquaeque res est una et multiplex. — Ergo et una et multiplex causa. — Ergo unaquaeque res potest habere plures effectus.

Resp. *D.A.* Una simpliciter, et multiplex secundum quid *C.A.*; una simpliciter et multiplex simpliciter *N.A.* — *D. eodem modo 1ᵐ C.* — *D. 2ᵐ C.* Potest habere plures effectus quorum unus tantum erit respondens esse simpliciter rei *C. 2ᵐ C.*; quorum omnes erunt respondentes esse simpliciter rei *Sbd.*:

si differant tantum numero *C. 2^m C.*; si differant specie *N. 2^m C.* — Explico: v. g. proprius effectus ipsius esse simpliciter leonis, est generare leonem; proinde leo non potest generare canem aut asinum etc.....: et similiter effectus proprius canis est generare canem, proinde non potest canis generare leonem. Tamen cum leo v. g. habeat etiam plures formas accidentales specie differentes, potest illa tot effectus illis formis respondentes producere. Tamen etiam hic secundum unam formam accidentalem specie differentem ab alia, non potest leo producere nisi unum effectum, qui effectus produci non potest ab alia propter rationem supra traditam.

Ob. 2^a. Superior species continet inferiorem. — Ergo superior species potest producere effectum, qui sit proprius et specificus effectus speciei inferioris.

Resp. *D.A.* Superior species continet inferiorem secundum rationem communem *C.A.*; superior species continet inferiorem secundum rationem formalem specificam *Sbd.*: virtualiter eminenter *C.A.*; secundum rationem propriam *N.A.*

1° Diversae species rerum sunt inter se sicut variae species figurarum, quarum una continet aliam, sicut pentagonus num continet tetragonum et excedit (Cf. S. Th. 1. p. q. 76. a. 3).

2° Utique in homine et in leone invenitur animalitas, sed aliter, et aliter; nam in homine est tota rationalis; nec inveniri potest vel minima pars, si ita dicere licet, vel solum animalis, vel solum rationalis; et in leone est tota leonina: proinde si animalitas agit in homine, non potest agere nisi ut rationalis, et per consequens non potest producere nisi animal rationale. Utique in motu generationis, primo res erit vivens tantum, dein etiam sentiens, sed semper vialiter ad animal rationale. Et si impediatur vis generativa hominis, quid produceret? Respondeo animal rationale vel in fieri vel in facto esse occasionatum. Cf. S. Th. 1. p. q. 115. a. 6. ubi agit quomodo impediri potest causa per se etc.

THESIS VII.^a — **Omnis effectus jugiter ac necessario in suo esse a propria causa dependet: h. e. ablata causa, tollitur effectus.**

399. Probatur. — Et revera: 1° effectus pendet in suo

esse a causa formali. Sic. si tollatur a vino forma vini cessat esse vinum, et tandiu solum *est* vinum, quandiu in materia est forma vini. Sic tandiu est animal, quandiu habet animam. — Tandiu domus, quandiu formam domus retinet: *ad formam enim sequitur esse.*

2° Pendet in esse a *causa materiali.* Sic subtracta materia, animal, vel lapis, vel arca nihil essent, materialia enim non sunt *subiectum essendi nisi concurrente utroque principio.*

3° Pendet in esse a *causa agente* ita scilicet, quod si causa est causa *quantum ad fieri, tandiu duret in esse ipsum fieri, quandiu* durat actio talis causae; ea autem cessante, ab actione illico cessat esse huius quod est fieri, seu ipsius motus. Si autem causa sit proprie causa essendi (et non solum fiendi), cessante causa ab influxu suo, illico cessat esse eius, quod ab ipsa pendet in suo esse. Sic cessante illuminatione solis, cessaret luna esse lucida; avertente Petro faciem a speculo, cessat *esse* illius imaginis quae repraesentabat faciem nativitatis eius. Cessante me a torquenda et curvanda elastica virga, cessat illico eadem esse curva; quia ego sum causa non solum quod fiat curva, sed quod sit; quod non esset, si esset virga v. g. ex stamno.

4° Quantum autem ad *causam finalem*, si tandiu est effectus causae efficientis, quandiu durat actio eius, tandiu etiam durat effectus eius, quandiu durat finis influere. Cessante enim amore et intentione finis cessat actio agentis et simul fieri vel esse effectus ut dictum est. " Sicut enim *fieri rei* non potest remanere cessante actione agentis, quod est causa effectus secundum fieri, ita nec *esse rei* potest remanere, cessante actione agentis, quod est causa effectus non solum secundum fieri sed etiam secundum esse „ S. Th. 1. p. q. 104. a. 1. " Unde subtracta divina actione a rebus, res in nihilum deciderent, sicut remota praesentia solis, lumen in aëre deficeret „. In 2° Phys. l. 6.

400. Nota 1ª. Statua quidem fit ab artifice, sed quod perduret in esse, hoc non est ab artifice, neque quod perduret in esse statuae, nisi in quantum eligit talem materiam, et sic secundum diversitatem substantiae quae adhibetur ad effingendam statuam, diutius vel breviori tempore forma statuae in ea perseverat. Videas omnino S. Th. 1. p. q. 104. a. 1.

Nota 2ª. In inferioribus agentibus nullum esse potest quod sit alteri causa essendi simpliciter, unde exempla allata pertinent ad causam essendi secundum quid, ut essendi lucidum, vel curvum vel aliquid huiusmodi, quod pertinet ad esse tale vel tale. Causa autem essendi simpliciter omnibus rebus Deus unice est, qui utpote ens per essentiam, est causa omnium quae participative sunt entia Omnis tamen causa, etiam quae dicitur fiendi, mediante fieri aliquo modo influit in esse. Et relate ad esse simpliciter sola causa prima ita totaliter attingit effectum ut nihil omnino praesupponat, sed secundum totum causet indesinenter omnia entia, profundens totum ens, secundum omnia quomodocumque in entibus sunt. (Cf. S. Th. De Pot. q. 9. a. 7 et ad 7m).

THESIS VIII.ª — **Quod attinet prioritatem causae prae effectu, causa semper habet prioritatem naturae, non autem semper temporis.**

401. Probatur. Ratio est quia prioritas vel posterioritas naturae attenditur secundum hoc quod unum ab alio dependet in essendo. Iamvero omnis effectus dependet a causa sua. Ergo etc. Tempore autem simul sunt materia ut causans compositum, et forma, et compositum. Patet praesertim in prima rerum creatione.

402. Nota. Intelligitur prioritas naturae ex parte causae *quantum ad naturam propriam,* non sub ratione relationis ad effectum, sic enim relativa formaliter accepta sunt simul, unde etiam causa ut causa, et effectus ut effectus.

QUAESTIO SECUNDA.

De Causis Materiali et formali.

THESIS I.ª — **1º Materia quae est " principium potentiale „ et forma quae est " principium actuale „ sunt verae causae; 2º earum autem causalitas essentialiter consistit in mutua communicatione propriae entitatis.**

403. Probatur 1ª pars. — Ratio est quia vere influunt in esse compositi, quod sequitur ad eorum coniunctionem; quod influit in esse alicuius, quod est aliquid ad quod sequitur esse alterius, vere causa est. Ergo etc.

Probatur 2ª pars. — Ratio est quia non aliter exurgit et perseverat esse compositi nisi ex immediata unione realitatis materiae et formae, materiae quidem ut potentiae, formae vero ut actus in eodem genere substantiae.

404. Nota. De hac re plura in Cosmologia, hic potius dicendum est aliquid de causa exemplari, quae reducitur *ad* causam finalem.

THESIS II.ª — **Exemplaris causa vocatur forma extrinseca, quae scilicet informat materiam, ut quidam loquuntur, non inhaesive seu compositive sed imitative.**

405. Probatur. — Nam artifex inducit in materiam formam quam mente praeconcepit, quae forma est exemplar rei faciendae, et vocatur etiam *idea* seu latine *species*. Sicut enim ignis agendo causat in materia formam ignis, quae est eius forma naturalis secundum quam est agens, ita artifex faciendo statuam causat seu inducit in materia formam statuae quae est eius forma artificialis, ut ita dicam, seu forma secundum quam est agens formaliter in quantum artifex est: sed sicut ignis non causat formam ignis eamdem numero, ita nec artifex inducit in materiam formam illam artificialem eamdem numero quam in mente habet, sed similem ei. Et sic forma artis seu *idea* dicitur pertinere ad causalitatem formalem et informare extrinsece seu imitative: quamvis etiam forma artificialis quodammodo dici possit eadem numero informare materiam, quae fuit in mente artificis repraesentata; voluit enim artifex in hanc materiam inducere hanc formam, sic etiam et sic huic materiae accomodatam. Cogita de Michaëlangelo inspiciente magnam illam marmoris molem et cogitante formam talem Moysis sedentis quae moli et dispositioni marmoris coaptaretur. Eam formam materiae indidit quam mente perceperat, prius statuam hanc numero ex hac materia mente percepit, postmodum et fecit. Haec ut percipias quomodo ad causam formalem pertineat causa exemplaris.

THESIS III.ª — 1º Causa exemplaris bene definitur: "Forma ad cuius imitationem aliquid fit ex intentione agentis determinantis sibi finem„ seu "Forma ad quam respiciens artifex operatur „; 2º est autem vere causa; et 3º magis proprie reducitur ad causam formalem.

406. Declaratur 1ª pars. — *Bene definitur:* " *Forma ad cuius imitationem aliquid fit ex intentione agentis determinantis sibi finem „ seu " Forma ad quam respiciens artifex operatur „.* " *Forma „* exhibet genus, cetera verba differentiam huius ab aliis formis, quae satis patent ex praemissis.

Dicitur:

1º — *ex intentione agentis* — quia quandoque casu aliquid evadit simile alteri in artificialibus.

2º — *determinantis sibi finem* — quia respicere exemplar non est nisi intelligentis et liberae causae et sibi finem determinantis in sua operatione.

407. Nota. Forma vero, ad quam respiciens artifex operatur, potest esse in ipso artifice sibi ideam talem efformante, sive extra ipsum, ut cum aliquis pictor imitatur tamquam exemplar imaginem depictam ab Urbinate. (Cf. S. Th. 1. p. q. 44. a. 3. — Haec habes clare et magis diffuse *De Verit.* q. 3. a. 1.).

Probatur 2ª pars. — *Idea est vere causa.* — Patet ex hoc quod artificiatum non consequitur esse nisi per hoc, quod consequitur formam, secundum quam assimilatur formae artificiali seu ideae in mente artificis praeexistenti. Ergo artificiatum pendet in esse a forma artificiali seu ab idea. Ergo idea est vera causa, *seu potius est aliquid quod vere concurrit ad aliquid causandum.*

Probatur 3ª pars. — *Magis proprie reducitur ad causam formalem.* — Si consideretur forma exemplaris seu idea formaliter in quantum per eam artifex qui est causa efficiens ultimo perficitur in ordine ad aliquid efficiendum, *sic idea revocatur ad causam efficientem.* Item, sicut forma naturalis in agente naturali est principium quo operationis, simili modo in agente artificiali idea est principium artificialis operationis. Sicut ergo forma naturalis ita et artificialis sub hoc respectu revocatur ad causalitatem efficientem, complens enim causam in ratione causae revocatur ad genus causae cuius est complementum.

— Si consideratur forma artificiati in quantum praeexistens in mente artificis allicit ipsum ad opus faciendum, sic reduci debet ad genus causae finalis. Concipit artifex mente pulcrum opus a quo allicitur ut opere illud exsequatur. Ergo sic idea dicitur esse ad quam intendens artifex operatur, quod importat aliquam finis rationem.

— Magis tamen proprie reducitur ad genus causae formalis, ut etiam supra dictum est, quia causat ut forma praeconcepta ab agente, quae ab ipso imprimitur materiae. *Hinc* quod vocetur *idea* seu *forma*. Et sicut formae est determinare unumquodque ad certum genus, ita etiam ideae quamvis diversimode ut supra dictum est.

408. Nota 1ª. — *Idea operati est in mente operantis sicut quod intelligitur, non autem sicut species qua intelligitur.* — Nam per ideam graece, latine formam, intelligitur forma alicuius rei praeter ipsam rem existentem, quae ab agente per intellectum, h. e. ab artifice concipitur in rem inducenda. — Atqui quod est tale non est sicut species qua intelligitur res, quia haec per prius est in re et deinde in intellectu; sed est id quod intelligitur, nam v. gr. forma domus in mente aedificatoris est aliquid ab eo intellectum ad cuius similitudinem format domum in materia. — Ergo etc. (Cf. S. Th. 1. p. q. 15. a. 2 et ad 2m).

Nota 2ª. — *Necesse est ponere ideas in mente artificis.* — Finis generationis est forma inducenda. Agens autem non agit propter formam nisi sit similitudo formae in ipso, quia in tantum agit unumquodque in quantum est in actu. — Sed artifex est agens per intellectum non per naturam. — Ergo forma debet praeexistere in ipso non secundum esse naturale sed secundum esse intelligibile. — Sed forma quae praeexistit in aliquo secundum esse intelligibile est idea. — Ergo etc. (Cf. S. Th. 1. p. q. 15. a. 1.).

QUAESTIO TERTIA.

De Causa efficiente.

THESIS I.ª — Causa efficiens bene definitur ab Aristotele (1. Physic. c. 3.): "Id unde primum principium est motus „ seu "unde incipit seu profluit motus tanquam a principio extrinseco „.

409. Declaratur. — Materia et forma non sunt principium extrinsecum. *Terminus a quo* non est unde profluit motus, et non influit in motum, sed describitur per motum. *Primum* intelligitur in ordine *executionis,* et sic excluditur finis, qui est primum in ordine intentionis. " Primum „ dicitur tamen non *absolute,* primum enim principium absolute omnis motus est primum movens immobile, scilicet Deus; sed intelligitur respectu causarum alterius generis, scilicet materialis et formalis; scilicet illud unde primo incipit executio motus tanquam a principio extrinseco, illud est causa efficiens; unde solet etiam definiri: *" Principium extrinsecum a quo primo profluit motus „.*

410. Nota. Haec definitio causae efficientis est omnino alia a definitione naturae; nam definitio naturae est: " principium et causa motus et quietis in eo, in quo est primum, per se, et non secundum accidens „ [1]).

THESIS II.ª — Causa efficiens dividitur in causam: 1° per se et per accidens; 2° principalem et instrumentalem; 3° primam et secundam; 4° universalem et particularem; 5° univocam et aequivocam; 6° totalem et particularem; 7° naturalem seu necessariam et liberam; 8° proximam et remotam; 9° mediatam et immediatam; 10° praeparantem, perficientem, adiuvantem et consiliantem; 11° physicam et moralem.

411. Declaratur 1ª pars. — *Per se et per accidens.*

---

[1]) 2 *Physic.* tex. 3.

Causa per se ea est, quae per se influit in effectum.

Causa per accidens ea est, quae accidentaliter effectui coniungitur vel causae per se. Sic musicus per accidens aedificat, et effossio terrae est causa per accidens inventionis thesauri. " Aliquid, ait S. Th., potest dici causa alterius per accidens dupliciter; uno modo ex parte causae, quia scilicet illud, quod accidit causae, dicitur causa per accidens. Alio modo ex parte effectus, ut scilicet dicatur aliquid causa per accidens alicuius, quod accidit ei, quod est effectus per se. Quod quidem potest esse tripliciter: Uno modo quia habet ordinem necessarium ad effectum..... unde removens, prohibens, dicitur movens per accidens. Alio modo quando accidens habet ordinem ad effectum; non tamen necessarium, nec ut in pluribus, sed ut in paucioribus; sicut inventio thesauri ad effossionem in terra..... Tertio modo quando nullum ordinem habet, nisi forte secundum aestimationem, sicut si aliquis dicat se esse causam terraemotus, quia, eo intrante domum, accidit terraemotus „ [1]).

Declaratur 2ª pars. — *Principalis et instrumentalis.*

Causa principalis ea est, quae agit in virtute suae formae.

Causa instrumentalis ea est, quae non agit in virtute suae formae, sed solum ut mota ab alio [2]).

Declaratur 3ª pars. — *Prima et secunda.*

Causa prima ea est, quae a nullo dependet, et est Deus.

Causa secunda ea est, quae dependet a prima, sub qua veniunt omnes causae creatae [3]).

Declaratur 4ª pars. *Universalis et particularis.*

Causa universalis ea est, quae ad plures diversae speciei effectus se extendit.

Causa particularis ea est, quae ad unum tantum specie effectum determinatur.

Declaratur 5ª pars. *Univoca et aequivoca.*

Causa univoca ea est, quae producit effectum eiusdem speciei ac ipsa.

---

[1]) V. *Metaphy.* l. 3.

[2]) Cfr. *S. Th.* 3. p. q. 62. a. 1.

[3]) Cfr. *S. Th.* 1. p. q. 104. a. 1.

Causa aequivoca ea est, quae producit effectum diversae speciei. (Causa aequivoca est causa totius speciei, univoca vero tantum individui) [1]).

Declaratur 6ª pars. — *Totalis et partialis.*

Causa totalis ea est, quae potest producere totum effectum sine concursu causae eiusdem ordinis eiusdemque generis.

Causa partialis ea est, quae *non* potest producere totum effectum sine concursu causae eiusdem ordinis, eiusdemque generis.

Declaratur 7ª pars. — *Naturalis et libera.*

Causa naturalis ea est, quae non habet dominium sui actus.

Causa libera ea est, quae habet dominium sui actus ponendi, vel non ponendi et sic, vel sic specificandi.

Declaratur 8ª pars. — *Proxima et remota.*

Causa proxima ea est, quae assignat " propter quid „ effectus.

Causa remota ea est, quae assignat " quia „ effectus.

Declaratur 9ª pars. — *Mediata et immediata.*

Causa mediata ea est, quae agit in effectum per medium.

Causa immediata ea est, quae agit in effectum sine medio.

Declaratur 10ª pars. — *Praeparans, seu disponens, perficiens, adiuvans, consilians.*

" Circa autem huiusmodi causas, ait S. Th. [2]), considerandum est, quod quadruplex est causa efficiens, scilicet perficiens, praeparans, adiuvans et consilians. — *Perficiens* enim est, quod dat complementum motui vel mutationi, sicut quando introducit formam substantialem in generatione.

Praeparans autem seu disponens est, quod aptat materiam, seu subiectum ad ultimum complementum. *Adiuvans* vero est, quod non operatur ad proprium finem, sed ad finem alterius. *Consilians* in his quae agunt a proposito, est quod dat agenti formam per quam agit. Nam agens a proposito agit per suam scientiam, quam consilians sibi tradit, sicut in rebus naturalibus generans dicitur movere gravia vel levia in quantum dat

---

[1]) Cfr. *S. Th.* 1. p. q. 13. a. 5. ad 1m; q. 104. a. 1.

[2]) 2. *Physic.* l. 5.

formam per quam movetur „. Et 5. *Metaphys.* l. 2. ait: " *Perficiens* dicitur causa efficiens, quae ultimam rei perfectionem causat, sicut quod inducit formam substantialem in rebus naturalibus, vel artificialem in artificialibus, ut aedificator domus. *Disponens* autem, quod non inducit ultimam formam perfectivam, sed tantummodo praeparat materiam ad formam, sicut ille, qui dolat ligna et lapides dicitur domum facere. Et haec non proprie dicitur efficiens domus, quia id quod ipse facit non est domus nisi in potentia. Magis autem proprie erit efficiens, si inducat ultimam dispositionem, ad quam sequitur de necessitate forma. *Adiuvans* autem dicitur causa secundum quod operatur ad principalem effectum. In hoc tamen differt ab agente principali, quia principale agens agit ad finem proprium, adiuvans autem ad finem ultimum, sicut qui adiuvat regem in bello, operatur ad finem regis. Et haec est dispositio causae secundariae ad primam, nam causa secunda operatur propter finem primae causae in agentibus ordinatis, sicut militaris propter finem civilem. *Consilians* autem differt ab agente principali in quantum dat finem et formam agenti. Et haec est habitudo primi agentis per intellectum ad omne agens secundum sive, sit naturale, sive sit intellectuale. Nam primum agens intellectuale in omnibus dat finem et formam agendi secundo agenti, sicut architector navis navim operanti, et primus intellectus toti naturae „.

THESIS III.ª — 1º **Actu agere est propria causae efficientis causalitas; 2º resultantia autem, qua quaedam procedunt ab alio, reducitur ad genus causae efficientis.**

412. Praenotandum. — Hic sumitur *agere* pro *efficere:* ut enim habet S. Thomas 1. p. q. 48. agere dicitur et de causa formali, ut de albedine quae facit album, et de causa agente et de finali, magis tamen proprie de causa efficiente.

413. Probatur 1ª pars. — *Actu agere est propria causae efficientis causalitas.* Quemadmodum propria causalitas causae formalis est actu informare, et propria causalitas causae materialis est actu sustentare formam, et propria causalitas causae finalis est actu appeti, actu desiderari, ita propria causalitas causae agentis seu efficientis est actu agere vel efficere. Ergo bene

statuitur quod actu agere sit propria causalitas causae efficientis.

Probatur 2ª pars. — *Dimanatio, qua quaedam, ut diximus, procedunt ab alio, reducitur ad genus causae efficientis.* Quod producit aliquid ad quod aliud sequitur, vel cum quo aliud connectitur, causat et illud quod connectitur cum eo. Qui enim dat esse, dat et consequentia ad esse: sic qui est causa animalis est causa multiplicium illarum facultatum, quae in animali haberi debent consequenter ad talem formam, iuxta dispositionem divinae Sapientiae rerum profectionem in quadam multiplicitate constituentem. Quomodo autem passiones, quae consequuntur aliquem gradum formae sint dispositiones ad sequentes gradus eiusdem formae a qua dimanant et resultant, dictum est in tractatu de actu et potentia. Ergo qui causat essentiam aliquam, causat et proprietates, et *essentia est ratio cur actio agentis terminetur etiam ad proprietates.* (Cf. dicta de causalitate accidentis proprii cum S. Th. 1. p. q. 77. a. 6. et *De Ente et Ess.* cap. 7.).

THESIS IV.ª — **Irrationalis est opinio quae entibus creatis activitatem denegat.**

414. Praenotandum. — Quaeres: quibus rebus competit ratio causae efficientis? Respondeo dicendum quod ratio causae efficientis et ratio principii activi idem est; quibus autem competat ratio principii activi vidimus in tractatu de actu et potentia, scilicet omnibus existentibus in actu et pro modo quo sunt in actu. Tamen hic ponitur specialis thesis propter multitudinem errorum circa hoc. Occasionalistae omnia revocant ad Deum, ita ut res creatae non sit nisi occasiones ad quarum praesentiam Deus solus operatur, et sic vocant creaturas *causas occasionales;* eminet Malebranchius in hac stultitia, et *Positivistae,* qui tamen, saltem plurimi, ut superemineant in stultitia, etiam ipsi Deo rationem causae efficientis denegant. Addere potes Cartesium, qui veras rerum productiones minime admittit. Quid vero stulte dixerint de hoc Avicebron et Avicenna habes apud S. Thom. 2. p. q. 2. a. 4.

415. Probatur cum S. Th. C. G. l. 3. c. 69.

1º Si Deus omnia solus operaretur etc... non sequeretur

effectus ex diversitate rerum, sed oppositione calidi aeque calefactio et infrigidatio.

2° Frustra adhiberentur ab aliquo aliae res ad producendum.

3° Ratio principii activi sequitur ad rationem actus etc...

4° Detrahere perfectioni creaturarum est detrahere perfectioni divinae virtutis. Sed multum detrahitur perfectioni creaturarum si detrahatur vis operativa. — Ergo.

5° Item est detrahere divinae bonitati, quae per seipsam et per creaturas bonitatem suam maxime diffundit.

6° Subtrahere actionem et passionem a rebus est ab eis subtrahere ordinem quod est optimum in rebus.

7° Si Deus solus producit etc. impossibile est quod per effectus manifestetur virtus alicuius causae et " sic *subtrahitur nobis omnis cognitio scientiae naturalis, in qua praecipue demonstrationes per effectum sequuntur* „.

8° Contra Platonem et Avicennam. Quod generatur in his inferioribus non est forma tantum, sed compositum ex materia et forma, (canis vel lepus). Ergo generans non est forma tantum, sed compositum ex materia et forma. Ergo nec ideae separatae neque intelligentia agens.

9° Si agere sequitur ad esse, inconveniens est quod actus perfectior actione destituatur. Ergo ineptum est concedere alterationes etc. causari a formis accidentalibus et non admittere generationem substantiarum. Cf. etiam 1. p. q. 105. a. 5.

THESIS V.ª — 1° **Oportet omne agens coniungi ei in quod immediate agit; scilicet actio in distans repugnat.** (Cfr. S. Th. 1. p. q. 8. a. 1. et ad 3m). — 2° **Substantia autem creata non potest esse immediate operativa.**

416. Probatur 1ª pars. — *Non datur actio in distans.* — Virtus causae debet contingere illud in quod immediate agit. Porro virtus causae, aut est ipsa causa, ut cum sermo est de Deo, aut est accidens eius, ut in creatis. Si virtus accidentalis est, ibi est virtus ubi subiectum. Ergo si virtus attingit locatum et locum, etiam subiectum ipsum attingit. Si autem virtus sit ipsum subiectum operans, adhuc evidentius est quod ubicumque aliquid operatur, ibi est. — Unde ex eo, quod oportet

omne agens sua virtute contingere illud in quod immediate agit, sequitur quod ipsum agens debeat immediate eidem coniungi: proinde S. Thomas (1. p. q. 8. a. 1. ad 3m) ait: " Nullius agentis quantumcumque virtuosi actio procedit in aliquid distans, nisi in quantum in illud per medium agit „.

Probatur 2a pars. — *Substantia creata non potest esse immediate operativa, h. e. de necessitate requirit potentias accidentales operativas, quibus mediantibus operetur.* — Ratio est quia actus et potentia sunt in eodem ordine. Sed actus, qui est operatio in creaturis est in ordine accidentali. Ergo etiam potentia operativa est in ordine accidentali.

THESIS VI.a — 1o Quamvis quaelibet actio sit suppositi tanquam eius " quod „ operatur et cui attribuuntur omnes actiones; tamen 2o est potentiae operativae accidentalis tamquam principii " quo „ proximi; 3o et formae substantialis ut primi principii remoti " quo „ radicalis; 4o cuius etiam est esse principalem virtutem ad productionem substantiae, seu ad inductionem formae substantialis in materiam ad quod formae accidentales concurrunt ut formae substantialis veluti instrumenta quae agunt in virtute ipsius [1]).

417. Probatur 1a pars. — *Omnis actio est suppositi ut quod.* — Nam eius est agere cuius est esse. Atqui esse est suppositi: nam esse pertinet ad ipsam constitutionem suppositi: S. Th. 3. p. q. 19. a. 1. ad 4. — Esse autem pertinet et ad naturam et ad hypostasim; ad hypostasim quidem sicut ad id quo aliquid habet esse (3. p. q. 17. a. 2). Ergo etc.

Probatur 2a pars. — *Potentiae operative tanquam principii " quo „ proximi.* — Illud dicitur principium " quo „ proximum operationis, quo mediante, aliqua res potest agere et de facto, illo medio, agit. Atqui huiusmodi est potentia quaelibet operativa accidentalis, ut est v. g. intellectus, voluntas, potentia visiva etc. Ergo etc.

Probatur 3a pars. — *Est formae substantialis tanquam principii " quo „ remoti radicalis.* — Illud dicitur primum principium remotum " quo „ radicale, quod in aliquo supposito est id,

---

[1]) Cf. omnino S. Th. 1. p. q. 77. a. 1.

a quo primo et radicaliter provenit omnis operatio illius suppositi. Atqui in unoquoque supposito hoc unice est forma substantialis, quia eadem est radix essendi et agendi. Ergo, etc. Hinc S. Thomas 1. 1. q. 77. a. 1. ad 4m ait: " Hoc ipsum quod forma accidentalis est actionis principium, habet a forma substantiali, et ideo forma substantialis est *primum actionis principium, sed non proximum* (ergo remotum) „. Et secundum hoc Philos. 2. *De Anim.* text. 24 dicit quod " id *quo* intelligimus et sentimus est anima „. — Et 3. p. q. 19. a. 1. ad 3m ait " Operari est hypostasis subsistentis, sed secundum formam et naturam a qua operatio speciem recipit. Et ideo a diversitate formarum seu naturarum est diversa species operationum, sed ab unitate hypostasis est unitas secundum numerum, quantum ad operationem speciei: sicut ignis habet duas operationes specie differentes, scilicet illuminare et calefacere, secundum differentiam lucis et caloris, et tamen est una numero illuminatio ignis simul et illuminantis. Et similiter in Christo oportet quod sint duae operationes specie differentes secundum eius duas naturas, quaelibet tamen operationum est una numero in Christo simul facta, sicut una ambulatio et una sanatio „.

Probatur 4a pars. — *Forma substantialis est principalis virtus ad productionem substantiae.* — Generatione, quae simpliciter dicitur, inducitur forma substantialis in materiam, agentibus potentiis operativis accidentalibus suppositi generantis, quia, uti vidimus in Thesi praced., substantia creata non potest esse immediate operativa. Sed absonum est affirmare quod hoc faciat suppositum generans mediante *sola* potentia generativa accidentali, uti causa principali: quia cum nihil agat ultra suam speciem, effectus non potest praeeminere causae, dum e contra hic effectus praeemineret causae, cum forma substantialis praeemineat accidenti. Ergo dicendum est quod forma substantialis est principalis virtus, etc. Hinc S. Th. (*De Pot.* q. 3. a. 8. ad 13m) ait: " Ad decimum tertium dicendum, quod forma accidentalis agit in virtute formae substantialis quasi instrumentum eius; sicut etiam (in 2o *De Anima*) calor ignis dicitur esse instrumentum virtutis nutritivae, et ideo non est inconveniens si actio formae accidentalis ad formam substantialem terminetur „.

418. Nota. Ad inducendas formas accidentales in subiectum sufficit virtus propria accidentialium formarum.

QUAESTIO QUARTA.

De causa instrumentali.

THESIS I.ª — Causa instrumentalis reduplicative ut instrumentum est, bene definitur: " movens motum „. Cfr. S. Th. C. G. II. c. 21. arg. 4º.

419. Probatur. — Uti diximus in thesi II. quaest.is praeced.is per causam instrumentalem intelligitur illa causa, quae non agit in virtute suae formae, sed solum, ut mota ab alia; uti est v. g. calamus ad scribendum, penicillus ad pingendum etc. Atqui quod huiusmodi est bene notificatur dicendo quod est, " movens motum „. — Ergo etc. Ex hoc patet quod causa instrumentalis revocatur ad efficientem. Causa efficiens illa est unde est primum principium motus quantum ad executionem, ut diximus; instrumentum autem a principali causa per hoc differt quod sit movens motum, seu quod ita moveat seu efficiat, quod tamen ad movendum seu efficiendum moveatur, et non agat nisi ut motum ab alio, et proinde agat in virtute alterius. Sic dolabra vel serra agit quidem et efficit v. g. sellam, vel mensam, tamen non agit nisi ab artifice: unde etiam definiri solet causa instrumentalis — causa agens in virtute alterius.

THESIS II.ª — Instrumentum dividitur in naturale, artificiale, et supernaturale.

420. Declaratur. — Si est aliquid ab ipsa natura institutum ad effectum causandum in virtute alterius cui naturaliter subservit, dicitur instrumentum naturale, v. g. lingua est instrumentum naturale ad loquendum; si vero est aliquid ab arte inventum, aut ab artifice ad suum opus quomodocumque adhibetur, etsi forte a natura iam sit, dicitur instrumentum artificiale. Supernaturale autem instrumentum illud est quod a Deo assumitur ad producendum effectum, qui naturae vires

excedit. Pro quo sedulo nota quod quando consideratio occurrit de instrumento supernaturali, seu quod adhibetur ab *infinita Dei virtute* ad effectum producendum, qui superet omnes vires cuiuscumque naturae creatae et creabilis, iam non debet res deduci ad infima per angustas et exiguas cogitationes angustissimae mentis nostrae. Quanto maior est virtus principalis causae, eo minor in instrumento proportio requiritur ad opus, ad quod assumitur, ut innuebamus in principiis de actu et potentia. Hinc bene Nissenus (in *Orat. de Bapt.*), baptismi efficaciam dicit esse incomprehensibilem, nullaque ratione vel arte explorari posse. Et S. Aug. (l. 19. *contra Faustum*) vocat eam inenarrabilem. Unde etiam exclamat: Unde tanta virtus aquae ut corpus tangat, et cor abluat? (*Tract. 80 in Ioan.*) — Virtus quippe divina non solum potest adhibere instrumentum, sed ipsummet mirabiliter elevare, quippe ei tota natura ad nutum obedit, neque ullum instrumentum ob necessitatem et indigentiam operis faciendi assumit. Atqui de eadem etiam divina virtute aliud dicendum secundum quod operatur ut prima causa totius naturalis ordinis, aliud vero secundum quod supernaturaliter operatur, seu supernaturales causat effectus. Sive ergo cogites de instrumentis separatis, quibus ad nostram santificationem utitur, ut sunt Sacramenta, sive de sanctissima illa Humanitate, quae est instrumentum hypostatice ipsi divinae Naturae coniunctum, ad nostram salutem mirabiliter efficiendam, nihil humile cogites, neque tam alta deduxeris ad miseram humanarum rerum mensuram. Sed altius assurgens cogita singularissimo et praecellenti, et ininvestigabili modo divinam virtutem, divinamque potentiam, quae non est principium divinae actionis realiter, sed unice principium effectus, in rebus creatis, et per creatas res quos voluerit effectus posse producere; hoc enim cogitans, intelliges non posse te intelligere aut mente dimetiri quidquid divinum est. Neque cogites naturalem virtutem rei quae ut instrumentum adhibetur ad supernaturalem effectum, posse causare aliquid quod proprie sit dispositio ad effectum supernaturalem. Quid enim habet efficaciae ablutio corporis ad causandam quomodocumque emundationem animae quae est per effusionem gratiae, aut ad causandam quamcumque proprie dictam dispositio-

nem ad illam? Sic etiam ne compares, veluti aequiparando, modum quo virtus creatae causae instrumento communicatur, quae virtus aliud est ab ipso operante, cum modo quo communicatur instrumento virtus primae causae cuius actio ipsa est, et quae cum ipso operante est unum et idem. Et memor esto semper in divinorum consideratione hoc de necessitate occurrere nobis debere dum sumus in via, quod vix per quasdam analogias aliquo modo ascendamus ad ea contemplanda quae divina sunt, et quod intellectus noster incomprehensibilitatem eorum omnium, quae de Deo contemplatur finaliter videat. " Est quodam prodire tenus sed non licet ultra „.

THESIS III.ª — 1° Instrumento competit duplex actio, una quam habet ex propria natura, alia quam habet prout est motum a primo (h. e. principali) agente. 2° Actio instrumenti prout instrumentum est, non proportionatur propriae eius virtuti sed virtuti principalis agentis.

421. Praenotandum. — Praetermissis instrumentis supernaturalibus, de quibus sufficienter dictum est in propositione praecedenti, hic breviter de naturalibus instrumentis tantummodo aliquid attingemus, prout *naturale* opponitur non *artificiali* sed *supernaturali.*

422. Probatur 1ª pars. — *Instrumento competit duplex actio...* Ratio est quia ex hoc aliquid est instrumentum quod agit in virtute alterius et motum ab alio; sed cum aliquid adhibetur a principali agente simul habet utpote ens in actu *virtutem propriam* secundum quam eidem competit aliqua *actio propria.* Ergo instrumento duplex actio competit, alia in quantum tale ens est, alia in quantum instrumentum est [1]).

Probatur 2ª pars. — *Actio instrumenti in quantum instrumentum est non proportionatur propriae eius virtuti, sed virtuti principalis agentis.* Nam instrumentum in quantum instrumentum agit suam actionem instrumentalem non in virtute suae formae, sed in virtute formae causae principalis a qua movetur ad actionem. Ergo actio instrumenti, in quantum instrumentum est, non proportionatur propriae virtuti, sed virtuti principalis

---

[1]) Cf. S. Th. 3. p. q. 19. a. 1.; q. 62. a. 1. ad 2m et 4. D. 1. q. 4. Sol. 1.

agentis. Sic actio v. g. penicilli non commensuratur virtuti penicilli, sed artificis; unde actiones eiusdem instrumenti una est melior alia secundum excellentiam artificis.

423. Corollarium 1.m — *Hinc effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti, sicut lectus non assimilatur securi sed arti quae est in mente artificis.* (Cf. S. Th. 3. p. q. 62. a. 1.) Ratio est quia effectus assimilatur actioni a qua procedit. Sed actio instrumentalis non proportionatur virtuti instrumenti, sed virtuti principalis agentis. Ergo et effectus.

Corollarium 2.m — *Instrumentum non perficit instrumentalem actionem nisi exercendo actionem propriam.* (S. Th. 3. p. q. 62. a. 1. ad 2m. — C. G. l. 2. cap. 21. Arg. 6).

Nam securis *scindendo,* quae est operatio propria instrumenti ut *est quoddam ens,* facit lectum, quae est actio instrumenti, ut instrumentum est. Ubi nota quod etiam hoc ipsum quod est scindere facit securis mota ab artifice, facit tamen secundum propriam formam et naturam, artificiosa vero incisio, ut artificiosa est, a securi non procedit nisi formaliter in quantum artificis instrumentum est, nisi scilicet formaliter in quantum movetur.

THESIS IV.a — Operatio quae est rei solum secundum quod movetur ab alio, non est alia praeter operationem moventis ipsam. (Cf. S. Th. 3. p. q. 12. a. 1).

424. Probatur. — Actio eius quod movetur ab altero est duplex, uti vidimus; una quidem quam habet secundum propriam formam, alia autem quam habet secundum quod movetur ab alio: sicut securis operatio secundum propriam formam est incisio; secundum autem quod movetur ab artifice, operatio eius est facere scamnum. Ergo operatio quae est alicuius rei secundum suam formam, est propria eius, nec pertinet ad moventem nisi secundum quod utitur huiusmodi re ad suam operationem: sicut *calefacere* est propria operatio ignis, non autem fabri, nisi quatenus utitur igne ad calefaciendum ferrum. Sed illa operatio quae est rei solum secundum quod movetur ab alio, non est alia praeter *operationem moventis ipsam,* sicut *facere scamnum* non est seorsum operatio securis ab operatione artificis, sed *securis participat* instrumentaliter operationem artificis.

THESIS V.ª — **Idem effectus totus attribuitur instrumento et totus etiam principali agenti.** (Cf. S. Th. C. G. l. 3. c. 70. in fine).

425. Probatur. — Non enim seorsum securis facit lectum et artifex seorsim, sed totum facit artifex, et totum securis, si unum talis artificii instrumentum existat. Sic scriptionem totam facio ego et calamus etiam totam. Proinde S. Th. loc. cit. ait: " Non sic idem *effectus* causae naturali et divinae virtuti attribuitur quasi partim a Deo, et partim a naturali agente fiat, sed totus ab utroque secundum alium modum „.

426. Nota. Omnis causa secunda relate et sub causa prima est causa instrumentalis.

THESIS VI.ª — **Instrumentum tamdiu ab agente principali moveri intelligitur, quamdiu retinet virtutem ab illo impressam.** (Cfr. S. Th. *De Pot.* q. 3. a. 11 ad 5m).

427. Probatur. — Nam sagitta tamdiu movetur a proiiciente, quamdiu manet vis impulsus proiicientis. Sicut etiam generatum tamdiu movetur a generante in gravibus et levibus, quamdiu retinet formam sibi traditam a generante; unde et semen tamdiu intelligitur moveri ab anima generantis, quamdiu remanet ibi virtus impressa ab anima. Oportet autem movens et motum esse simul quantum ad motus principium, non tamen quantum ad motum totum, ut apparet in proiectis.

THESIS VII.ª — 1º **Effectus respondens actioni propriae instrumenti, est prior in via generationis quam effectus respondens principali agenti.** 2º **Hinc repugnat instrumentum creationis.** (Cfr. S. Th. C. G. l. 2. c. 21 Arg. 6; l. 2. c. 21; 1. p. q. 45. a. 5.).

428. Probatur 1ª pars. — Nam prius est sectio ligni, quam forma scamni, et digestio cibi quam generatio carnis; et ratio est, quia omne agens instrumentale exequitur actionem principalis agentis per aliquam actionem propriam et connaturalem sibi, uti vidimus in propositione.

Probatur 2ª pars. — Ratio est: " quia causa secunda instrumentalis non participat actionem causae superioris nisi in quantum per aliquid sibi proprium *dispositive* (intellige *praevie*, quia omne praerequisitum se habet ut dispositio ad illud ad

quod praerequiritur, ut diximus ubi de Actu et Potentia) operatur ad effectum principalis agentis. Si enim nihil ibi ageret secundum illud, quod est sibi proprium, frustra adhiberetur ad agendum; nec oporteret esse determinata instrumenta determinatarum actionum. Sic enim videmus quod securis scindendo lignum, quod habet ex proprietate suae formae, producit formam scamni, quae est effectus proprius principalis agentis. Illud autem quod est proprius effectus Dei creantis, est illud quod praesupponitur omnibus aliis, scilicet esse absolute. (Effectus autem proprius causae cuiuslibet creatae praesupponit subiectum quod creatione primum habetur). Unde non potest aliquid aliud operari *dispositive* (h. e. *praevie*) et instrumentaliter ad hunc effectum, cum creatio non sit ex aliquo praesupposito, quod possit disponi (praevie) per actionem instrumentalem agentis (quam habet ex forma propria). Sic igitur impossibile est quod alicui creaturae conveniat creare neque virtute propria, neque instrumentaliter sive per ministerium „.

THESIS VIII.ª — 1° **Virtus instrumentalis est fluens et incompleta in esse naturae** (Cf. S. Thom. 3. p. q. 62. a. 3.); 2° **quare nihil prohibet in corpore esse virtutem spiritualem instrumentaliter, in quantum scilicet corpus potest moveri ab aliqua substantia spirituali ad aliquem effectum spiritualem inducendum** (S. Th. 3. p. q. 62. a. 4 ad 1m); 3° **Virtus instrumentalis non est proprie loquendo in aliquo genere sed reducitur ad genus et speciem virtutis perfectae** (S. Thom. 3. p. q. 62. a. 4 ad 2m).

429. Probatur 1ª pars. — Instrumentum enim, ut dictum est, non operatur nisi in quantum est motum a principali agente, quod per se operatur; et ideo virtus principalis agentis habet permanens et completum esse in natura; virtus autem instrumentalis habet esse transiens ex uno in aliud et incompletum, sicut et motus est actus imperfectus ab agente in patiens. (S. Th. 3. p. q. 62. a. 4.).

Probatur 2ª pars. — Nam v. g. in ipsa voce sensibili est quaedam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis in quantum procedit a conceptione mentis. Tamen manifestum est quod " virtus spiritualis non potest esse in re corporea per mo-

dum virtutis permanentis „ ut virtus exprimendi cogitationes novas in calamo.

Probatur 3ª pars. — Omnis motus " eo quod est actus imperfectus non proprie est in aliquo genere, sed reducitur ad genus actus perfecti, sicut alteratio ad qualitatem. Atqui virtus instrumentalis habet esse incompletum, est fluens. Ergo etc.

THESIS IX.ª — **Virtus instrumentalis acquiritur instrumento ex hoc ipso quod movetur ab agente principali.** (S. Th. 3. p. q. 62. a. 4 ad 3m).

430. Probatur. — Nam artifex non causat aliquam formam in instrumento, praeter formam artis, quam ipse artifex habet; non, inquam, causat in eo formam artis permanentem, quia sic instrumentum cessaret esse instrumentum et fieret artifex seu causa principalis; nec intentionalem quandam artem causat in eo, quae sit producta et causata ad modum termini actionis ipsius artificis, sed solum per hoc *acquiritur in instrumento virtus agentis principalis in quantum ab eo movetur.* Unde eadem virtus quae est in agente principali permanenter, eadem transeunter et per modum motus habetur ab instrumento ut instrumentum est, dum actu fungitur munere instrumenti seu adhibetur ad opus. — Cogita quam vim habeat serra praeter meam, quam artem praeter meam; et quando dicatur agere in virtute non sua, sed alterius, quae remanet alterius. Cogita an sint duae virtutes artis, alia permanens, alia transiens, an e contra una sit virtus eaque permanens, quae transeunter participatur ab instrumento seu potius acquiritur instrumento transeunter, in se autem permanens. — Virtus qua calamus meus scribit *permanens in se* est, quia mea virtus est, sed in calamo permanens non est; est tamen adhuc, cum amplius in calamo non est, quia non eius, sed mea est, et in me permanens est. Haec velim perpenderes, praesertim cum de divina virtute sermo est gratiae causa solus Deus est, et virtus, quae divina non sit, effectum gratiae causare non potest. Unde nil valet obiectio quae fit in 3 " Praeterea „ l. c. S. Thomae.

THESIS X.ª — **Eadem numero vis principalis agentis instrumentaliter invenitur in omnibus instrumentis ordinatis ad**

effectum, prout sunt quodam ordine unum. (S. Th. 3. p. q. 62. a. 4. ad 4m).

431. Probatur. — Ratio est quia virtus instrumenti, ut instrumentum est, est virtus principalis agentis, quae non multiplicatur pro numero instrumentorum; unde dum una actione agit, etsi plura adhibeat instrumenta coordinata ad unum effectum, una virtus erit in omnibus illis instrumentis. Cf. etiam 3. p. q. 82. a. 1. ad 1m.

432. Corollarium 1.m — Effectus instrumenti ut instrumentum est, est nobilior instrumento ut res quaedam est.

Sequitur ex dictis, proportionatur enim excellentiori virtuti, et proinde assimilatur excellentiori naturae, scilicet principalis agentis cuius est virtus qua instrumentum instrumentaliter agit.

Corollarium 2.m — De ratione instrumenti est quod agat in virtute principalis causae totam agendi vim illi conferentis.

Patet loculenter ex dictis. — Hinc potius sequitur quod quantum ad illud, quod instrumentum operatur secundum virtutem in eo permanentem, seu secundum formam aliquam ei propriam, *stricte* non dicitur instrumentum, quantumcumque ab aliqua alia causa moveatur seu applicetur ad opus. Unde si quid solum moveret et excitaret aliud ad ponendam propriam actionem illi proportionatam, quin ad effectum altiorem eius efficaciam elevaret non se haberet ad illud stricte ut ad instrumentum. Ratio tamen instrumenti late analogatur, ut patet in moralibus.

QUAESTIO QUINTA.

De Causa Finali.

THESIS I.a — **Causa finalis bene definitur: "Id cuius gratia aliquid fit„ seu: "Id propter quod aliud fit„.**

433. Probatur. — Id ad quod intendit actio agentis dicitur

causa finalis, uti vidimus cum S. Thoma. — Sed hoc bene dicitur — id cuius gratia aliquid fit. Ergo causa finalis bene definitur — id cuius gratia aliquid fit :

Dividitur autem finis :

1° In finem *cuius gratia* et finem *cui*. Finis *cuius gratia* est bonum quod appetitur. *Finis cui* est illud, cui desideratur bonum, vel de cuius bono gaudetur.

Hi autem non sunt duo fines simpliciter, sed dici possent duae rationes constituentes concrete unum totalem finem. Nam intentio agentis non sistit in fine *cui,* prout separatur a fine *cuius gratia,* sed secundum quod ab ipso specificatur. Et similiter finis *cuius gratia* non appetitur nisi in quantum est perfectivus eius cui desideratur bonum, vel de cuius bono gaudetur. Sic nemo sumit medicinam propter seipsam solam, neque propter sanitatem, sed propter sanitatem sibi acquirendam, et ita sanitas, et is cui sanitas desideratur, constituunt in concreto unum finem totalem.

2° In *obiectivum* et *formalem.*

Obiectivus, est res in qua invenitur ratio boni quod appetitur.

Formalis est ipsa adeptio, seu assecutio rei, in qua invenitur ratio boni. — Primus dicitur etiam finis *qui,* seu id *quod* appetitur; secundus vero finis quo, seu actus quo possidetur id quod appetitur.

3° *In finem operis* et in *finem operantis.*

Finis operis est in quem res, vel actio aliqua, natura sua, ordinatur, ut domus ad habitandum, et dicitur etiam finis rei *intrinsecus.*

Finis operantis, est quem agens pro libito intendit, ut studere ad dignitates, honores, divitias; et dicitur quoque finis rei *extrinsecus.*

4° In *finem primarium* et *secundarium.*

Finis primarius est in quem primo et per se fertur appetitus; v. g. qui recitat horas canonicas principaliter potest intendere cultum divinum et secundario percipere fructus beneficii, qui finis secundarius est primario connexus consecutive.

Finis secundarius, est ille qui intenditur quasi consequenter ad primarium cum quo est connexus.

5° In *finem efficiendum* et *consequendum.*

Finis efficiendus est ille qui intenditur ut sit, et potest esse vel aliqua res, sicut domus est finis aedificationis, vel aliqua operatio, ut citharizare est finis citharistae.

Finis consequendus, est ille, qui cum iam in se existat intenditur ut possideatur.

6° In *finem ultimum* et *non ultimum.*

Finis ultimus, est ille, qui ad altiorem finem non ordinatur, et potest esse, vel ultimus simpliciter, vel ultimus secundum quid, h. e. in aliquo ordine.

Finis non ultimus est ille qui ad altiorem finem ordinatur; et potest esse *proximus,* si ad ipsum nullus alius finis ordinetur, vel *intermedius*, si ad ipsum aliquis alius finis ordinetur.

7° In *finem naturalem, praeternaturalem et supernaturalem.*

Finis naturalis est ille, qui est proportionatus exigentiae naturali.

Finis praeternaturalis, est ille, qui non est proportionatus exigentiae huius creaturae, et proportionatus exigentiae alterius creaturae, creatae vel creabilis.

Finis supernaturalis, est ille, qui superat totam capacitatem cuiuscumque creaturae creatae, vel creabilis.

THESIS II.ª — Finis veram habet causae realis rationem; imo in ordine causandi, finalis dicenda est prima.

434. Probatur 1ª pars. — Causa realis. 1° Finis realiter influit esse in aliud, quamvis omnino alio modo quam efficiens, vel materia, vel forma. Ergo veram habet causae realis rationem.

2° Quaerentis propter quid aliquid sit factum, saepe assignamus finem, ut realem causam. Ergo etc.

Probatur 2ª pars. — Materia et forma non exercent propriam causalitatem nisi efficiens exerceat suam. Sed efficiens nequit ad operationem procedere, seu, non exercet suam, nisi moveatur a fine, seu, nisi finis exerceat suam. Ergo finis est prima causarum, in ordine tamen intentionis.

THESIS III.ª — 1° Causalitas finis in actu primo, seu id quo habet ut causet, seu possit causare, est ipsa finis bonitas; 2° secundum suum esse reale, et non secundum suum esse apprehensum; 3° licet non possit causare nisi sit apprehensa.

435. Probatur 1ª pars. — Causalitas finis *est ipsa finis bonitas.* Causalitas finis in actu primo est id quod aptum est allicere causam agentem. Sed quod est aptum allicere causam agentem, seu id quo finis allicit, est ipsa eius bonitas. Ergo causalitas finis in actu primo est ipsa finis bonitas.

Probatur 2ª pars. — *Secundum esse reale.* Causa agens non appetit apprehensionem aliquam boni, sed ipsum bonum apprehensum. Appetitus enim fertur in res sicuti sunt. Ergo causalitas finis in actu etc

Probatur 3ª pars. — *Licet non causet nisi sit apprehensa.* Nil volitum quin praecognitum. Ergo apprehensio bonitatis est conditio sine qua non finis nequit exercere suam causalitatem.

THESIS IV.ª — **Causalitas finis in actu secundo, seu ipsa eius causatio, est ipsum appeti aut desiderari ab agente.**

436. Probatur. — 1° Tunc exserit finis vim suam causativam, seu causat in actu secundo, quando inspirat amorem, seu desiderium sui. Sed non movet, seu non imperat amorem sui in actu secundo, nisi ex hoc quod appetitur et desideratur in actu. — Ergo causalitas finis in actu secundo, seu ipsa eius causatio, est ipsum appeti et desiderari.

2° Per illud finis est causans in actu secundo, per quod inclinat et movet ad se voluntatem. Sed hoc praestat per amorem et desiderium, seu per hoc quod appetitur et desideratur. Ergo causalitas finis in actu secundo est ipsum appeti et desiderari. S. Thomas *de Verit.* q. 22. a. 2. ait: " sicut influere causae efficientis est agere, ita influere causae finalis est appeti et desiderari „.

QUAESTIO SEXTA.

De causis inter se comparatis.

THESIS I.ª — **Ordo nobilitatis; 1° est finis; 2° agens; 3° forma; 4° materia.**

437. Probatur. — Nam, si fit comparatio secundum per-

fectionem, seu nobilitatem, causae extrinsecae sunt perfectiores, intrinsecis, quia causae intrinsecae sunt entia incompleta. — Inter intrinsecas causas, causa formalis est perfectior causa materiali, quia forma perfectionem dicit, materia vero solum capacitatem perfectionis. — Inter extrinsecas, finis est perfectior, seu nobilior causa agente: nam " Finis, ut dicit S. Thom. Op. 31, est causa causalitatis efficientis, quia facit efficiens esse efficiens: et similiter facit materiam esse materiam, et formam esse formam, cum materia non suscipiat formam, nisi propter finem, et forma non perficiat materiam, nisi per finem: unde dicitur quod finis est causa causarum, *quia est causa causalitatis in omnibus causis* „. Ergo etc.

THESIS II.ª — 1º **Si comparentur causae cum effectu, causae intrinsecae sunt minus nobiles quam effectus;** 2º **causae vero extrinsecae sunt nobiliores effectu;** 3º **quod vero attinet ordinem in causando** 1ª **est causa finalis,** 2ª **agens,** 3ª **causa materialis,** 4ª **causa formalis.**

438. **Probatur** 1ª **pars.** — Ratio est quia causae intrinsecae sunt entia incompleta.

Probatur 2ª **pars.** — Causa finalis in agentibus bene ordinatis debet esse nobilior effectu — inconveniens enim est quod aliquid sit propter vilius — S. Th. 2. D. 15. a. 1; contingit tamen quod sit ignobilior ex depravatione agentis. Causa efficiens principalis est nobilior suo effectu, si sit aequivoca, vel saltem aeque nobilis, si sit univoca; tamen quatenus univoce convenit cum effectu non est causa.

Probatur 3ª **pars.** — Nam movetur prius agens a fine, deinde operando in materia inducit formam. Utique agens praeexistit fini, et materia agenti creato, sed non causat agens antequam causet finis, nec materia causat antequam causet agens.

THESIS III.ª — **Axioma illud " causae sunt sibi invicem causae „ intelligi debet de causis sibi invicem correspondentibus, materiali scilicet et formali seorsim, efficienti et finali seorsim.** (S. Th. Vº *Metaph.* l. 2.).

439. **Probatur.** Nam causa formalis correspondet materiali, et efficiens finali, ut dans esse accipienti, et principium termino.

Et sic materia et forma sunt sibi invicem causae, materia sustentans formam, et forma actuans materiam. Finis autem, ut *intentus*, allicit et movet causam efficientem, et sic ei est causa ut causet, seu ut sit efficiens aliquid; finis vero, ut *obtentus*, causatur ab agente, unde, *secundum intentionem causat, secundum esse causatur*.

THESIS IV.[a] — **Impossibile est quod duae causae completae eiusdem ordinis sint immediate unius rei; bene tamen potest idem effectus produci a pluribus causis partialibus, vel a pluribus causis totalibus diversi ordinis.**

440. Probatur 1a pars. — *Impossibile est* etc. S. Thomas I. p. q. 52. a. 3. ait: " Impossibile est quod duae causae completae sint immediate unius et eiusdem rei. Quod patet in omni genere causarum: quia una est forma proxima unius rei, et unum est proximum movens, licet possint esse plures motores remoti. Nec habet instantiam de pluribus trahentibus navim, quia nullus eorum est perfectus motor, cum virtus uniuscuiusque sit insufficiens ad movendum; sed omnes simul sunt in loco unius motoris, in quantum omnes virtutes eorum aggregantur ad unum motum faciendum „. Et V. *Metaph.* l. 2. " Impossibile est ut eiusdem effectus sint plures causae *secundum id.* „. Si secus accideret, duae causae essent simul totales et non totales in eodem ordine, seu unaquaeque esset simul tota ratio perfectionis effectus in illo ordine, et non esset tota ratio productionis in illo ordine.

Quod assertum est de causis efficientibus, valet etiam, suo modo, de aliis causis: scilicet duae formae totales nequeunt simul informare eandem materiam: duplex materia totalis nequit simul sustentare unam formam: duplex finis totalis nequit simul esse unius actionis.

Probatur 2a pars. — *Bene tamen etc.* Nam totus effectus est a causa prima, et totus a causa secunda: totus a causa principali, et totus a causa instrumentali; item v. g. in humanitate non est invenire partem, quae sit solum a materia, et partem solum a forma; sed tota humanitas et quaelibet pars humanitatis est tota a materia et tota a forma, sed in alio et alio genere causalitatis; pariter tractio alicuius curri potest esse a pluribus causis partialibus.

APPENDIX A.

Circa univocationem entis relate ad individua eiusdem speciei.

Dices 1°. Ut ens esset univocum deberet esse ratio simpliciter abstracta. Atqui hoc est impossibile. Ergo ens non est univocum.

Resp. *D.M.* Deberet esse ratio abstracta ea abstractione, quae requiritur ad habendum universale materiale, nempe abstracta a notis individuantibus *C.M.:* deberet esse ratio simpliciter abstracta ad modum *generis* quod abstrahitur a differentiis *N.M.* — *Cdm.* Ens non est ratio *simpliciter abstracta* seu ad modum generis etc. *C.m.;* non est ratio abstracta ab individuatione *sbd.:* dum praedicatur de ipsa individuatione vel de notis individuantibus alicuius individui *C.m.;* dum praedicatur de ipsis individuis *N.m.* (sic enim non significat nisi *essentiam*). — *N.C.*

Dices 2°. Ens quamvis haberi possit ut universale, tamen non est universale nisi *analogum.* Ergo falsum est quod sit *univocum.*

Resp. *D.A.* Est universale *analogum,* si praedicatur de habentibus essentiam diversam *C.A.;*... si de pluribus habentibus essentiam eandem *N.A.* — *D.C. eodem modo.*

Dices 3°. Etiam plures species diversae conveniunt in identitate essentiae genericae. Ergo si est univocum ens, dum praedicatur de pluribus habentibus eamdem essentiam *specificam,* dici debet univocum etiam dum praedicatur de pluribus habentibus eandem essentiam *genericam.*

Resp. *D.A.* Et tamen ens non praescindit a specificis differentiis dum praedicatur de pluribus specie differentibus *C.A.;* et ab ipsis praescindit sicut praescindit a differentiis individualibus dum praedicatur de individuis eiusdem speciei *N.A.* — *N.C.* et *paritatem.*

Dices 4°. Ens importat omnia quae in re sunt. Atqui quod tale est, non potest esse univocum. Ergo ens non est univocum.

Resp. *D.M.* Praedicatur de omnibus quae in re sunt *C.M.;* significat omnia quae in re sunt, dum praedicatur de re *N.M.* — *Cdm.* — *N.C.*

Dices 5°. Hoc ipso quod ens praedicari potest de omnibus quae in re sunt, impossibile est quod sit ratio univoca: omnia enim quae in re sunt, sunt simpliciter diversa.

Resp. *D.A.* Nequit esse ratio univoca *secundum quod praedicatur de diversis specie,* sicut ratio hominis non est univoca si praedicatur de Petro et de homine picto *C.A.:* secundum quod praedicatur de iisdem specie

(sicut homo de Petro et Paulo) *N.A.* — " Ens dictum de Petro et Paulo, vel de duobus aliis individuis est transcendens, cum imbibatur etiam in eorum differentiis, et in omni eorum ratione, et tamen neque est proportionalitatis, neque proportionis, siquidem inter individua est omnimoda aequalitas. *Resp.:* Transcendens de se et per se ad plura extendi, quae et specie et genere differunt, respectu quorum analogum est, et sic non coarctatur ad illa tantum individua: *respectu tamen illorum praecise analogum non est,* licet transcendens sit, sed hoc est per accidens quia non sumitur ratio transcendens secundum se totam sed cum restrictione ad duo *inaequalitatem formalem non habentia,* sed tantum materialem, quae non est diversitas, et ideo sumendo restrictionem ad illa, *non* exercetur *inaequalitas et diversitas analogiae,* licet transcendentia remaneat „ (Io. a S. Thoma *Log.* II. p. q. XIII. a. 3).

Dices 6°. Ratio entis non importat rationem *absolutam* sed *proportionalem.* Atqui ratio proportionalis est evidenter *analoga.* Ergo.

Resp. *C.M.* — *D.m.* Ratio proportionalis est analoga quando proportio ipsa est convenientiae et non *identitatis, C.m.:* si est *identitatis, N.m.* — *D.C. eodem modo.*

Proportio *dupli,* quae est inter 4 et 2, et 6 et 3, est proportio identitatis, et ideo est ratio *univoca:* eodem modo proportio, quam habent essentiae eaedem specifice et differentes solum numero, est proportio *identitatis,* et ideo est ratio *univoca.* — Quare S. Th. ait: " Omne quod est in praedicamento substantiae est in suo esse subsistens et oportet quod esse suum sit aliud quam ipsum, *alias non posset differre secundum esse* (in ratione *entis*) ab illis cum quibus convenit in ratione suae quidditatis (in ratione *substantiae*) „ (*De Verit.* q. 27 a. 1. ad 8). Quare differentia individualis non sufficit secundum S. Th. ut diversificentur *secundum esse* nempe *in ratione entis* ea, quae conveniunt in quidditate, sed requiritur compositio inter essentiam et esse, ex qua compositione haberi possunt *diversae essentiae* et consequenter *diversa entia.* Unde secundum S. Thom. ens relate ad ea, quae habent eandem essentiam specifice, *manifeste est univocum.*

APPENDIX B.

De Vero transcendentali.

Agentes de veritate transcendentali conati sumus componere et ad unitatem redigere varios modos loquendi, qui a melioribus Thomistis passim in hac quaestione, sane difficili, adhibentur. Simpliciori vero modo mens Angelici Doctoris sic explicari posse videtur:

Secundum S. Thomam ratio *veri* non est nisi una, et non est nisi in intellectu, utpote bonum ipsius; est *conformitas* seu *adaequatio* intellectus et rei, quae conformitas est prorsus ordinis intellectivi: non est ergo quaerenda extra intellectum, sed tantum in intellectu. Derivatur tamen ista ratio ab intellectu in rem ipsam, prouti res ipsa consideratur per ordinem ad intellectum seu ut *intelligibilis*. Unde saepissime S. Thomas dicit quod verum supra ens addit rationem intelligibilis, sicut bonum addit rationem appetibilis (Cfr. 1ª p. q. 16. a. 3). Patet autem quod intelligibilitas rei est ipsa entitas ipsius, unde ens et verum transcendens manifeste convertuntur.

Sicut autem unaquaeque res secundum totum suum esse pendet ab Esse Dei tanquam a causa, ita quoque secundum totum esse pendet ab Intellectu divino tanquam a mensura; sed ista dependentia ab Intellectu divino, quae est realis relatio in creatura, non est proprie loquendo neque veritas *formalis*, neque veritas *transcendentalis*: non veritas formalis, quia, ut dictum est, veritas formalis non est nisi una, nempe relatio *intellectus* ad rem; non veritas transcendentalis, quia verum transcendens non est nisi ipsa entitas rei et nullo modo est relatio. Tamen haec relatio ad Intellectum divinum quamvis non includatur a vero transcendenti, *connotatur* hoc ipso, quod verum transcendens non dicit meram entitatem rei, sed entitatem cum ordine ad intellectum. Manifestum est autem, quod ordo ad intellectum, qui connotatur a vero transcendenti *simpliciter*, est ordo ad Intellectum divinum. Ergo verum transcendens simpliciter nihil aliud est quam entitas rei cum *connotatione* huius realis relationis, per quam res ipsa secundum totum suum esse comparatur ad Intellectum divinum tanquam ad principium et mensuram.

Hinc intelliges quomodo verum non addit supra ens nisi *relationem rationis*: nam verum supra ens non addit nisi dictam *connotationem* relationis ad intellectum (divinum *simpliciter, secundum quid* etiam ad intel-

lectum humanum; sed " iudicium de re non sumitur secundum id quod convenit ei per accidens, sed secundum id, quod convenit ei per se „) : sed praedicta connotatio non est nisi *relatio rationis ;* nam, ut vidimus cum S. Thoma (p. 289) ordo qui accipitur ab intellectu inter absolutum aliquod et relationem, quae in ipso est, non est nisi relatio rationis. Hoc autem exprimitur dicendo quod verum addit supra ens rationem *fundamenti* [1]) relationis realis ad Intellectum divinum, vel rationis (secundario) ad intellectum creatum, seu etiam quod addit *connotationem* relationis praedictae ad intellectum, seu etiam quod addit relationem *ad intellectum ut sic,* in quantum hoc modo intelligitur, quod verum non addit supra ens *relationem realem* ad Intellectum divinum, neque relationem rationis ad intellectum creatum, sed *meram relationem rationis* fundamenti seu connotationis praedictarum relationum : cum quo tamen optime stat quod simpliciter unaquaeque res dicatur vera per ordinem ad intellectum, a quo pendet in esse, nempe per ordinem ad Intellectum divinum.

Videtur ergo quod hoc modo dicendi, ea quae in thesi II.ª n. 306 seq. dicta sunt, novam confirmationem, novamque lucem obtineant.

Dices 1°. " Res naturales, ait S. Thomas, dicuntur verae, secundum quod assequuntur similitudinem specierum, quae sunt in Mente divina „ (1ª p. q. 16. a. 1°) ideoque verum transcendens importat comparationem ad Intellectum divinum. Atqui haec comparatio est realis relatio. Ergo verum transcendens importat relationem realem.

Resp. *C. text. — Dist. illat.* Verum transcendens *dicitur per ordinem* ad relationem, quam habent res ad Intellectum divinum, *C. ; includit,* seu *importat* praedictam relationem, *N. — C.m. — D.C.* Dicitur per ordinem, seu *connotat* relationem realem (saltem primario et simpliciter) *C.C. : importat* relationem realem, *N.C.*

Dices 2°. Conceditur quod verum transcendens addit supra ens *respectum ad intellectum.* Atqui talis respectus ad intellectum, si agitur de Intellectu divino, est *realis,* et *realiter distinctus* ab entitate rei. Ergo etiam verum transcendens addit supra ens aliquid *reale* et *realiter distinctum* ab ipso. (Cf. **Ob. 2ª** p. 295).

Resp. *D.M.* Verum transcendens addit supra ens respectum ad intellectum nempe *connotationem* relationis ad intellectum sive haec sit realis sive sit rationis *C.M. ;* addit ipsam *relationem ad intellectum Sbd. :* relationem rationis quae nihil aliud est quam ipsa connotatio *C.M. ;* relationem proprie dictam directe et determinate ad intellectum *N.M. — Cdm.* Respectus seu

---

1) Ut notavimus in nota p. 292 dicere quod verum addit supra ens rationem *fundamenti,* sustineri potest, dummodo advertatur id quod additur non esse notam *realem* quam ratio fundamenti importat : quidquid enim est realitatis in ratione fundamenti identificatur cum ente ideoque non additur ; sed esse merum respectum rationis inter ipsam entitatem et relationem ad Intellectum divinum (primario), seu esse connotationem huius relationis.

relatio ipsa determinata ad Intellectum divinum est relatio *realis* etc. *C.m.* (et *nego* quod ista relatio sit *veritas* sive formalis sive transcendens) : *connotatio* huius relationis est relatio realis *N.m.* — *N.C.* — Ut diximus, connotatio relationis realis ad Intellectum divinum (secundum quam attenditur verum transcendens *simpliciter*) potest accipi tanquam relatio quaedam ad intellectum *ut sic*, praecise ut distinguatur ab ea relatione ad intellectum quae *connotatur* sed non additur : haec autem relatio ad intellectum *ut sic* est mere rationis, tum quia est relatio quae ponitur ab intellectu inter absolutum et relationem, tum etiam quia potest accipi ut ad terminum indeterminatum : quamvis enim *primario* respiciat ordinem quam res habent ad Intellectum divinum, *secundario* et per accidens respicit quoque ordinem, quem habere possunt ad intellectum creatum.

Dices 3°. Si relatio realis creaturae ad Intellectum divinum invenitur in omnibus omnino creaturis, bene dici potest aliquid transcendens, vel saltem verum transcendens dici poterit per ordinem ad illam. (Cf. **Ob. 8ª** p. 295).

Resp. Dicta relatio non est transcendens hoc ipso quod est distincta realiter ab essentia creaturae, sicut nec transcendens est relatio effectus etc. Nihil tamen prohibet quod verum transcendens dicatur per ordinem ad illam non quidem quatenus est relatio *realis* sed inquantum est relatio ad *intellectum*. Hoc modo patet quod verum transcendens extenditur ad ipsum Deum. Esse enim divinum dici potest verum in quantum per identitatem respondet Intellectui ipsi divino. Verum tamen transcendens etiam dictum de Deo non dicit relationem istam *identitatis*, sicut dictum de creaturis non dicit *relationem realis dependentiae* ab intellectu, sed meram *connotationem* huius relationis : quae connotatio semper est relatio *rationis*.

Nota. — Patet quod hoc modo dicendi, qui videtur omnino secundum S. Th., *verum simpliciter dictum* non est nisi verum formale, nempe *relatio intellectus et rei : relatio autem rei ad intellectum*, quae a quibusdam auctoribus dicitur *verum simpliciter* quamvis non formale, (cf. n. 309. Nota) consultius non dicitur pertinere ad *verum simpliciter*, ut haec denominatio relinquatur soli veritati formali. Verum autem transcendens non est nisi ipsa entitas rei *per ordinem* ad dictam relationem. Unde quando S. Thomas dicit quod *verum addit supra ens adaequationem ad intellectum*, quod *verum nihil aliud est quam entitas rei adaequata intellectui*, quod *res naturales dicuntur verae in quantum assequuntur similitudinem specierum quae sunt in Mente divina*, non intendit quod verum transcendens *includat* relationem realem rerum ad Intellectum divinum, sed quod *dicatur per ordinem* seu *connotet* dictam relationem realem : quae connotatio praedictis modis dicendi indifferenter exprimitur. Et quia dicta connotatio relationis non est nisi *relatio rationis*, patet quod cum dicit quod verum *non addit supra ens nisi relationem rationis*, quod ab eo *non differt nisi ratione*, idem dicit. Hoc igitur modo *Nota* [n. 309] p. 297, aptius reformari potest ad mentem S. Thomae.

Dices 4°. Hoc modo dicendi non apparet ratio quomodo res, *ut verae*,

habere possint relationem *realem* ad Intellectum divinum, quod tamen communiter asseritur a melioribus Thomistis.

Resp. Nos non dicimus quod res *ut verae* transcendentaliter non *connotent* relationem *realem* ad Intellectum divinum, sed dicimus quod *non important seu non includunt* hanc relationem : et dicimus quod haec relatio non est neque veritas formalis neque veritas transcendens : quod si a quibusdam vocatur *verum simpliciter* dictum (ita nempe ut verum *simpliciter* dictum vocetur indifferenter relatio sive intellectus et rei sive rei et intellectus, verum autem *formale* relatio intellectus et rei), quaestio tandem non est nisi de nomine. Consultius tamen nomen *veri simpliciter* soli veritati formali, ut dictum est, relinquitur.

Dices 5°. Quid tandem significamus quando dicimus : " *hoc est verum aurum* „, " *Christus Dominus est verus Deus* „ ? etc.

Resp. Idem omnino ac dum dicimus " *hoc est aurum* „ " *Christus Dominus est Deus. Verum* enim dicit id ipsum quod *ens :* exprimimus tamen modum quendam generaliter consequentem omne ens, quod nempe habeat, ut dicit Avicenna, *proprietatem sui esse quod stabilitum est ei* (q. 16. a 1. c.): quia, ut Aristoteles dicit 2° *Met.* c. I. " *Ut unumquodque est, ita et verum est* „. Quia autem mensura proprietatis essendi uniuscuiusque rei est Intellectus divinus, connotatur relatio realis quam res habent ad Intellectum divinum. Hinc ordo ad intellectum semper includitur dum agitur de *vero :* quamvis pro his qui Deum negant, intellectus ad quem verum dicit ordinem, non erit Intellectus divinus, sed intellectus ipse humanus quatenus refert rationes quasdam veluti exemplares seu typicas cuiusque rei. (Cf. *Log.* n. 610 *nota*).

Virgini Deiparae.

Quae docuit mire Angelicus nos vera Magister
En volumus, Virgo, cuncta dicata Tibi.

INDEX RERUM

in Metaphysica Generali contentarum.

Nota. — Indicantur numeri marginales; *N.* significat Notam in corpore libri positam; *n.* notam in calce.

Abstractio. — Quotuplex sit, 26.

Accidens. — Alio modo essentia est in accidentibus ac in substantiis, 220. — Existentia neque respectu alicuius accidentis dici potest accidens praedicamentale, 262, 2ª p.; — reducitur tamen ad praedicamentum illius accidentis, cuius est, *ib.*, 3ª p. — Existentia accidentium non est ipsa existentia substantiae, in qua sunt, 264. — Difficultates solvuntur, 263, 265. — Cur accidentia non dici possint suppositum, 353, 1ª p. — *Accidens praedicamentale* bene definitur " ens in alio „ vel " entis ens „ 371, 1ª p. — Quomodo sit intelligenda haec definitio, *ib.*, 2ª p. — Obiectiones solvuntur, 372. — Neque rationem completae essentiae habet, neque pars completae essentiae est, sed sicut est ens sec. quid, ita et essentiam sec. quid habet, 373. — In rebus creatis dantur accidentia realia, et realiter distincta a substantia, 374, 375. — Obiectiones solvuntur, 376. — Accidentia realia constant non solum propria essentia, sed etiam proprio esse distincto ab esse substantiae, 377, 1ª p.; — hoc autem est esse sec. quid ipsius substantiae, *ib.*, 2ª p. — Accidens praedicamentale individuatur ex subiecto, 378. — Accidens proprium et per se causatur a subiecto secundum quod est in actu, et in eo recipitur in quantum est in potentia, 379. — Difficultas solvitur, 380, *Quaeres.* — Accidens extraneum recipitur in subiecto sec. quod causatur ab agente extrinseco, *ib.*, 2ª p. — Diluitur difficultas, 381. — Unde sumantur genus et differentia in accidentibus, 382. — Naturaliter non possunt esse sine subiecto, 383, 1ª p.; — potest tamen hoc fieri virtute divina, *ib.*, 2ª p.; — et probatur non repugnare, *ib.*, 3ª p. — Accidens respectu novem generum non est univocum, sed analogum, 385.

Actio. — Actio in distans repugnat, 416, 1ª p. — Omnis actio est suppositi ut " quod „: potentiae operativae ut " quo „: formae substantialis ut principii remoti, 417, 1ª, 2ª, et 3ª p. — Duplex est actio instrumenti, quarum secunda proportionatur tantum virtuti principalis agen-

tis, 421-424 : Cfr. **Instrumentum.** — Cfr. etiam **Operatio.**

Activitas. — Denegare activitatem entibus creatis irrationale est, 414, 415.

Actus. — Quanti momenti sit tractatio de Actu et Potentia, 53 (pag. 53). — De maxima analogatione nominis " Actus „ 54, 212. — Quid intelligatur hic nomine "Actus „ 55. — Simul cum potentia dividit adaequate omnem ordinem, etiam universalissimum entis, 58, 59. — Transcendentaliter se refert ad potentiam (si non est purus), 60 ; — nulla media relatione praedicamentali, 61, 62. — Est principium entis, 63. — Definiri proprie non potest, 64 ; — sed tantum aliqualiter notificari, 65. — In quovis ordine distinguitur a potentia : realiter, in ordine reali ; ratione, in ordine logico, 68, 69, 70. — Actus non limitatur nisi per potentiam, 74, 75. — Id quod est actus vel compositum ex potentia et actu in aliquo ordine, potest esse potentia relate ad alium ordinem, 86. — Cfr. **Forma, Esse.** — Male definitur a P. Piccirelli, 251, II° — Non bene dicitur quod limitetur in quantum est potentia ad esse, 258 ; 259, 1ª p.

Actus purus. — Cur ad explicandos actus puros substantiales adhibeantur exempla accidentalium, 72. — Actus purus nequit esse in suo ordine limitatus, 73. — Est infinitus, 76. — Est aliqua quidditas subsistens, 77. — Est necessario unicus in specie, 78. — Si multiplicatur in specie non est purus, 79. — Non convenit univoce in eadem specie cum actu recepto in potentia, 84. — Actus purus in ordine ultimo non potest esse potentia ad alium ordinem, 86. — Actus puri in aliquo ordine particulari multiplices esse possunt, licet non in eadem specie, 105, 107. — Componuntur realiter ex actu et potentia in ordine essendi, 106, 107.

Actus in potentia receptus. — Est limitatus, 71 ; — et multiplicabilis, 81 ; — etiam in eadem specie, 82. — Non convenit univoce in eadem specie cum actu puro, licet dicantur eiusdem ordinis, 84. — Si plures actus specificant unam potentiam, debent convenire in uno genere, 128, 129. — Omnis actus substantialis alicuius potentiae est actus primus, 131 ; — qui in re per se una unus est, 132. — Actus et potentia in ordine substantiae constituunt per se unum, 133, 134. — Actus substantialis perfectior, virtute continet imperfectiores, 135 ; — et prius intelligitur perficere materiam secundum gradus inferiores, quam secundum superiores, 136. — Quomodo actus limitet potentiam, 147 ; — et quomodo limitetur ab ipsa, 148 : Cfr. **Limitatio, Potentia, Forma.** — Nequit esse unicus actus plurium potentiarum, 167.

Additio. — Quotupliciter aliquid potest addere super aliud, 306.

Aequalitas. — Est unitas in quantitate, 281 ; 283, 3ª p.

Agens. — Debet esse in actu, 169, 170. — Primum Agens est agens tantum, 177. — Cuilibet potentiae naturali correspondet agens naturale, quod possit eam in actum reducere, 179. — Eo virtuosius est agens, quo magis remota est ab actu potentia per ipsum in actum reducta, 180, 181. — Esse in potentia ad diversa proportionatur agentibus diver-

sis, 182. — Primum Agens plura potest, quam reliqua agentia, 183, 184: Cfr. **Deus**. — Omnis causa agens, praeter Primum Agens, potest moveri ad operationem, 192. — Nullum ex inferioribus agentibus potest esse causa essendi simpliciter, 400, *N.* 2ª. — Omne agens debet coniungi ei in quod immediate agit, 416, 1ª p. — Quomodo se habeat agens principale relate ad instrumentum, 421-432: Cfr. **Instrumentum.**

Agens Causa: Cfr. **Efficiens Causa.**

Agere. — Competit iis, quae sunt in actu, 169. — Omne quod est in actu est principium agendi, 170; — modo tamen proportionato actui, 171, 172. — Modo principii activi proportionatur modus operationis, 173. — Utrum malum agat, 322, ob. 3ª. — Actu agere est propria causae efficientis causalitas, 412; 413, 1ª p. — Immediate agere non competit substantiae creatae, 416, 2ª p.

Agnosticismus. — Negatio repugnantiae ad hoc, quod individuum multiplicetur, legitime ducit in agnosticismum, 304.

Aliquid. — Est transcendens, 213. — Proprie non est proprietas entis, et cur, 216. — Aliquid transcendens importat ens divisum a quolibet alio, et addit supra ens meram negationem, 300. — Utrum divisio, quam importat aliquid transcendens, sit vera divisio, an distinctio realis, 301, *N.* — Non est idem ac suppositum, *ib.*, 3ª p.: Cfr. **Individuum, Suppositum.**

Analogia *Entis*. — Ens non est univocum respectu suorum inferiorum, 36, 37; — neque pure aequivocum, sed analogum analogia proportionalitatis propriae, 38-42. — Omnia entia dicuntur per ordinem ad unum primum ens, 44, 1ª p. — Ens dictum de duobus vel pluribus individuis alicuius infimae speciei, videtur esse univocum potius quam analogum, 45, 46. — Obiecta solvuntur, 47.

Angeli. — Sunt unici in specie, utpote actus puri in ordine essentiae, 78, 79. — Quomodo multiplices esse possint, 105. — Quomodo etiam in illis sit compositio ex actu et potentia in ordine essendi, 106, 107; 108, *n.* — In ipsis genus et differentia accipiuntur secundum unum et idem, prouti considerantur modo ut indeterminate, modo ut determinate, 118, 119, 120. — Non habent potentiam ad non esse, et ideo sunt incorruptibiles, 198. — Utrum verum sit quod sint actus irrecepti et tamen limitati, 236, *n.* — Plura probantur a S. Thoma circa ipsos ex principiis distinctionis realis essentiae et esse, 257, II. — Utrum recte dicatur quod limitantur ad certum ordinem, 259, 1ª p., *n.* — Nullo modo limitantur in ordine essentiae, *ib.*, 2ª p. — Seipsis differunt, *ib.*, *N.* — Obiectiones solvuntur, 261. — Ponuntur in praedicamento substantiae, 349, 3ª p. — In iis suppositum denominative sumptum non differt a natura communi speciei, 356. — Solvitur difficultas, 357. — Suppositum vero formale differt secundum rem a natura, 360; — non vero realiter distinguitur, 361; — neque distinctione inadaequata, in rigore loquendo, 362: Cfr. **Suppositum.**

Anima *humana*. — Quomodo contineat virtute perfectiones praecedentium graduum, 164. — Quo perfectius dispositum est corpus, eo per-

fectior est anima, 152, 165. — Quomodo probetur a S. Th. potentias animae esse accidentia, 179. — Non habet potentiam ad non esse et propterea est incorruptibilis, 198. — Non est suppositum, 353, *N.* 1ª. — Utrum sufficiat dependentia aptitudinalis ad hoc ut non sit suppositum, 366, 367, et *n.*

Annihilatio. — Importat solum mutationem improprie dictam, 199.

Bonum. — Est unum ex transcendentibus, 213. — Est proprietas entis, 214, 215. — Importat ens cum respectu rationis ad voluntatem, 306, 310. — Est idem ac ens secundum rem, 311, 1ª p.; — sed differunt ratione, *ib.*, 2ª p. — Solvuntur obiectiones, 312. — Ens simpliciter convertitur cum bono secundum quid, et bonum simpliciter cum ente secundum quid, 312, ob. 4ª. — Bonum secundum rationem est posterius tum ente tum vero, 313. — Habet rationem causae finalis, 316. — Solvitur obiectio, 317. — Ratio boni consistit in modo, specie et ordine, 318. — Bonum, ut idem subiecto cum ente, dividitur per decem praedicamenta, 319, 1ª p. — Secundum propriam rationem dividitur non per oppositas res, sed per oppositas rationes in bonum honestum, utile, delectabile, *ib.*, 2ª p. — Dividitur ut analogum in propria analogata, *ibid.*, 3ª p. — Est subiectum mali, et aufertur a malo sibi opposito, 326, 328: Cfr. **Malum.**

Causa. — Per quas causas demonstret Metaphysica, 14. — Dispositiones in materia ad formam aliquam, reducuntur ad genus causae materialis, 156, 159. — Quid consequatur ex hoc, quod causa assimilat sibi effectum, 174. — Quomodo bonum habeat rationem causae finalis, 316, 317. — Malum habet tantum causam per accidens, 335-339: Cfr. **Malum.**

Quaestio de Causis: quanti momenti sit, 386. — Causa, prouti ad omnem modum causalitatis analogatur, bene definitur " id quod influit esse in aliud „ 387, 388. — Realiter differt a principio, a conditione et ab occasione, 389. — Quomodo verum sit quod " Quidquid est, causam habet „ 390-393: Cfr. etiam **Causalitas, Ratio sufficiens.** — Recta est causae divisio in *materialem, formalem, efficientem et finalem,* 394. — Quaenam ex his sint intrinsecae, et quaenam extrinsecae, 395, *N.* 1ª. — Saepe adhibetur nomen causae pro sola causa efficienti, *ib., N.* 2ª. — Quidquid proprie ac simpliciter habet rationem causae non potest convenire nisi analogice cum suo proprio effectu proportionato, 396. — Unaquaeque determinata causa non potest habere nisi unum specificum effectum, qui ab alia causa specie diversa esse non potest, 397. — Diluuntur obiecta, 398. — Quomodo effectus pendeat a causa, 399, 400. — Causa semper est prior natura, non semper tempore, 401, 402: Cfr. **Effectus.** — *Pro singulis speciebus Causarum,* Cfr. **Efficiens Causa, Forma, Materia, Finis; Exemplar, Instrumentum.** — Omnis causa secunda est instrumentalis relate ad primam, 426. — Ordo nobilitatis causarum: finis, agens, forma, materia, 437. — Causae intrinsecae sunt minus nobiles, extrinsecae nobiliores effectu; et ordo in causando est: finis, agens,

materia, forma, 438. — Quomodo intelligendum sit illud " causae sunt sibi invicem causae „ 439. — Impossibile est quod duae causae completae eiusdem ordinis sint unius rei, 440, 1ª p.; — potest tamen effectus unus produci a pluribus causis partialibus, vel totalibus diversi ordinis, *ib.*, 2ª p.

Causalitas. — Negatur a P. Piccirelli causalitas intrinseca, 251, IV°. — Principium causalitatis, quod sic effertur " Quidquid fit vel quidquid incipit esse, causam sui habet „ est omnino indubium et reale, 390, 391. — Difficultati occurritur, 392. — Principium Rationis sufficientis differt a principio causalitatis, 393. — Causalitas materiae et formae consistit in mutua communicatione propriae entitatis, 403, 2ª p. — Actu agere est causalitas efficientis causae propria, 412; 413, 1ª p. — Causalitas finis in actu primo est ipsius bonitas realis apprehensa, 435; — in actu secundo est ipsum appeti ab agente, 436.

Christus Dominus. — Unum tantum in Ipso est suppositum, 353, *N.* 1ª; 364, *N.* 2ª; — quia habet unum tantum Esse, nempe divinum Esse Verbi, 247, 254; 364, *N.* 2ª: Cfr. **SS. Humanitas D. N. I. Ch.** — Sunt duae operationes in Ipso specie differentes, 417, 3ª p.

Cognitio *Entis*. — Ens est primum, quod apprehenditur in rebus ut notissimum, 48, 49. — Est id, in quod intellectus resolvit omnes alias conceptiones, 50; — quae omnes ex additione ad ens accipiuntur, 51, 52. — Intellectus entis includitur in omnibus, quae apprehendi possunt de re, 53.

Compositum. — In omni composito oportet esse potentiam et actum, 168. — Compositum ex essentia et esse non est aliud tertium ens nec nominaliter nec participialiter, 246; — est unum per se existens, 247; — nec convenit ei aliud esse distinctum ab esse, quod convenit essentiae, 248; Cfr. **Essentia, Esse.**

Conceptus *obiectivus*. — Est ipsa res, et quomodo intelligenda sit ista locutio, 365, ob. 5ª.

Conditio. — Realiter differt a causa, 389, 2ª p.

Corpus. — Non repugnat esse in ipso virtutem spiritualem instrumentaliter, 429, 2ª p.

Creatio. — Est solius Dei, 181. — Importat mutationem improprie dictam, 199. — Formae subsistentes non habent fieri nisi per creationem, 202. — Repugnat instrumentum creationis, 428, 2ª p.

Creatura. — Unice respectu ad Primam Causam est in potentia ad supernaturalia, 183. — Quid importet potentia obedientiae in creatura, 184. — Alio modo dicitur essentia de creaturis quam de Deo, 220. — Quomodo pendeant essentiae creaturarum ab Essentia divina, 226, 227. — In omnibus creaturis essentia distinguitur realiter ab existentia, 230-252: Cfr. **Essentia.** — In omnibus creaturis perfectius est esse quam essentia, 266, 267. — Cur inter creaturas et Deum non possit vigere relatio transcendentalis stricte, 307, 4ª p., 1° et 3°. — In omnibus creatis differt secundum rem suppositum formaliter sumptum a natura singulari, 360; — non tamen distinguitur realiter, 361; — ne inadaequate quidem, 362: Cfr. **Suppositum.** — In creatis dantur accidentia realiter a substantia di-

stincta, 374-376. — Irrationalis est opinio, quae entibus creatis activitatem denegat, 414, 415. — Substantia creata non potest esse immediate operativa, 416, 2ª p.

Culpa. — Simul cum poena est divisio mali in voluntariis, 330. — Magis habet de ratione mali quam poena, 333, 334 : Cfr. **Malum.**

Dependentia. — Iuxta Scotum, suppositum non addit supra naturam nisi negationem duplicis dependentiae aptitudinalis et actualis, 366. — Refutatur haec opinio, 367.

Deus. — Utrum pertineat ad tractationem Metaphysicae, 9-11. — Quomodo dicatur ens, 16, ob. 3ª. — Ipse solus dici debet Ens per essentiam, 17. — Est primum Ens secundum rem, a quo sunt omnia entia participative, 44, 3ª p. — Est necessario unicus, utpote Actus purus in ordine essendi, 79, 104. — Cum sit Ipsum Esse, in sua simplicissima unitate omnem perfectionem habet, 112, 113. — "Est virtualiter omnia „ 135. — Est sua Operatio, 173. — Est Agens tantum et non patiens, 177. — Solius Dei est creare, 181. — Eius Virtus activa in infinitum superexcedit virtutem creatam, 183 ; — unde potest elevare creaturam ad supernaturalia, quin ipsa capacitatem ullam positivam habeat, 183, 184. — Quid sit Visio Dei, 185. — Impossibile est Deum mutari, 187. — Non movetur utpote Primum Movens, 192. — Alio modo est in Deo essentia ac in creaturis, 220. — Esse ab aeterno distinctum a Deo et ab existentia non potest competere essentiis, 221. — Difficultates solvuntur, 222. — Omnipotentia Dei est mensura possibilitatis extrinsecae rerum, 223. — Obiectiones solvuntur, 224. — Quid sit potentia Dei absoluta et ordinaria, 225. — Quomodo pendeant ab Essentia divina essentiae creaturarum, 226, 227. — In Deo idem est Essentia quod Esse, 228. — Obiecta solvuntur, 229. — Plura circa Deum probat S. Thomas ex doctrina distinctionis realis essentiae et existentiae, 257, I. — Cur non possit praedicari divisio de Deo, 286, 2ª p., *n.* 3) ; — et cur neque differentia realis sec. quid, 293, *N.* 5ª. — Deus non potest multiplicare individuum, cum hoc implicet in terminis, 303 ; — potest tamen restituere idem numero individuum, *ib.*, *n.* — Cur non detur stricta relatio transcendentalis inter Deum et creaturas, 307, 4ª p., 1º et 3º. — Est Substantia, prouti substantia dicitur lato sensu et analogice, 346, ob. 2ª. — Potest Deus separare accidentia a substantia ita ut stent per se sine subiecto, 383, 2ª et 3ª p. — Solus Deus potest esse causa essendi simpliciter, 400, *N.* 2ª. — Denegando activitatem creaturis, ipsius Dei Virtuti et Bonitati derogatur, 415. — Virtus Sacramentorum Deo tota proportionatur et tribuenda est, 420. — Solus Deus est causa gratiae, 430.

Differentia. — Supra diversitatem addit convenientiam in uno, et proprie dicitur de convenientibus in genere et diversis specie, 285, 2ª p. — Non omne distinctum est differens, sed e converso, 287. — Differentia realis simpliciter dicta importat realem distinctionem, 289, 290 ; — quae non importatur a differentia reali sec. quid, 291. — Quae habent differentiam sec. quid, possunt dici secundum rem differre, sed non realiter

differentia (adiect. plur.), 292. — Animadversio circa locutiones adhibendas in hac re, 293, *N.* 2ª. — Ad quid inserviat praesertim doctrina superexposita, *ib.*, *N.* 3ª. — Quid dicendum de differentia sec. rem, quam S. Th. dicit esse inter essentiam et esse, *ib.*, *N.* 4ª. — Differentia realis sec. quid nou praedicatur de Deo, *ib.*, *N.* 5ª. — Verum et bonum addunt supra ens differentiam rationis, 307, 3ª p.; 311, 2ª p. — Quenam sit ista differentia, 307, 4ª p.; 311, 2ª p. — Quomodo differant natura et suppositum, 354-365: Cfr. **Natura, Suppositum.**

Differentia *specifica.* — In omnibus rebus sumitur a propria cuiusque terminatione in gradu naturae, 116, 117. — Quomodo et unde sumatur in formis separatis, 118, 119, 120. — In corporeis sumitur a forma, 164. — In accidentibus desumitur ex diversitate principiorum, ex quibus causantur, 382, 2ª p.

Dimanatio. — Quomodo accidentia causentur a substantia, 379, 380: Cfr. **Accidens.** — Dimanatio reducitur ad genus causae efficientis, 413, 2ª p.: Cfr. **Efficiens Causa.**

Dispositio. — Ex diversis dispositionibus, quae praeintelliguntur in materia ante susceptionem formae, repeti debet diversa limitatio, quam de se dicunt formae corporeae specifice diversae, 150, 152. — Omnis dispositio materiae ad formam praesupponit aliquem actum, et est per actum quendam, 154, 155; — reducitur tamen ad causam materialem, 156, 157. — Difficultates solvuntur, 158, 159. — Quo plures et perfectiores dispositiones requiruntur, eo perfectior est forma et minus limitata, 160, 161. — Diversae dispositiones mere materiales et accidentales non faciunt divesitatem in speciem, 165.

Distinctio. — Pro questione de distinctione reali inter essentiam et esse, Cfr. **Essentia, Esse, Existentia**; **P. Piccirelli.** — Animalitas et rationalitas in homine distinguuntur tantum ratione, 251, VI°; — et haec est doctrina S. Thomae, *ib., n.* — Distinctio est quaedam divisio, 286, 1ª p.; — sed aptius dicitur etiam de iis, quae sunt unum subiectum, ideoque distincta sunt plura, sed non semper plura entia, *ib.*, 2ª p. — Non omne distinctum est differens, omne autem differens est distinctum, 287. — Non opponitur ergo distinctio identitati, 288. — Distinctio realis importatur a differentia reali simpliciter dicta, 289, 290; — non vero a differentia reali sec. quid dicta, 291. — In distinctione inadaequata intellectus utitur uno ut duobus, 294; 295, 1ª p.; — idcirco haec distinctio non est realis, *ib.*, 2ª p.; 363; — sed rationis, *ib.*, 3ª p.; — et requiritur ad comparationem, *ib.*, 4ª p. — Utrum *aliquid* transcendens importet tantum meram distinctionem realem, 301, *N.* — Proprie non recte dicitur suppositum inadaequate realiter distingui a natura, 362.

Diversitas. — Diversitas specifica formarum corporearum habetur ex diversitate graduum perfectionis, 114, 115; — non ex materia prima ut pura potentia, 149. — Materia tamen, prouti diversimode praeintelligitur disposita ad formam, potest accipi ut ratio intrinseca diversitatis formarum 150, 151, 152. — Attamen primum principium simpliciter diversitatis rerum non est materia, quae imo di-

stinguitur propter formam ; et causa estrinseca est divina Sapientia, 162 ; — intrinseca autem est compositio realis ex essentia et esse, 259, 3ª p. — Instituitur analogia inter diversitatem specificam et numericam, 260. — Cuilibet modo identitatis opponitur modus diversitatis, 285, 1ª p. — Differens addit supra diversum convenientiam in uno, *ib.*, 2ª p. — Extenduntur ad diversitatem ea, quae dicta sunt de differentia reali simpliciter et sec. quid, 293, *N.* 1ª.

Divisio. — De quibus proprie dicatur, 286, 2ª p., *n.* 2). — Quid intersit inter distinctionem et divisionem, 286. — Utrum *aliquid* transcendens importet veram divisionem, 301, *N.* — Quid importet divisio simpliciter, *ib.*, *n.*

Effectus. — Proportionatur modo operationis transeuntis, 174. — Non convenit nisi analogice cum sua proportionata et propria causa, 396. — Unaquaeque determinata causa unum specificum effectum habet, qui ab ipsa tantum esse potest, 397. — Obiectiones solvuntur 398. — Omnis effectus iugiter ac necessario a sua causa dependet in suo esse, 399. — Quid in artificialibus, 400, *N.* 1ª. — Solus Deus est causa essendi simpliciter, *ib.*, *N.* 2ª. — Effectus semper est posterior natura, non semper tempore, 401, 402. — Effectus instrumenti proportionatur virtuti principalis agentis, 423, *Coroll.* 1.m ; — sed attribuitur totus etiam instrumento, 425 ; — et est nobilior ipso, 432, *Coroll.* 1.m — Effectus respondens actioni propriae instrumenti est prior in via generationis, quam effectus respondens principali agenti, 428, 1ª p. — Effectus est nobilior causis intrinsecis, sed minus nobilis quam causae extrinsecae, 438. — Unius effectus non possunt esse plures causae completae eiusdem ordinis, possunt tamen esse plures causae partiales, vel totales diversi ordinis, 440.

Efficiens Causa. — Est vera causa, 394. — Est causa extrinseca, 395, *N.* 1ª. — Est princeps analogum nominis " causae „ *ib.*, *N.* 2ª. — Quomodo effectus in suo esse pendeat a causa agenti, 399, 3º. — Praeter Causam Primam nulla causa potest esse causa essendi simpliciter, 400, *N.* 2ª. — Quomodo causa exemplaris reduci possit ad causam efficientem, 407. — Haec bene definitur " id unde primum principium est motus „ 409. — Haec definitio est omnino alia a definitione naturae, 410. — Multiplex divisio causae efficientis declaratur, 411. — Eius causalitas, 412, 413 : Cfr. **Agere, Causalitas.** — Dimanatio reducitur ad causam efficientem, 413, 2ª p. — Irrationalis est opinio, quae entibus creatis activitatem denegat, 414, 415. — Modus, quo causa efficiens agit, 416. — Cui tribuenda sit actio, 417, 418 : Cfr. **Actio, Agens.** — In ordine nobilitatis et in causando est secunda, 437 ; 438, 3ª p. — Est nobilior effectu, *ib.*, 2ª p. — Quomodo valeat illud " causae sunt sibi invicem causae „ de causa efficienti et finali, 439.

Ens. — Ens communissimum est proprium subiectum Metaphysicae, 1, 9, 10. — Proprie definiri non potest, 15, 1ª p. ; — sed bene exhibetur per " id cui competit esse „ *ib.*, 2ª p. ; — et significat essentiam connotando esse, *ib.*, 3ª p. : — prae-

scinditur tamen ab existentia actuali, *ib., n.* — Obiecta solvuntur, 16. — Est praedicatum essentiale omnibus, licet Ens per essentiam sit solus Deus, 17, 18. — Obiectiones solvuntur, 19. — Est transcendens, quia ad omnia prorsus extenditur, 20, 21. — Non multiplicatur in uno et eodem, 22. — Non importat rationem simpliciter abstractam, sed tantum abstractam secundum quid, 23-25. — Non potest esse genus relate ad inferiora, 27, 28. — Simpliciter diversificatur in suis inferioribus secundum diversos modos essendi, qui non exprimuntur per " ens „ 29-31. — Nulla ipsi additio fieri potest ad modum expressioris conceptus, 32. — Quaenam sint inferiora entis, in quae primo dividitur ut universale quoddam improprium, 33-35 : Cfr. **Analogia** *Entis.* — Quodlibet ens aut est actus purus aut compositum ex potentia et actu, 56, 57. — Actus et Potentia sunt principia entis, 63.

Ens transcendens. — Aliud est quod praedicetur de omnibus, quae in re sunt, et aliud quod, dum praedicatur, significet omnia, quae in re sunt, 213, *n.* — Eius proprietates sunt : unum, verum, bonum, 214, 215 ; — non autem res et aliquid, 216. — Quomodo alia transcendentia addant supra ens et differant ab ente : Cfr. **Transcendentia, Verum, Bonum, Unum, Aliquid, Res.** — Ens secundum rationem prius est quam bonum, 313, 1ª p. — Omne, ens in quantum est ens, est bonum, 315.

Esse. — Per nomen " ens „ semper connotatur, sed non semper significatur esse, 15, 3ª p. — Est actualitas omnium rerum, 20, 21. — Modi essendi diversificant inferiora entis, sed non exprimuntur nomine entis, 31, 2ª p. — Non solum importat actum sed ad omnia comparatur ut actus, 87. — Est ultima rei actualitas, 88. — Ad nullum comparari potest ut potentia ad actum, 89. — Non potest ipsum *esse* participare aliquid, sed potest *id quod est,* 90. — Omne compositum ex potentia et actu, et omnis actus purus in ordine essentiae (praeter Esse subsistens) est potentia ad actum essendi, 91. — Ad hoc ut aliquid sit in actu, oportet ut sint ea omnia, quibus esse substantiale designatur, 92. — Existere est suppositorum, 93. — Omnia tunc sunt in actu, quando sunt, 94. — Quid sit " esse in potentia, esse in actu „ et " esse potentiam, esse actum „ 95, 96. — Esse sequitur ad unamquamque formam, 97, 243. — Actus essendi in aliquo receptus non specificat essentiam, sed tantum facit eam esse in actu, 98. — In quo diversificetur iste actus ab aliis, 99. — Per esse non distinguuntur res, 100 ; — nec competit iis esse specie diversum, 101 ; — sed ipsum diversificatur secundum quod in diversis essentiis recipitur, 102. — Esse realiter distinguitur ab essentia in omnibus rebus creatis, 109, 110; 230 et seqq.: Cfr. **Essentia.** — Ab esse vel non esse pendet omnis nobilitas vel defectus rerum, 111. — Esse non constituit ens nominaliter 241. — Quo sensu dici possit accidens, 242. — Quomodo esse sequitur forma, 243. — Quomodo sit actus secundus, 244. — Per compositionem ex essentia et esse non exsurgit totum, cui conveniat esse distinctum ab esse conveniente essentiae, 248. — Esse, utpote actualitas omnium actuum, in quolibet creato ente perfe-

ctius est essentia, 266. — Difficultates diluuntur, 267.

Esse Subsistens. — Non potest esse ullo modo potentia, 86, 91. — Per ipsam suam puritatem est distinctum ab omni alio esse, 103. — Est necessario et absolute unicus, 104, 79. — In sua simplicissima unitate omnem nobilitatem et perfectionem praehabet et universas alias res in infinitum superexcedit, 112, 113 : Cfr. **Deus**.

Essentia. — Non specificatur per esse, quod recipit, sed per ipsum existit, 98, 99. — In omnibus rebus creatis realiter distinguitur ab esse, 109, 110. — Admitti debet etiam compositio actus et potentiae in ordine essentiae, 79, 108, 122. — Essentia, prouti est idem ac res transcendens, bene describitur per hoc quod dicitur : " id, secundum quod alicui competit esse „ 217. — Aliae definitiones seu descriptiones declarantur, 218. — Obiectiones solvuntur, 219. — Alio modo est in Deo ac in creaturis, in substantiis ac in accidentibus, in substantiis simplicibus, quam in compositis, 220. — Non potest essentiis competere esse ab aeterno distinctum ab existentia et a Deo, 221. — Difficultates solvuntur, 222. — Essentiae rerum habent absolutam possibilitatem intrinsecam ex habitudine terminorum, extrinsecam per respectum ad Omnipotentiam Dei, 223. — Obiectiones solvuntur, 224. — Essentiae creaturarum pendent a divina Essentia secundum quod in seipsa est ; formaliter vero secundum quod Essentia divina intelligitur a divino Intellectu ut imitabilis ab extra, 226. — Obiectiones solvuntur, 227. — In Deo idem est Essentia ac Esse, 228, 229. — In omnibus rebus creatis, essentia realiter distinguitur ab existentia, 230-240. — *Notae pro pleniori intelligentia huius quaestionis*, 241-249. — An essentia dici possit existere, 245. — Per compositionem ex essentia et existentia non exsurgit tertium ens nec nominaliter nec participialiter, 246 ; — sed habetur unum per se existens, 247. — Essentia licet distincta ab existentia existit per ipsam, 249. — Argumentum validissimum in confirmationem doctrinae de reali distinctione inter essentiam et esse desumi potest ex principiis et inanibus argumentis, quibus ab adversariis impugnatur, 250, 251 : Cfr. **P. Piccirelli** *Josephus M.*, S. J. — Praecipuae difficultates et obiectiones solvuntur, 252. — Doctrina huius distinctionis realis est procul dubio S. Thomae, 253-255 ; — qui ex ea repetit solutionem plurium et praecipuarum quaestionum etiam theologicarum, 256, 257. — Essentiae seipsis differunt, 257, *N.* — In omnibus creaturis perfectius est esse quam essentia, 266. — Difficultates diluuntur, 267. — In quo differat essentia a substantia et a subsistentia, 344, 1ª p. : Cfr. **Substantia ; Esse**.

SS. Eucharistia. — Metaphysice repugnat quod SS. Corpus Christi replicetur seu multiplicetur, cum sit individuum, 302, 303. — Cur accidentia in hoc Sacramento non desinant esse accidentia, licet separata sint a substantia sua, 371, 2ª p. — Post Consecrationem ipsa accidentia habent esse, 377, 2ª p., Iº. — Virtute divina, non tamen naturaliter, accidentia separantur a subiecto, et hoc non repugnat, 383 ; — potest etiam

accidens divinitus per se stans alterius accidentis esse subiectum, 384.

Exemplar. — Causa exemplaris est forma extrinseca, quae imitative informat materiam, 405. — Bene definitur " forma, ad quam respiciens, artifex operatur „, 406. — Haec potest esse in artifice vel extra, 407, *N.* — Est vera causa, *ib.*, 2ª p. ; — et magis proprie reducitur ad causam formalem, licet etiam possit reduci ad finalem vel ad efficientem, 404 ; 407, 3ª p. : Cfr. etiam **Idea.**

Existentia. — Quid sit 231, Iº. — Realiter distinguitur in creaturis ab essentia, 232-252 : Cfr. **Essentia, Esse.** — An existentia existat, 245. — Existentia creata respectu essentiae creatae haberi potest ut accidens praedicabile, 262, 1ª p. ; — non tamen accidens praedicamentale neque respectu substantiae neque respectu essentiae alicuius accidentis, *ib.*, 2ª p. ; — reducitur tamen ad praedicamentum substantiae vel accidentis, *ib.*, 3ª p. — Difficultates solvuntur, 263. — Existentia accidentium non est ipsa existentia substantiae, in qua sunt, 264. — Difficultates diluuntur, 265.

Fides. — Non est meritoria ex hoc quod est cognitio aenigmatica, sed ex hoc quod voluntas assentit his, quae non videt, propter Deum, 341, ob. 2ª.

Fieri. — Forma non subsistens non habet fieri, 201 ; — subsistens vero habet fieri tantum per creationem, 202.

Finis. — Causa finalis est vera causa, 394. — Est causa extrinseca, 395, *N.* 1ª. — Quomodo ab ipsa pendeat effectus in suo esse, 394, 4º. — Bene definitur " Id cuius gratia aliquid fit „ 433. — Eius divisio, *ib.* — Finis vere habet causae realis rationem, imo in ordine causandi est prima causa, 434 ; 438, 3ª p. — Eius causalitas in actu primo est ipsius bonitas realis apprehensa, 435 ; — in actu secundo est ipsum appeti ab agente, 436. — In ordine nobilitatis causa finalis est prima, 437. — Est nobilior effectu, 438, 2ª p. — Quomodo illud " causae sunt sibi invicem causae „ valeat de causa finali et efficienti, 439.

Forma. — In substantialibus idem est atque actus, 79, 80. — Quotupliciter multiplicari possit, 81, *n.* — Quid " forma totius „ et " forma partis „ 83. — Ad unamquamque formam sequitur esse, 97. — Ea, quae consequuntur unam formam secundum quod dat gradus praecedentes, habentur ut dispositiones ad gradus ulteriores, licet hi quoque ab eadem forma habeantur, 138. — Quomodo plures formae corporeae recipi possint in materia, 141, 142. — Quomodo limitentur et diversificentur formae corporeae specie differentes, 149-153. — Eo perfectior et minus limitata est forma, quo plures et perfectiores dispositiones requirit in materia, 160, 161. — Quomodo differentia sumatur a forma, 164. — Formae, quae praerequirunt diversos gradus essentiales in materia, specie differunt, non autem illae, quae tantum dispositiones varias accidentales exigunt, 165. — Quomodo hoc analogetur etiam ad formas accidentales, 166. — Quae amittere possunt formam substantialem habent potentiam ad non esse, 197 ; — quam non habent formae subsistentes (Angeli, Anima hum.) 198. — Forma non sub-

sistens non habet fieri, 201 ; — subsistens vero non habet fieri, nisi per creationem, 202. — *Forma,* quae est " principium actuale „ *est vera causa,* 394; 403, 1ª p.; — et est causa intrinseca, 395, *N.* 1ª. — Quomodo effectus pendeat in suo esse a causa formali, 399, 1º. — In quo consistat ipsius causalitas, 403, 2ª p.: Cfr. **Causalitas.** — Omnis actio est formae substantialis ut principii remoti, 417, 3ª p. — Ipsius etiam est esse principalem virtutem ad productionem substantiae, ad quod formae accidentales concurrunt ut eius instrumenta, *ib.,* 4ª p.: Cfr. **Generatio.**

Formae separatae. — Cfr. **Angeli** ; *Actus purus.*

Generatio. — Est inductio formae substantialis in materiam, vel productio substantiae, 417, 4ª p. — Ad hoc principalis virtus est forma substantialis, concurrunt tamen etiam formae accidentales ut instrumenta, *ib.*

Genus. — Quomodo et unde sumatur in Angelis, 118, 119, 120. — In corporeis substantiis sumitur a materia, 163; 164. — Quomodo se habet genus ad differentias, 164, *n.* — In accidentibus desumitur primum genus ex ipso modo essendi, secundum quod ens diversimode sec. prius et posterius de decem generibus praedicatur, 382, 1ª p.

Gradus. — Quomodo habeantur gradus in entibus, 114, 115. — Actus perfectior prius intelligitur actuare materiam secundum gradus inferiores, quos virtute continet, quam secundum superiores, 136. — Omnem gradum consequuntur propriae passiones, 137. — Ea, quae consequuntur gradus praecedentes, habentur ut dispositiones ad ulteriores gradus, licet omnes ex una forma habeantur, 138. — Quomodo habeantur gradus in actibus formarum, 151. — Quomodo unica forma det omnes gradus, 161, 3º.

Habilitas. — Quomodo per malum non tollatur habilitas subiecti ad actum, 328. — Quomodo diminuatur in infinitum, 329, ob. 2ª.

Habitus *intellectuales.* — Quot sint et quales, 5.

Haecceitas. — Quid sit et unde sequatur, 365, ob. 4ª: Cfr. **Individuatio, Suppositum.**

SS. Humanitas D. N. I. Ch. — Cur et quomodo dicatur Instrumentum coniunctum sanctificationis nostrae, 193, 420. — Cur simul cum Natura divina constituat unum ens per se, 247; 364, *N.* 2ª. — Cur non sit Suppositum distinctum a Verbo, 353, *N.* 1ª; 364, *N.* 2ª. — Utrum sufficiat dependentia actualis, vel carentia modi substantialis ad hoc ut non possit dici persona, 366-370.

Hypostasis. — Vocatur res, cui applicatur intentio suppositi, secundum quod substat accidentibus, 353, *N.* 2ª: Cfr. **Persona, Suppositum.**

Idea. — Est vera causa, et potest esse in artifice vel extra, 406, 407: Cfr. **Exemplar.** — Idea operati est in mente operantis, sicut quod intelligitur, non ut species, qua intelligitur, 408, *N.* 1ª. — Necesse est ponere ideas in mente artificis, *ib., N.* 2ª.

Identitas. — Idem est unum in substantia, 281, 282. — Quomodo identitas secundum quid constituat unitatem negativam in rebus, 282, *n.*

— Idem dicitur tripliciter, 283, *N.* — Cuilibet modo identitatis opponitur modus diversitatis, 285, 1ª p. — Principium identitatis comparatae " Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se „ est verum absolute atque universaliter, 296, 297. — Solvuntur difficultates aliquae circa Mysterium SS. Trinitatis, 298, 299.

Impotentia. — Quid sit et quot modis dicatur, 168 *(Praenot.)*, IIIº. — Alius modus impossibilitatis aequivoce dictus, *ib., n.*

Individuatio. — Quomodo materia sit primum individuationis principium, 143-146. — Non valet comparatio inter distinctionem individuationis a natura specifica, et distinctionem essentiae ab existentia, 235, *n.* — Principia individuationis non distinguuntur realiter ab essentia, 358 ; 359, *N.* 1ª : Cfr. **Suppositum.**

Individuum. — Repugnat metaphysice quod multiplicetur, 302, 303. — Negatio talis repugnantiae ad Agnosticismum logice adducit, 304. — Quando idem sit ac suppositum, 354, Iº.

Instrumentum. — Quaenam sit propria eius ratio, 193. — *Causa Instrumentalis* est subdivisio causae efficientis, 411, 2ª p. — Bene definitur " movens motum „ 419. — Eius divisio in naturale, artificiale, supernaturale, 420. — Duplex actio instrumenti, altera ex propria natura, altera ex primi agentis motione, 421 ; 422, 1ª p. — Haec secunda actio et effectus eius proportionatur virtuti principalis agentis, non ipsius instrumenti, *ib.*, 2ª p., 423 *Coroll.* 1m. — Quomodo perficiat instrumentalem actionem, *ib., Coroll.* 2m. — Operatio instrumenti non est alia ab operatione moventis ipsum, 424. — Idem effectus utrique totus attribuitur, 425. — Omnis causa secunda est instrumentalis relate ad primam, 426. — Instrumentum tamdiu a principali agente moveri intelligitur, quamdiu retinet virtutem ab illo impressam, 427. — Effectus actionis propriae instrumenti est prior in via generationis quam effectus respondens principali agenti, 428, 1ª p.; — idcirco repugnat istrumentum creationis, *ib.*, 2ª p. — Virtus instrumentalis est fluens et incompleta in esse naturae, et reducitur ad genus virtutis perfectae, 429, 1ª et 3ª p.; — acquiritur instrumento ex hoc ipso, quod movetur ab agente principali, 430. — Eadem numero vis principalis agentis instrumentaliter invenitur in omnibus instrumentis ordinatis ad unum effectum, 431. — Effectus instrumenti, ut instrumentum est, est nobilior ipso, ut res quaedam est, 432, *Coroll.* 1m — De ipsius ratione est quod agat in virtute moventis totam agendi vim ipsi conferentis, *ib., Coroll.* 2m.

Intelligentiae *separatae.* — Cfr. **Angeli** ; *Actus purus.*

Intellectus. — In distinctione inadaequata utitur uno pro duobus, 295, 1ª et 3ª p. — Quomodo se habeat una cum voluntate relate ad malum, 340. — Non habet rationem mali, quando praebet voluntati obiectum difforme a lege, *ib.* : Cfr. **Malum, Voluntas.**

Limitatio. — Proprie est potentiae in quantum huiusmodi, 121, 148. — Actus limitat potentiam perficiendo eam, 147. — Quo magis potentia recedit a ratione purae potentiae, eo minus limitat actum, 148. —

Diversa limitatio in corporeis formis species diversas constituentibus, nequit repeti ex ipsa materia prima, utpote pura potentia, 149; — sed potius ex diversitate propriorum subiectorum, nempe ex materia prouti consideratur diversimode disposita per gradus praecedentes ad formam ultimam, 150. — Male concipitur a P. Piccirelli limitatio potentiae et actus, 251, III°. — Non recte dicitur quod actus limitetur in quantum est potentia ad esse, 258; 259, 1ª p. — Ratio intrinseca limitationis rerum omnium in ordine essendi est compositio realis ex essentia et esse, 259, 3ª p. — Utrum bene dicatur quod Angeli limitantur ad certum ordinem, 259, 1ª p. *n.* — Obiectiones solvuntur, 261.

Malum. — Cur instituatur quaestio de Malo, 320. — Non significat esse aut naturam, sed meram absentiam boni, 321. — Solvuntur obiectiones, 322. — Non agit per se neque finaliter neque efficienter, sed tantum formaliter, 322, ob. 3ª. — Malum invenitur in rebus, propter perfectionem universi, 323, 324. — Solvuntur obiectiones, 325. — Ideo est in rebus, quia quodcumque agens intendit bonum uniuscuiusque partis, 325, ob. 3ª — Est in bono tanquam in subiecto, 326. — Solvitur obiectio, 327. — Corrumpit totum bonum sibi oppositum, non autem subiectum ipsius nec habilitatem subiecti, 328. — Quam tamen diminuit in infinitum, non per se, sed per accidens augendo contrarias dispositiones, 329, ob 2ª. — Solvuntur obiectiones, 329. — In rebus voluntariis omne malum est aut poena, aut culpa, 330. — Solvuntur obiecta, 331. — Malum quod est privatio formae et integritatis, in voluntariis est poena etiam quando est punitio culpae, 331, *n.* — Magis est in culpa quam in poena, 333. — Solvuntur obiectiones, 334. — Non potest habere nec causam formalem, nec causam finalem, 335. — Habet tamen causam efficientem non per se, sed per accidens, 336, 1ª et 2ª p.; — quae est bonum, *ib.*, 3ª p. — Solvuntur obiectiones, 337. — Habet etiam causam materialem, quae est bonum, 326, 335. — Causatur a bono in quantum bonum est deficiens et per accidens; sed prima causa reducitur ad secundam, 338. — Quid malum in actione et malum in effectu, et quandonam unum alterumve attenditur in diversis casibus, 339, *N.* — Voluntas est causa mali: 1°) in quantum fertur in aliquod bonum, cui coniunctum est aliquod malum, 2°) in quantum, ut principium actionis, habet coniunctum aliquod defectum, nempe conformitatis cum regula legis divinae, 340: Cfr. **Voluntas.** — Solvuntur obiectiones, 341.

Materia. — Idem est ac potentia in substantialibus, 79, 80. — Materia prima est carens omni actu, 130: — in compositis naturalibus intelligitur habere partes extra partes consequenter ad formas in quantum dant esse corporis, 139; — et sic considerata ut actuata per formas corporeas, haberi debet ut una tota materia corporalis in qua signari possunt partes in infinitum, 140; — et potest suscipere diversas formas corporeas simul secundum diversas partes, successive vero etiam secundum idem, 141. — Quomodo recipiat plures formas secundum ulteriores gradus, 142. — Ma-

teria, in quantum secundum diversas partes signatas in totalitate materiae corporalis suscipit diversas formas, numero diversas, intelligitur esse primum principium individuationis in corporeis substantiis, 143-146. — Materia prima, ut pura potentia, non est ratio diversitatis formarum corporalium, 149. — Ista diversitas repeti debet ex diversitate dispositionum in materia, quae intelliguntur antecedere susceptionem formae specificae, 150-153, 157 ; — et praesupponunt actum aliquem, per quem habentur, 154, 155 ; — sed reducuntur ad causam materialem, 156 : Cfr. **Dispositio, Subiectum, Limitatio, Potentia.** — Non est tamen materia primum principium simpliciter diversitatis rerum, 162. — Quomodo in corporibus genus sumatur a materia 163, 164. — Quomodo materia se habet ad formas, 164, *n.* — Materia prima est patiens tantum, 177. — *Materia,* quae est " principium potentiale „ *est vera causa*, 394 ; 403, 1ª p. ; — et est causa intrinseca, 395, *N.* 1ª. — Quomodo effectus pendeat in suo esse a causa materiali, 399, 2ª. — In quo consistat causalitas ipsius, 303, 2ª p. : Cfr. **Causalitas.** — In ordine nobilitatis causarum est ultima, 437 ; — in ordine causandi est tertia, 438, 3ª p. — Est minus nobilis quam effectus, *ib.*, 1ª p. — Quomodo valeat de materia et forma illud " causae sunt sibi invicem causae „ 439.

Metaphysica. — Eius praestantia, 1. — Est scientia, 2 ; — una, 3 ; — et speculativa, 4. — Est etiam sapientia, 5, 6, 7. — Utrum consideret etiam materiam et motum, 8. — Quodnam sit proprium subiectum eius, 9, 10. — Quomodo ad Metaphysicam se habeat naturalis Theologia, 11. — Utrum ad ipsam pertineant unum et multa, potentia et actus, 12. — An debeat determinare de quidditate, 13. — Per quas causas demonstret, 14. — Metaphysica S. Thomae tota fere innititur in principiis de actu et potentia, 53 (pag. 53) ; — et consequenter in distinctione reali essentiae ab existentia, ita ut, si quis neget hanc, non parvum quid a Metaphysica Angelici Doctoris se tollere sciat, 110.

Modus *substantialis*. — Quid sit iuxta Caietanum et Suarez, 369. — Impossibile est quod constituatur suppositum per illum, 370.

Motus. — Quid sit, 186, 187. — Importat aliquam potentiam, *ib.* — Supponit aliquid immobile, 188. — Quomodo aliquid possit esse in potentia ad motum, 190. — Quod est in motu non est in potentia ad moveri, nisi *unde-quo*, 191. — Nomen actus primo impositum est ad significandum motum, 54, 194. — Quid etiam significet motus, 195. — Quomodo causa efficiens sit primum principium motus, 409 : Cfr. **Efficiens Causa.**

Multiplicatio. — Est mere numerica, si est ex sola multiplicitate subiecti, 85. — Multiplicatio formalis mutat speciem, 78, 85. — Causa intrinseca multiplicabilitatis rerum est compositio realis ex essentia et esse, 259, 3ª p.

Multitudo. — Opponitur unitati transcendentali, et se habet ad multa sicut unum ad ens, 272. — Quomodo addat duas negationes supra ens, 273, *N.* 1ª. — Obiectiones solvuntur, 274. — Opponitur uni privative et contrarie, 275. — Difficultates solvuntur, 276. — Quot modis dicitur

unum, tot et multa, 279, 3ª p. — De his, quae consequuntur unum et multa, 280 et seqq.: Cfr. **Differentia, Diversitas, Distinctio, Divisio.**

Mutatio. — Quid sit, 186. — Importat semper potentiam, *ib.* — Latius patet quam motus, 187. — Quomodo supponat aliquid immobile, 189. — Mutabilitas proprie dicta respondet tantum illi potentiae, quae stare potest cum privatione determinati actus, 196. — Creatio et annihilatio important solum mutationem improprie dictam, 199. — Hanc etiam importat omne quod quocumque modo potentiam involvit, 200.

Natura. — Non specificatur per esse, 98, 99; — sed esse diversimode acquiritur a rebus secundum earum naturas diversas, 102. — Naturae rerum sunt sicut numeri, in quibus unitas addita vel subtracta variat speciem, 114, 115. — Quomodo differat et distinguatur a supposito, 354-365: Cfr. **Suppositum.** — Quando opponitur supposito, consideratur non tantum secundum substantialia, sed etiam secundum essentialia, 357. — Impossibile est quod natura completa habens suum esse assumatur a nobiliori supposito, 367. — Utrum sufficiat hoc, quod non assumatur, ut non sit suppositum, *ib.* — Obiectiones solvuntur, 368. — Definitio naturae est omnino alia a definitione causae efficientis, 410.

Obiectum. — Proportionatur modo operationis immanentis, 175.

Occasio. — Realiter differt a causa, 389, 3ª p,

Omnipotentia *Dei.* — Est mensura possibilitatis extrinsecae rerum, 223, 224.

Operatio. — Modus eius proportionatur modo principii activi, 173. — Modo operationis transeuntis proportionatur effectus, 174; — immanentis, obiectum, 175. — Quomodo se habeat ad potentiam activam, 178. — Quomodo potentia activa et causae agentes possint moveri ad operationem, 192. — Cui attribuenda sit operatio, 417. — Operatio, quae est rei solum secundum quod movetur ab alio, non est alia praeter operationem moventis ipsam, 424: Cfr. **Actio.**

Pars. — Non est idem ac totum, sed ab ipso non distinguitur realiter, 295, 5ª et 6ª p.

Passio. — Passio analogi analoga est, 172. — Est affinis qualitati, 283, 2ª p.

Patiens. — Quomodo et quotupliciter aliquid patiatur ab alio, 168 *(Praen.)* I°, *M. II.us*, II°, 2°. — In tantum patitur in quantum est in potentia, 176. — Primum patiens est patiens tantum, 177.

Peccatum. — Peccat quis quando eligit bonum, cui coniunctum est malum ut in pluribus, 340. — Non autem ut in paucioribus, *ib.* — Peccat voluntas quando eligit obiectum difforme a lege, vel nihil de ipsa curando, *ib.* — Cfr. **Malum, Intellectus, Voluntas.**

Persona. — Bene definitur: "rationalis naturae individua substantia„ 353, 2ª p.; Cfr. **Suppositum.** — Non constituitur per aliquid negativum, 366, 367. — Solvuntur obiectiones, 368.

P. Piccirelli *Josephus M.*, S. J.: 232, *n.*; 236, *n.*; 250. — Refutantur ipsius principia seu assertiones circa

distinctionem realem essentiae ab existentia, 251, et *nn.* : — Male ponit quaestionem, 251, I° ; — eius notio de potentia et actu, *ib.*, II° ; — quomodo concipiat limitationem potentiae et actus, *ib.*, III° ; — negat causalitatem intrinsecam, *ib.*, IV° ; — male concipit distinctionem realem, et confundit cum distinctione rationis, *ib.*, V° et VI° ; — habet conceptum impossibilem de ente ab alio, *ib.*, VII° ; — semper opponit ordinem metaphysicum ordini reali, *ib.*, VIII°. — Animadversio, *ib.*, IX°, et *n.* — 253 ; 255, *passim* et in *nn.*

Poena. — Simul cum culpa dividit malum in voluntariis, 330. — Minus habet de ratione mali quam poena 332, 333, 334 : Cfr. **Malum.**

Possibilitas. — Quatuor modi possibilitatis correspondentes modis potestatis, 168 *(Praenot.)*, II°. — Absoluta possibilitas intrinseca rerum pendet ex habitudine terminorum, extrinseca ex Omnipotentia Dei, 223. — Obiectiones solvuntur, 224. — Esse existentiae non recipitur in possibilibus ut in potentia subiectiva, 252, ob. 32ª, *N.* ; et *ib.*, ob. 36ª, *N.* 1ª et 2ª.

Potentia. — Quanti momenti sit tractatio de Actu et Potentia, 53 (pag. 53). — De maxima analogatione nominis "Potentiae„ 54 ; 168 *(Praenot.)* et *n.* ; 212. — Quid intelligatur hic nomine Potentiae, 55. — Simul cum actu dividit adaequate omnem ordinem, etiam universalissimum entis, 58, 59. — Transcendentaliter se refert ad actum, 60 ; — nulla media relatione praedicamentali, 61. — Est principium entis, 63. — Proprie definiri non potest, 66 ; — sed convenienter notificatur per ordinem ad actum, 67. — In quovis ordine distinguitur ab actu : realiter, in ordine reali ; ratione, in ordine logico, 68-70. — Repugnat dari potentiam puram sine ullo actu, 80. — Quid sit " esse in potentia „ 85, 86. — Potentia ad plures actus se habens, dum est sub uno, retinet capacitatem seu potentialitatem ad alios, 127. — Una potentia non potest se habere ad plures actus, nisi hi conveniant in aliquo genere, 128, 129. — Subiectum primi actus est pura potentia in ordine entis, 130. — Potentia limitatur a suo actu in ratione potentiae hoc ipso quod perficitur ab illo, 147. — Quo magis recedit a ratione purae potentiae, eo minus limitat actum, 148 : Cfr. **Materia, Subiectum.** — Plurium potentiarum non est unicus actus, 167. — Quidquid patitur in tantum patitur in quantum est in potentia, 176, 177, 178. — Cuilibet potentiae naturali, correspondet agens naturale, per quod reducatur in actum, 179. — Quo maior est potentia passiva, eo maiori potentia activa completur, 180. — Unumquodque est in potentia ad diversa, secundum habitudinem ad agentia diversa, 182 ; — et secundum habitudinem ad Primum Agens est in potentia ad aliqua, ad quae non est in potentia relate ad alia agentia, 183, 184, 185. — Quae amittere possunt formam substantialem, dicuntur simpliciter habere potentiam ad non esse, 197 ; — quam non habent formae subsistentes (Angeli, anima hum.), 198. — Impossibile est quod aliquid educat se de potentia in actum, 203. — Potentia est prior tempore quam actus in uno et eodem, quod quandoque est potentia, quandoque actu, 206, 207. — Simpliciter loquendo

actus est prior potentia, 208, 209. — Male definitur a P. Piccirelli, 251, IIo.

Potentia activa. — Quid sit, 168 *(Praenot.)*, Io, *M. Ius.* — Ad eam reduci possunt ceteri modi potentiae, *ib.*, IVo: Cfr. **Agere, Agens.** — Opponitur potentiae passivae, cum qua tantum analogice communicat, 178. — A maiori potentia activa completur maior potentia passiva, 180. — Potentia activa potest moveri ad actum, qui est operatio, 192. — Ad hoc ut substantia creata operetur, requiruntur potentiae accidentales operativae, 416, 2a p. — Omnis actio est potentiae operativae ut principii " quo „ proximi, 417, 2a p. — Potentiae operativae accidentales concurrunt ut instrumenta formae substantialis in generatione, *ib.*, 4.a p. — Ad inducendas formas accidentales, sufficit virtus accidentalis formae, 418.

Potentia obedientiae. — Importat in creatura merum subiectum, sed nullam capacitatem positivam, 184.

Potentia obiectiva: Cfr. **Possibilitas.**

Potentia operativa: Cfr. *Potentia activa.*

Potentialitas. — Potentialitas ad esse non est ratio intrinseca diversitatis in actibus puris, 102, 258-260; — sed diversus gradus potentialitatis ad esse consequitur ad diversum gradum naturae, 121. — Potentia ad plures actus se habens, retinet potentialitatem ad alios, dum est sub uno, 127.

Potestas. — Quatuor modi potestatis sive potentiae analogice dicti, 168 *(Praenot.)*, Io. — Modi potestatis sive potentiae aequivoce dicti, *ib.*, *n.*

Praedicamenta. — 342 et seqq.: Cfr. **Substantia, Accidens.**

Praesentia *Realis*. — Explicationes plurium Auctorum refutantur, 302-304: Cfr. **SS. Eucharistia.**

Principia. — 1o " Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se „ est semper verum, 296-299. — 2o Probatur quod " Accidentis non est accidens „ 384, 1a p. — 3o " Quidquid fit, vel quidquid incipit esse, causam sui habet „ est indubium et reale, 390-392; — et differt ab illo " Quidquid est, rationem sui sufficientem habet, 393 „. — 4o " Actio in distans repugnat „ 416, 1a p.

Principium. — Quid sit, 389, 1a p. — Realiter differt a causa, *ib.* — " Principium potentiale „ et " principium actuale „ nempe materia et forma sunt vere causae, 403: Cfr. **Forma, Materia.** —Quomodo causa efficiens sit primum principium motus, 409: Cfr. **Efficiens causa.**

Prioritas. — Quomodo potentia aliquando sit prior tempore quam actus, 206, 207. — Simpliciter loquendo actus est prior potentia natura et cognitione, 208-211. — Quam latissime analogetur prioritas a S. Thoma, 212. — Causa prae effectu semper est prior natura, non semper tempore, 401, 402.

Privatio. — Naturaliter non potest dari regressus a privatione ad habitum eiusdem numero actus, 204. — Potest tamen dari virtute divina, 205.

Proprietas. — Proprietates reales et notionales, 214. — Proprietates entis sunt: unum, verum, bonum, 215. — Proprietates substantiae, 351, 352.

Quidditas. — An spectet ad Metaphysicam determinare de ea, 13. —

Differentia est extra quidditatem generis, 28. — Omnis actus purus est quidditas subsistens, 77. — Quidditas est idem ac essentia et res transcendens, 217: Cfr. **Essentia**, **Res** (sing).

Ratio *sufficiens*. — Eius principium, nempe " Quidquid est, rationem sui sufficientem habet „ differt a principio causalitatis, 393.

Relatio. — Quid sit relatio transcendentalis *proprie* dicta, 307, 4ª p., 1°; 5ª p., *N*. —. Viget tantum inter entia incompleta, quae secundum entitates suas se invicem referuntur, *nulla media* relatione ab ipsis distincta, *ibid*. — Quid relatio praedicamentalis, 307, 4ª p., 1°. — Relativa secundum dici et quomodo se habeant ad relationem praedicamentalem, *ib*., 2°. — Quid relatio rationis, in quo conveniat et in quo differat a relatione transcendentali, *ibid*., 3°. — Quaenam vigeat relatio inter verum et ens, *ibid.*: Cfr. **Verum**. — Quid intelligatur a quibusdam nomine relationis transcendentalis, 307, 5ª p., *N*. — Admitti potest, sed est relatio transcendentalis *improprie* dicta, *ib*.

Relationes *Divinae internae*. — Sunt Tria Supposita, licet Essentia divina non sit Suppositum, 353, *N*. 1ª: Cfr. **SS. Trinitas**.

Res (sing.). — Est transcendens, 213. — Cur non sit proprietas entis, 216. — Res seu essentia, convenienter describitur per hoc, quod dicitur: " id secundum quod alicui competit esse „ 217. — Aliae descriptiones sive definitiones rei, 218: Cfr. **Essentia**.

Res (plur). — Non distinguuntur secundum quod esse habent, 100; — nec quasi habeant esse diversum, 101; — sed per hoc quod habent naturas diversas, 102. — Res materiales duplicem compositionem habent ex potentia et actu, et in ordine essentiae, et in ordine essendi, 108. — In omnibus rebus creatis essentia realiter distinguitur ab existentia, 109, 110; 230, et seqq.: Cfr. **Esse**, et **Essentia**. — Rerum nobilitas et perfectio habetur secundum quod sunt, et defectus secundum quod aliqualiter non sunt, 111. — Res sunt sicut numeri, in quibus unitas addita vel subtracta variat speciem, 114, 115; 163, 164. — In re per se una, unus est actus substantialis, 132. — Quaenam sit prima ratio et causa diversitatis rerum, 162. — Unde pendeat possibilitas rerum, 223, 224: Cfr. **Possibilitas**. — Causa intrinseca diversitatis rerum est compositio ex essentia et esse, 259, 3ª p. — Cur et quomodo malum sit in rebus, 323-325: Cfr. **Malum**.

Res *naturae*, vocatur res, cui tribuitur intentio suppositi, prout individuum alicuius naturae communis, 353, *N*. 2ª.

Sacramenta. — Sunt instrumenta separata sanctificationis nostrae, 193, 420. — Nulla in iis est naturalis virtus ad effectum supernaturalem producendum, 420.

Similitudo. — Est unitas in qualitate, 281; 283, 2ª p. — Aliquando tamen dicitur etiam de his quae habent identitatem sec. quid, 283, *n*. — Quot modis aliqua dicantur similia, 284.

Species. — Species rerum sunt sicut numeri, 114, 115; 163, 164. — Non diversificantur specifice formae,

quae sunt diversae tantum ex materia, 165.

Subiectum. — " Subiectum perfectionis „ est idem ac " potentia „ 55 : Cfr. **Potentia.** — Idem subiectum non potest simul tempore secundum idem suscipere plures actus unius generis sed diversae speciei, 123 ; — potest tamen, si actus sunt diversi generis, quorum non eodem modo erit subiectum, 124. — Quomodo possit dici idem subiectum plures formas mediate suscipere, 125. — Idem subiectum potest esse in potentia ad plures actus eiusdem generis successive habendos, 126. — Subiectum primi actus est carens omni actu, 130. — Quomodo ex diversitate subiectorum habeatur diversa limitatio formarum corporalium, 150 - 152. — Potentia obedientiae non importat nisi merum subiectum, 184. — Non corrumpitur a malo, 328 : Cfr. **Malum.** — Dat individuationem accidentibus, 378. — Quomodo causet ipsa accidentia, 379-381. — Utrum accidens possit esse sine subiecto, vel esse subiectum alterius accidentis, 383, 384 : Cfr. **Accidens.**

Subsistentia. — Unde nomen sumat, 344, 1ª p. — Dicitur res, cui applicatur intentio suppositi, si consideratur prout subsistit in seipsa, 353, *N.* 2ª.

Substantia. — Dicitur a substando vel subsistendo, 344, 1ª p. — Dicitur et significare potest : *a)* quidditatem rei, *b)* suppositum, *c)* primum praedicamentum, idest praedicatum quod se habet ad subiectum, ut sit idem quod ipsum, *ib.* — Hoc ultimo sensu accepta, definitione essentiali definitur : " Res cuius quidditati debetur esse in re et non in alio „ *ib.*, 2ª p. ; — vel " Ens per se subsistens „ (accipiendo esse ut realiter distinctum ab essentia), *ib.*, 3ª p. — Solvuntur obiectiones, 345. — Definitione descriptiva definitur : " Id quod substat accidentibus „ 347. — Reiiciuntur plurium Auctorum definitiones de substantia, 348. — Illae tantum substantiae ponuntur in praedicamento, in quibus esse realiter distinguitur ab essentia, 349, 1ª p. — Talis est proinde omnis substantia creata, etiam Angeli, *ib.*, 2ª et 3ª p. : Cfr. **Angeli, Esse, Essentia.** — Partitur in primam et secundam, 350, 1ª p. ; — in completam et incompletam, *ib.*, 2ª p. ; — in simplicem et compositam, *ib.*, 3ª p. — Eius proprietates : 1º non esse in subiecto, 2º significare hoc aliquid, 3º non habere contrarium, 4º non suscipere magis et minus, 5º esse susceptivam contrariorum, 6º praedicari univoce de inferioribus, 352. — Quarum proprietatum quaedam communes sunt tum substantiae primae tum secundae, quaedam vero alterutrius, 351, 352. — Esse accidentium est esse sec. quid ipsius substantiae, 377, 2ª p. : Cfr. **Accidens.** — Substantia creata non est immediate operativa, 416, 2ª p. — Ad productionem substantiae, principalis virtus est forma substantialis, 417, 4ª p.

Substantia composita. — In ea suppositum tum denominative tum formaliter sumptum differt secundum rem a natura communi speciei, 355 ; — sed non distinguitur realiter a natura, 358 ; — neque distinctione inadaequata, in rigore loquendo, 362 : Cfr. **Suppositum.**

Substantia materialis. — Est primum ens secundum ordinem cogni-

tionis et nominis impositionem, ad quod omnia entia dicunt ordinem, 44, 2ª p. — Non est actus purus quia multiplicatur in specie, 79. — Componitur ex actu et potentia sive ex forma et materia, *ib.*, 80; — et ex hac compositione constituitur per se unum, 133, 134. — Omnis actus substantialis perfectior, in sua simplici unitate, continet virtute imperfectiores, 135. — Quomodo in corporeis substantiis materia sit primum individuationis principium, 143-146. — Alio modo est essentia in ipsa quam in substantiis et in accidentibus, 220.

Supernaturale. — Quid sit, 185. — Tantum per respectum ad Primam Causam creatura est in potentia ad ipsum, 183; — sed nullam habet capacitatem positivam, 184. — Instrumentum supernaturale coniunctum vel separatum, 193, 420: Cfr. **SS. Humanitas D. N. J. Ch., Sacramenta.**

Suppositalitas. — Idem est ac intentio suppositi, 353, *N.* 2ª.

Suppositum. — Quomodo differat suppositum a natura, 293, *N.* 3ª. — Non est idem ac *aliquid* transcendens, 301, 3ª p. — Bene definitur: " subsistens distinctum „ 353, 1ª p. — Est nomen secundae intentionis, *ib.*, 1ª p. et *N.* 2ª. — Differt ab accidentibus, a substantia secunda, a substantiis primis quae habent rationem partis, ab iisdem, quae etiamsi integrae, non sunt per se, a substantiis primis, integris, per se, sed communicabilibus, *ib.*, 1ª p. et *N.* 1ª. — Res cui attribuitur intentio suppositi dicitur: res naturae, subsistentia, hypostasis, 353, *N.* 2ª: Cfr. **Hypostasis, Persona, Res *naturae*, Subsistentia.** — Potest sumi tum materialiter idest denominative, tum formaliter, 354, et *n.* — Refutatur opinio P. Billot, 354, IIº, *n.* — Denominative sumptum differt in substantiis compositis a natura communi speciei, 355; — non autem in simplicibus, 356; — sed non distinguitur realiter, 358. — Hoc habet locum etiam si comparatur natura cum notis individuantibus, 359. — Formaliter vero sumptum in omnibus creatis differt secundum rem a natura singulari, 360; — non vero realiter distinguitur, 361; — neque inadequate, in rigore loquendo, 362. — Si tamen recte intelligatur distinctio inadaequata, potest aliquomodo admitti, *ib.*: Cfr. **Distinctio *inadaequata*.** — Suppositum et natura numquam dicenda sunt differre ut duo realiter differentia, 363: Cfr. **Differentia, Distinctio.** — Quando suppositum opponitur naturae, natura consideratur non tantum secundum substantialia, sed etiam secundum essentialia, 357. — Unum suppositum habetur in Christo, 364, *N.* 2ª: Cfr. **Christus D.** — Solvuntur obiectiones contra totam doctrinam nuper traditam, 365. — Non potest dici quod constituatur suppositum per aliquid negativum, 366, 367. — Obiectiones solvuntur, 368. — Neque potest dici quod constituatur per modum substantialem, sive hic ponatur terminare naturam, sive advenire naturae iam actuatae, 369, 370. — Omnis actio est suppositi ut " quod „ operatur, 417, 1ª p.

Tentatio. — Semper malum culpae est in tentante, non proprie in eo qui tentatur, in quo est sicut actio agentis est in patiente, 331, ob. 2ª.

S. Thomas Aquinas. — Doctrina distinctionis realis inter essentiam et esse, est procul dubio S. Thomae, 253-255. — Ex ipsa Angelicus Doctor repetit solutionem plurium aliarum quaestionum magni momenti in re non solum philosophica, sed etiam theologica, 256, 257.

Totum. — Quid sit, 286, 2ª p., *n.* 3ª. — Addit aliquid reale supra partem, sed ab ea non distinguitur realiter, 295, 5ª et 6ª p.; 365, ob. 7ª.

Transcendentia. — Sunt quinque (praeter ens) et exprimunt modos quosdam generaliter consequentes rationem entis, 213: Cfr. *singula suis locis.* — Ex his quinque, tria sunt entis proprietates, scilicet: unum, verum et bonum, 214, 215. — Quomodo transcendentia addant supra ens, 306.

SS. Trinitas. — Etiam circa Ipsam debet valere principium identitatis " Quae sunt eadem etc.„ 296, 297. — Innuitur solutio aliquot difficultatum, 298, 299. — Cur Essentia divina, Tribus Personis communicata, dici non possit Suppositum, 353, 1ª p. et *N.* 1ª; — Relationes tamen subsistentes sunt Supposita, *ib., N.* 1ª. — Non est ulla prioritas, licet Pater sit principium Filii, et Pater et Filius sint principium Spiritus Sancti, 389, 1ª p.

Unio Hypostatica. — Destruitur, si cum Scoto ponitur Humanitas cum suo esse unita Verbo Divino sine ulla positiva communicatione, 367, 2º et *n.*

Universum. — Perfectio universi requirit ut sint bona deficientia, et ideo ut sit malum in rebus, 323, 324. — Solvuntur obiectiones, 325.

Unum. — Est transcendens, 313. — Est proprietas entis, 214, 315. — Unum trascendens nihil addit supra ens, nisi negationem divisionis, 268; — tamen non significat ipsam tantum, sed substantiam cum ipsa, *ib.*, 3ª p. — Obiectiones solvuntur, 269. — Ens et unum sunt idem re, sed differunt ratione, unum enim addit aliquid rationis supra ens, 270, 271. — Unitati transcendentali opponitur transcendentalis multitudo, 272, 1ª p.; — unum tamen non removet proprie multitudinem, 273, *N.* 2ª. — Obiecta solvuntur, 274. — Unum transcendens opponitur multitudini non relative aut contradictorie, sed privative et contrarie, 275. — Difficultates solvuntur, 276. — Unum sive per accidens sive per se multipliciter dicitur, 277, 278. — Reductio praecedentium ad unum indivisibile, 278, *sub fin.* — Alia divisio unius magis logicalis, 279, *N.* — De his, quae consequuntur unum et multa, 280 et seqq.: Cfr. **Aequalitas, Identitas, Similitudo.**

Verum. — Est unum ex transcendentibus, 213; 305, 2º p. — Est proprietas entis, 214, 215. — Dicit ens cum relatione ad intellectum, 305, 1ª p. — Non tamen idem est ac veritas formalis neque in se spectata, neque prout extrinsece denominat res, *ib.*, 3ª p. — Nihil addit supra ens neque realiter neque reale, 307, 1ª et 2ª p. — Sed addit differentiam rationis, quae consistit in respectu rationis ad intellectum, *ib.*, 3ª et 4ª p. — Et sic non inaniter dicitur " ens verum „ *ib.*, 5ª p. — Componitur sententia nostra cum sententia illorum, iuxta quos relatio

transcendentalis viget etiam inter ea quorum unum est ab alio, idest inter causam extrinsecam et effectum, quae importat absolutum et connotat relationem praedicamentalem, *ibid., N.* — Neque verum proprie loquendo addit supra ens rationem fundamenti relationis realis ad Deum et rationis ad intellectum humanum, *ibid., n.* — Ulterius omnia declarantur, *ibid., Coroll.* et *n.* — Solvuntur obiectiones, 308. — Verum dicit ordinem ad intellectum ut sic, non vero ad talem vel talem, 307, *Coroll.* — Ad verum simpliciter dictum pertinet etiam verum formale, 308, *n.* 2ª (p. 236). — Ens creatum per ordinem ad Intellectum divinum posset vocari ens secundum quid transcendens, melius tamen quis se abstinebit a tali locutione, 308, *n.* 1ª (p. 296). — Verum secundum rationem prius est quam bonum, 313, 2ª p.

Voluntas. — Est causa mali : 1º in quantum fertur in bonum, cui est coniunctum malum ; 2º in quantum ipsa deficit a conformitate cum lege divina, 340. — Non habet rationem mali quando subest intellectui, qui proponit obiectum ut appetibile difformiter a lege, *ibid.* — Habet vero rationem mali quando eligit tale obiectum, *ibid.* — Solvuntur obiectiones, 341 : Cfr. **Malum, Intellectus.**

INDEX AUCTORUM

qui in Metaphysica Generali citantur.

Nota. — Indicantur numeri marginales ; *N.* significat Notam in corpore libri positam ; *n.* notam in calce.

S. THOMAS AQUINAS, Doctor Angelicus, O. P. (1225-1274) : *passim.* — Cfr. etiam in *Indice Rerum.*

ARISTOTELES Stagirites (384-322 a. Ch.), qui et **Philosophus** dicitur: *passim.*

Aegidius *Romanus* (**Colonna,** 1247-1316) *Doctor Fundatissimus,* O. P.: 231, II° ; 255, *circa fin.*

P. Alamanni *Cosmus,* S. J. (1559-1634) : 9, *n.* ; 231. II°.

B. Albertus *Magnus, Doctor Universalis,* O. P. (1193-1280) : 231, II°.

Albertinus : 231, II°.

Alexander *Halensis, Doctor Irrefragabilis,* O. F. M. (m. 1245) : 231, II°.

Alvarez : 231, II°.

Aravius : 231, II°.

Arius *haeresiarcha* (270-336) : 237.

S. Augustinus *Hipponensis, Doctor Gratiae* (354-430) : 325, ob. 3ª ; 327 ; 329, ob 1ª ; 420.

Aureolus : 231, II°.

Avicebron (m. 1070) : 414.

Avicenna (980-1037) : 13 ; 163 (Prop. VIII) ; 217 ; 255, 7° ; 307, 3ª p. ; 414 ; 415, 8° ; *Append.* **B,** *Dices* 5°, *Resp.*

Bannez *Dominicus,* O. P. : 231, II°.

P. Billot *Ludovicus,* S. J. : 251, IV°, *n.* ; 299 ; 303 ; 307, 4ª p. ; 354, I°, *n.* ; *ib.,* II., n. ; 359, *N.* 1ª ; 367, 2°, *n.* ; 368, *n.* ; 369 ; 370, *n.*

S. Boëtius *Severinus* (470-526) : 108, *n.* ; 236 ; 255, I°, 2° ; 257, II, *e*) ; *ib.,* III. ; 312, ob. 4ª ; 353, 2ª p.

S. Bonaventura, *Doctor Seraphicus,* O. F. M. (1221-1274) : 231, II°.

Card. Caietanus (*Thomas* **de Vio,** 1469-1534), O. P. : 231, II° ; 239, *in fin.* ; 254 ; 255, 7° ; 282, *n.* ; 354, II° ; 369 ; 370, 3°.

Capreolus : 231, II° ; 251, I° ; 254 ; 354, I°, *n.*

Cartesius *Renatus* (1596-1650) : 348, ob. 1ª ; 414.

Commentator (**Averroës**, m. 1206 ?) 19, ob. 1ª ; 344, 1ª p.

Coninck *Aegidius* : 302.

P. Cornoldi *Joannes M.*, S. J. (1822-1892) : 321 IIº.

Cousin *Victorius* (1792-1867) : 348, ob. 3ª.

Darwin *Carolus* (1809-1882) : 114.

P. De Mandato *Pius*, S. J. : 231, IIº ; 256, *n.*

P. De Maria *Michaël*, S. J. : 231, IIº ; 252, ob. 41ª ; 254, *n.* ; 256, *n.* ; 354, IIº ; 359, *N.* 2ª ; 365, ob. 2ª, 3ª, 4ª et 5ª.

P. De San, S. J. : 231. IIº.

S. Dionysius *Areop.* (m. 95 p. Chr.) : 115, *sub fin.* ; 274, ob. 1ª ; 322, ob. 3ª ; 325, ob. 1ª et 3.

Durandus *Guillelmus, Doctor Resolutissimus*, O. P. (m. 1333) : 231, IIº ; 254.

Ferrariensis (*Franciscus* **a Sylvestris**, 1474-1528), O. P. : 15, 6º ; 16, ob. 2ª, *n.* ; 28 ; 231, IIº ; 254.

P. Fonseca *Petrus*, S. J. (1528-1599) : 9 ; 231, IIº.

Card. Franzelin *Joannes Bapt.*, S. J. (1816-1886) : 366.

Gabriel *Biel* (1430-1495) : 231, IIº.

Galuppi *Paschalis* (1770-1846) : 348, ob. 4ª.

Card. Gillius : 231, IIº.

Gioberti *Vincentius* (1801-1852) : 348, ob. 6ª.

P. Goudin *Antonius*, O. P. (1639-1695) : 251, Iº, *N.*

S. Gregorius *Nissenus* (330-396) : 420.

S. Hilarius *Pictaviensis* (300-367) : 14 sub fin. ; 257, IIIº.

Hume *David* (1711-1776) : 390 ; 395, *N.* 1ª.

Javellius *Chrysostomus*, O. P. : 231, IIº.

S. Joannes *Damascenus*, O. S. B. (676-754) : 287.

Joannes *a S. Thoma*, O. P. (1589-1644) : 38, Iº ; 231, IIº ; 307, 5ª p., *N.* ; *Append.* **A**, *Dices* 5º, *Resp.*

Kant *Emmanuel* (1724-1804) : 348, ob. 5ª ; 392 ; 395, *N.* 1ª.

Leibnitz *Godefridus Guillelmus* (1646-1716) : 348, ob. 5ª.

P. Lessius *Leonardus*, S. J. (1554-1623) : 302.

P. Liberatore *Matthaeus*, S. J. (1810-1892) : 231, IIº ; 232, *n.* ; 256, *n.*, 376, ob. 2ª.

Locke *Joannes* (1632-1704) : 348, ob. 7ª ; 390.

P. Malebranche *Nicolaus*, ex Or. (1638-1715) : 414.

P. Maurus *Sylvester*, S. J. (1620-1687) : 231, IIº ; 256, *n.*

P. Molina *Aloisius*, S. J. (1535-1601) : 231, IIº.

Nazarius : 231, IIº.

Nissenus *S. Gregorius* : Cfr. **S. Gregorius** *Nissenus.*

Nominales : 231, IIº.

Occasionalistae : 414.

Card. Pallavicino-Sforza, S. J. (1607-1667) : 231, IIº ; 256, *n.*

P. Palmieri *Dominicus,* S. J.: 254.
Palumbus: 231, II°.
Ss. Patres: 369, *n.;* 387.
Card. Pecci *Josephus,* S. J. (1807-1890): 239, *in fin.*
Pererius: 254.
P. Piccirelli *Josephus M.,* S. J.: Cfr. in *Indice Rerum.*
Plato (428-348 a. Ch.): 164, *n.;* 415, 8°.
Positivistae: 414.

P. Remer *Vincentius,* S. J.: 231, II°; 256, *n.;* 307, 4ª p.; 354, II°.

Sanseverino *Caietanus*: 231, II°.
Sceptici: 390.
P. Schiffini *Sanctus,* S. J. (1841-1906): 231, II°; 253, *n.;* 256, et *n.*
Scotistae: 251, V°; 252, ob. 41ª; 254.
Ven. Scotus *Duns Joannes, Doctor Subtilis,* O. F. M. (1266 vel 1274?-1308): 179; 231, II°; 252, ob. 41ª; 254; 366; 357, 2°, *n.*
Soncinas: 231, II°.
Sotus *Dominicus,* O. P. (1494-1560): 231, II°.
Spinoza *Baruch Benedictus* (1632-1677): 348, ob. 2ª.
P. Suarez *Franciscus, Doctor Eximius,* S. J. (1548-1617): 231, II°; 236, *n.;* 238, *n.;* 251, I° et *n.; ib.,* V°; 296, *n.;* 298, *n.;* 302; 369.

Thomistae: 231, II°. — Aliqui non recte locuti sunt in quaestione de distinctione reali inter essentiam et existentiam, 251, I°, *N.* — 251, VIII°; 258, I° et III°; 259, 1ª p., *n.;* 289, II°; 354, II°; *Append.* **B**, *sub init.* et *Dices* 4°.
Tiphanius: 254; 366.
Card. Toledo *Franciscus,* S. J. (1532-1596): 254.
Trombeta *Antonius,* O. F. M.: 252, ob. 37ª; *ib.,* ob. 41ª; 254.

P. Urràburu *Joannes Josephus,* S. J.: 235, *n.;* 236, *n.;* 238, *n.;* 251, I°, *n.;* 252, ob. 5ª, *n.; ib.,* ob. 19ª, *n.;* 254.

P. Valentia *Gregorius,* S. J.: 231, II°.
P. Vasquez *Gabriel,* S. J. (1551-1604): 231, II°; 369, *n.*

Wolff *Christianus* (1679-1754): 348, ob. 4ª.

Card. Zigliara *Thomas M.,* O. P. (1833-1893): 231, II°; 251, IV°, *n.*
Zumel: 231, II°.

ERRATA - CORRIGE

Pag.	*Linea*	*Errata*	*Corrige*
1	12	aliorum	aliarum
9	23	ratio analoga	rationem analogam
23	33	revera et caecus	revera est caecus
28	33	totum dicit	potest dici de omni (*)
37	30	quarum	quorum
92	19	virtualiter	situaliter
115	1ª *notae*	se extendi	se extendit
133	29	*unum*	*bonum*
„	30	*bonum*	*unum*
135	4	distincta	distinctae
136	3	Nomine	Nomina
168	11	propriae	proprie
190	8	existentiae	existentia
193	22	cum eo	cum ea
207	5 *notae* 1ae	substantiam ab	substantiam et
222	10	quamdam	quendam
225	17	positionis	positionem
233	33	**actum**	**actuum**
249	14	hi dico	hi duo
251	17	album est	albus est
256	15	ceolo	caelo
266	19	corporae	corporeae
287	16	mutus	mutuus
331	32	*Significat*	*Significare*
333	21	alter	alterum
334	16	subsistens	subsistentes
338	3	est forma	et forma

Nota. — Haec sunt praecipua: si quae sunt alia, benignus lector per semetipsum facile corrigere poterit.

(*) Ita semper corrigatur ubicumque similes locutiones occurrunt.

31.

178

120
V 556
178
VENETA
AUTHOR
Philosophia Scholastica
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	von der Ahe	MAR 2
	Theerin	
	Cosgrove	
	Brill	
	STORAG	

178